BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
G
64
NAPOLI

LV

LV
g
64

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

IN PROVINCIA MEDIOLANENSI fuêre hoc anno 1607. Domicilia 15. Socij 388. Sacerdotes supra 109. Non Sacerdotes studiis addicti 99. Coadiutores 102. Nouitij 50. Adlecti in Societatem 6.

COLL. ... SOC. IESU ... IHS

DOMVS PROFESSA.

SOCIORVM numerum minuit Paulus Regalius Coadiutor temporalis formatus, patria Mediolanẽsis; qui diem clausit extremum ætate inter sexagenarium & septuagenarium medius, quam supra dimidiam in Societate exegerat. Vir sane de Societate multis modis bene meritus. quippe qui & in nostri Tẽpli ædificationẽ paternorum bonorum, quæ sibi hæreditate obuenerãt, magnam partem contulerit, & ex proprijs sui gradus muneribus præter cætera, potissimum eleemosynarum quæsitoris diutius obierit.

Domi præter religiosæ demissionis & obedientiæ, pietatis quoque in eo & orationis amor quidã singularis, ita vt quidquid nancisceretur vacui temporis, id totum in Ecclesia coram Sanctissima Eucharistia precibus traduceret, vel meditationibus exscribendis, similibusve pijs precationum variarum formulis, quo potissimum otiolum oblectabat suum, consumeret. Huic inhærentem studio postremus oppressit morbus; in quo clarus

patientia, obedientia ceterisque religioso dignis viro virtutibus, satis testatum reliquit apud omnes, quanto fructu illis tũ scriptione tum meditatione tempus impenderet. Hic ergo corpore fractus, mente ad extremum vsque spiritum integra, Sacramentis omnibus munitus pridiè Kal. Nou. Cælitum, vt speramus, numerum auxit.

Illud commemoratu dignum, siue dignitate personarum, siue conficiendi facilitate (ex opinione quę de nobis est) quod duo non ignobiles, quorum alter alteri colaphum impegerat (initium magnæ tragædiæ, si nõ mature occurrebatur:) nostrorum opera conciliati sunt. Repetitæ ẽt quadragenarum horarum supplicationes, institutum iam & antiquum & solẽne, ex eo nouum visum, & quod longe plurimum quam antea, ad effrenem Bacchanaliorum licentiam cum reprimendam, tum præcidendam valuit, siue ad illam religionem excitente multitudinem apparatu, ornatuque visendo, cum suauissima musicorum & vocum symphonia, siue ad pietatem excitantę tunc primum per eos dies proposità Indulgentia, quibus alijs vbique terrarum populis quiescentibus, saccoque ieiunia inchoãtib. hic de more gentis Bacchanaliorũ ferbet ęstus. At inter cęteros sodaliũ Partheniorũ pietas fuit insignis, ex his nonnulli in varias religiosorum familias, aliquot in Societatem admissi. Sed non in vrbe tantum nostrorum se tenuit labor, excursum quoque in agrum & oppida, in quibus præter duo Virginum sacrarum cœnobia, ad sanctæ paupertatis communitatem reuocata cætera, quæ magno numero præstita, nimis similia, silentio præterire

terire placet. Sola Misſio in militares Teutonum ſtationes paucis perſtingenda. Erat miles vt plurimum veteranus, in Pannonia cõtra Turcas militaribus exercitijs educatus, idemque, quà diuturna licentia, quà ignorantia, quà tandem diſsidentium à recta religione opinionum erroribus, in omnia propemodum vitia effrenis. Ad hunc in bellum quod futurum cum Venetis credebatur, accitum ſummi totius Mediolanenſis pro Rege Adminiſtratoris rogatu, venit vnus ex noſtris ſacerdos natione Germanus, cui additus ex Collegio Socius Philoſophiæ ſtudioſus, Teutonicæ gnarus linguæ. Hi ita inter ſe partiti prouinciam, vt dum Pater aures prȩberet confitentibus, Socius interim alios ad Sacramẽta rite percipiẽda alios erudiret, probe inſtitutos ad Patrem adduceret, vterq; pro virili Catholico Catechiſmo imbuendis quam plurimis inſudaret. Seſqui menſem tenuit hic labor, fructu permagno; non enim tantum furta, & iniuſtæ ruſticanorum homium, apud quos diuerſabantur, oppreſsiones, ſed & periuria, & ſacrilegia ſublata, & concubinæ plures aut ademptæ, aut matrimonio iunctæ, docti omnes nefarios hoſce concubitus graue peccatum eſſe, quos licitos (tanta erat ignorantia) nimis multi crediderant. Auditi, qui non tertium tantum, aut quartum annum, ſed decimum iam, atque vigeſimum ſacra confeſsione abſtinuerant: alii permulti totius vitæ noxas eluerunt, ſed illud palmarium, quod cum plures nutantes in fide confirmati ſunt, tum vero alii etiã ab hæreſi, quam cum lacte nutricis ſuxerant, militari fouerant licentia, ad Eccleſiã traducti: quoque res e-

rat maioribus obſepta difficultatibus, eo ſtudioſius obuiam illis itum. Cum enim non haberet noſter abſoluendi ab hęreſi facultatem, Mediolanum dimittendi erant hi vnius, alii alterius etiam diei itinere, non erat vero facile commeatum ab ducibus impetrare; verum noſtri, quo ſtudio hos ſibi ad Chriſtum adducendos ſuſceperant, eodem neceſſarium hunc illis commeatum exorabant; Obſtabat adhuc tamen ignorantia viarum & linguæ, pecuniæ quoque inopia premebat, qua quamdiu abeſſent à ſtationibus, vitam neceſſario victu ſuſtentarent. Sed huic quoque rei ſubuentum abunde eſt. Siquidem Reuerendiſsimus Illuſtriſsimi Cardinalis Archiepiſcopi Vicarius, quo conſulto, & opprobante atque etiam commendatitiis litteris ad Eccleſiarum rectores fauente, id muneris ſuſceperant, is inquam de tota re certior per noſtros factus, denis in ſingulos diebus ſingulis conſtitutis ſeſtertijs, dedit operam ne cui Mediolanū eius rei gratia (quod ex noſtrorum litteris cognoſcebat) venienti, quidquam, quamdiu hic ea cauſa moraretur; deficeret ad commodum victū, alicui etiam ad ueſtitum. Itaque multi hæreſes deteſtati, quorum tres Caluinianos, alij alios ſectati fuerant, cum Chriſto & Eccleſia in gratiam redierunt, longe plures futuri, ſi non inopinata Miſsio eorum cōſilia diſturbaſſet, quamquam ita abierunt à nobis, vt qui iam toto pectore veram fidem ſpectarent. Porro vt noſtrorum ſtudia in externos fuere ſedula, ita ipſorū erga nos liberalitas extitit inſignis, quæ ſuppeditauit non tantum neceſſarios familiæ ſumptus, aut etiam quod ſatis eſſet ad eas impen-

ſas

ſas ferendas, quæ conuenientibus tam multis ex vniuerſa prouincia ad indictum prouincialem conuentum, plurib. vltro citroq; tũ Procuratorũ, tum generaliũ comitiorũ cauſa cõmeantibus, neceſſario faciendæ erũt, ſed etiã ſupereſſet, quo partẽ aliquã æris alieni diſſoluerem⁹. Enituit inter hos maxime cum Illuſt. Cardinalis tũ Excellentiſ. Gubernatoris liberalitas, cuius ẽt ope effectũ eſt, vt aulá Sodalitatis partheniæ ſuperioribus annis ædificari cœpta, quingẽtis in rem deſtinatis aureis hoc tandẽ anno perficeretur. Collegiũ ex Patricijs Mediolanenſib. inſtitutũ, q; fabricæ tẽpli noſtri S. Fidelis præeſſet, litem aliquando tandem obtinuit aduerſus hæredes Arluni. Hic vir ſanè pius, & religioſus nullo ſe neceſſario hærede deceſſurũ cernens, cõiunctiorib. quibuſdã dictis hęredibus, maximã tamen ſuorum bonorum partem tribus templis, quorum ædificatio ab inopia pecuniæ, aut ſegnior erat, aut omnino ſilebat, teſtamento legauit, ita vt annuos aureos ſingulis quingenos aſsignaret. Erat vnum ex his templum noſtrum, eius hæreditatis partem hæredes auertere conabantur, quod dicerent nõ poſſe nos eam adire, quibus annuo redditu legibus noſtris eſſet interdictum; ſtetit lis annos ferme ſeptem; ſed ad extremum amicorum nobilium inſtituto collegio, quod penes eſſet eius adminiſtratio, litem nobis frequens ſenatus addixit; ea prudentia & moderatione, vt neq; noſtrarũ legum interpretandarum partem vllam ſibi aſſumeret, & ab hæreditatis poſſeſsione minime impediendam ædificationem cenſuerit. Sed quoniam templi noſtri incidit mentio, illud addam, quod

proximum est quidẽ, Mediolanenses magnam venerationem habere erga nostrorum Beatorum memoriam, & Beati inter cætera Aloysij vitam in vulgus editam, magnos effecisse motus animorũ. Mirum quantò studio legatur, quanta significatione pietatis, quanto fructu, quippe quæ multis Christianæ perfectionis curam & cogitationem inieceri, & plurimos ad vitam cum virtute degendam incenderit, & omnes in eius B. admirationem traxerit. Hinc eius imago religiose coli cœpta, lãpade votiuisque signis argenteis ornata, quod precator adhibitus apud Deum, huiusmodi signis, qui eius implorassent opem, non irritas fuisse preces testarentur. Cætera quoq; templi sacræ supellex aucta plurimum sacris vestibus, argenteis candelabris magno pretio, siquidẽ vnius è multis sacræ Sacerdotis vestis, cum pallio operis Phrygij, quadringentorum aureorum pretium fuisse dicitur.

COLLEGIVM BRAYdense.

HIC vt literariæ institutioni, & studio nauata sedulò opera est, ita nec ab aliis cessare omnino licuit muneribus, quæ magis propria Domus Professæ videntur: neque enim tantum sex & viginti ex nostris Scholasticis, quinquaginta & octo locis in vrbe, decem suburbanis doctrinam Christianam separatim pueris, adolescentioribus, prouectioris ætatis hominibus, fœminisque explicarunt diebus festis, sed in templo quoque nostro non potuimus non præbere aures confitentibus fœminis

nis aliquot primarijs, quod degant in vicinia; rusticanorum autem, & quisquiliarum populi multitudini propemodum infinitæ. Hanc sibi prouinciam depoposcerunt duo ex superiorum classium professoribus. Scholasticorum externorum demandata quatuor quarti anni theologis, expellentibus ex aucto nostrorum numero, habitationis angustijs duos confessarios, quos in hoc vnum munus alebat Collegium. Ex his laboribus relati fructus, reconcilatæ inter dissidentes gratiæ, subleuatæ ob opulentioribus egentium inopiæ, pericula depulsa pudicitiæ, vitæ quoque alienæ consultum, vxoris præcipue, quam vir eo loco deprehenderat, vt manifestis coniecturis conuicta negare non potuerit, maritalis thori iura vel semel à se violata, eius culpæ confessione expressa, acri dolore, ex rei indignitate, extimulante, de illa necanda animo agitat; sed rem differt tātisper, dum indaget, sæpiusne quam semel deliquisset: eius rei hanc init rationem: ad nostrum confessarium vxorem adducit eo consilio, vt peracta confessione, à confessario cauillose rogando aliquid extorqueat, vel certe ab ea ipsa per simulationem detectæ sibi cōfessionis. Sed & muliere viri dolos eludere docta, & serio ac grauiter maritum monente nostro, nihil vltra expiscatus, vxori infimis precibus & lacrimis veniam oranti, noxam, quam nemo præter ipsos adulteros resciisset, condonauit, eamque recepit in gratiam. Adductus vnus, in quo à mortis & Orci faucibus eripiendo admirabilis Dei misericordia magnopere eluxit, & Angeli Tutelaris custodia, ad melioris vitę consilia capessenda. Res est huiusmodi, quam o-

peræ prætiũ fuerit altius repetere. Vir erat ex agro Insubriæ adeo rei familiaris angustijs, & externorũ hostilib. molestijs vexatus, vt animũ tristitia occupante, cum remediũ malis vel non quæreret, vel nõ inueniret, vitæ pertęsus mortis tandem sibi consciscendæ consilium, qua desperatione impellente, qua dæmone instigante, inierit: loco igitur ab hominum frequentia solitario, ne qua mora impedimentumue inferretur, delecto, resteque, annosæ arboris ramo iniecta, collum induit, & dimissa per aerẽ graui corporis sarcina, quãto quãto potest impulsu conatur vt restis ad ingluuiem adstricta spiritus officia discludat, discludissetque sine dubio, ni laqueo solutóne, an dirépto semimortuus ad terram decidisset. Quod ne casu aliquo contigisse credam, facit, q; narrauit sexagies ferme diuersis locis, ac temporib. carnificinam hãc irrito semperconatu tentasse; nec tã miratum se, quod modum nesciret liberationis suæ, quam indignatum, quod fine frustraretur desperationis. Tandẽ cum obdurato contra æstum pectore, obstinatior in suam perniciem rueret, funem quæritat validissimum vastæ quadrupedi strangulandæ parem, & ne ab phrenesis huius conscijs flagitium patrare prohiberetur, clam secedit in vinetum, & ad cerasi ramum funẽ arctè circumligat, seque ex eo suspensum maxima vi contendit vt enecet. Sed cum spiritu intra fauces cõpresso sensuum functione pene destitutus lentius cum morte luctatur, videt tum (vt ipsemet referebat) Ethiopes quatuor toruo aspectu, equis nigerrimis subuectos quasi præfocaturos in se irruere; inde vero pulcherrimum supra quam dici possit

poſsit puerum violacea tunica taalri, & pereleganti amictum aduectare, qui nigros illos equites, vel obnixe repugnantes, abegit, funem diſſecuit, & vt mollius humi procumberet, ſuppoſita manu adiuuit. Hoc beneficio reſedit quidem tantiſper turbulentus ille agitatæ mentis æſtus; ſed vix in ſe ſœuire deſijt, cũ inimicorum ſæuitiam experiri contigit. Nam, cum ſe viæ negotiorum cauſa dediſſet, inopinantem armati adoriũtur, & eo vſq; vulnera capiti reliquoque corpori infligant, donec vita omnino ceſsiſſe rati, exſaturato furore diſcedunt. Verum cum deformatum plagis cadauer ſpirare adhuc prætereũtes viatores animaduertiſſent, in viciniores illatum ædes, vt vt poſſunt, curant, monentque domeſticos, vt quam primum paterfamilias opem ferat morienti: adſunt illi ſine mora, domum aſportant, medicamentis fouent, non tàm deſperatæ vitæ conſulturi, quam non defuturi muneri ſuo ac pietati. Quid quæris? reuixit emortuus; habere melius cœpit: Cõualuit, licet iactura membrorum quorundam ſarciri non potuerit, in quæ crudelius diſtrictus armatorum gladius deſæuierat. Nimirum videri voluit diuina prouidentia tantam illius corporis curam gerere, vt animum cælo deſtinatum Tartaro eriperet. Dũ n. inter medicorum verſatur manus, inuiſitur à noſtro per cõmunes amicos accito, à quo cũ de Dei beneficiis & aliis huiuſmodi reb. inaudiſset aliquid, narrauit & ipſe viciſsim multa ſuæ vitæ diſcrimina, & poſtremi huius infortunii ſeriẽ, eo quo geſta erat ordine explicuit, qua occaſione de diuina miſericordia cõmonefact⁹, & ad veniã inimicis dãdã, & ad

totius vitæ maculas confeſsione eluendas addu-ctus eſt.

Scholæ noſtræ auditorum frequentia bene magna celebrãtur, plures fuere ducentis ſupra mille, quorũ maxima pars nobiles, potiſsimum in ſcholis inferiorib. in quibus plures ſexcentis quinquaginta doceri dicuntur, numerus cui omnino pares eſſe nequeunt præceptores, quandoquidẽ quę ſchola pauciſsimos (excipio Rhetoricam) habet diſcipulos, minimũ centum viginti frequentant, ex quinque autem duplicata claſſe grammaticæ ſuprema nulla non pleniſsima: itaque cum reliquas ſcholas duplicandi nulla præſens ſuppetat facultas, minuendus erit potius numerus, quàm vllo ex ingenti eorum qui admitti petunt, admiſſo, augendus.

Iá vero Partheniæ congregationes quatuor, quãuis non niſi inſigniorum acri & percauto delectu, ita tamen excreuerunt, vt octoginta numeret quæ paucos, aliæ centum & plures In his ad abſolutam pietatem (quod in tãto numero mirum) vix quidquam deſideres. Fræno omnino eſt opus, ſiue xenodochia inuiſenda, ſiue inopes ſubleuandi, ſiue corpus voluntariis flagellationibus, ciliciis, aut huiuſmodi afflictationibus caſtigandum. Itaque non mirum, ſi tantam pietatem maximus quoque in literarum ſtudijs fructus conſequatur. Permulti in varias Religioſorum familias ſe conferunt, hinc Theatini, Barnabitæ, Capuccini, Minores (quibus ab ſandaliis vulgò nomen) auitam diſciplinæ ſeueritatem nouo ſtudio complexi, Minimi, Auguſtiniani, Carmelitæ, Oliuetani, ſuas familias noſtris alum-

alumnis, quorum pars philoſophiæ, pars Theologiæ nauabant operã, nonnulli inferiorum ſcholarum erãt diſcipuli, auxerunt. Societatem noſtram præoptarũt nouem, ex his vnus theologicum curriculum propemodum expleuerat, inchoarant duo philoſophicũ, reliqui cum Rhetoricæ tum Humanitatis ſtudioſi, inſignes nobilitate, ingenio, inſigniores pietate, & virtutibus. Itaque horum ad nos acceſsio magnos in auditoribus noſtris effecit motus animorum, vnius potiſsimum ex antiqua in primis ac nobili familia, qui duos proxime attingit titulis, & opibus illuſtres, ſed is erat ipſe ſuis ornamentis illuſtrior. Ingenio ac memoria vix alter illi par in tota Academia, vix veræ Virtutis, & Chriſtianæ demiſsionis ſtudio.

Orationis in eo ſtudium ſingulare, & tanto pietatis ſenſu, vt non rarò vim magnam orando profunderet lacrimarum, idque tũ potiſsimũ, cum ſacroſancto Chriſti Corpore paſtus (ſine quo cibo nullus omnino illi dies feſtus abibat) perceptum cæleſte munus ſecum tacitus mente reuóluens, gratias ageret largitiori; quas preces in horam extrahentem cum multis lacrymis ſæpe illum Confeſſarius nihil tale ſuſpicantem, & alii nonnulli notarunt, nec nouum hoc in eo ſtudium. Eadem fuit ſemper pietate à teneris, quo in genere præclara multa domeſtici. Sed conſulam breuitati, multaque & maxima ſummæ dimiſsionis, obedientiæ, temperantiæ, charitatis cæterarumque virtutum argumenta ſilentio (non quidem perpetuo) iuuoluam, quamquam prætermitti nullo modo debet vnius è noſtris ſumma prudentia viri, & Spiritua-

lium

lium rerum peritiſsimi teſtimonium, qui dies aliquot Aronæ commoratus vt eam probationis domum inuiſeret, reuerſus poſtea Mediolanum eius adoleſcentis confeſſario dixit aliquando: Pater mi, noſter N. eſt ſanctus, eſt vere ſanctus: neſcit peccare venialiter, multũ Societati acquiſitum à nobis, etiamſi adoleſcens ille in tirocinio moriatur, hæc de illo Pater in loquendo percautus, iudicio, ac communi omnium, qui in Academia diuerſantes eius adoleſcentis notitiam habuere, non diſcordi.

Extremum illud eſt, vt eorum quoque grata recordatione meminerimus, qui in Societatem benefici. Donauit vnus ex noſtris in vſum Collegij aureorum ad duo millia, alter Eccleſiæ veſtem omnem Sacerdoti ſacrificanti, aræque maximæ conueſtiendæ, centum quinquaginta aureis æſtimatam.

COLLEGIVM COMENSE.

VNus per Quadrageſimam magno principum virorum & populi totius ſtudio ad ſacrã Chriſti Ieſu Anaſtaſim, alter frequentia nihilo minori populum ad Domini noſtri Aduentum ſacris concionibus præparauit. Adhortationibus alij Virginum cœnobia, & pijs exercitationibus ad religionis munia ſtudioſius obeunda excitarunt. Alius deniq; Phalernę oppido Helueticæ ditionis millib. paſſuum quatuor ab Vrbe Como, ſingulis menſibus euocante loci Archipresbytero, coactis in vnum ex finitimis pagis Eccleſiarum rectoribus, cõſcientiæ difficultatibus excutiendis præfuit.

Pater qui in Valle Clauena commoratur, multum diuque expetitum laborum ſuorum fructum

tandem percepit. Ex Veneta Prouincia advenerat ante duos annos, vt parentem virum alioqui cum nobilitate, tum singulari prudentia apud suos cõspicuum, sed qui in Lutherana hæresi misere consenuerat, ad Ecclesiæ gremium reuocaret. Lapidẽ omnem, adiuuantibus licet omnib. vere Catholicis fratribus, mouerat frustra, inuictus tamen animo nil quamquam cerneret propemodum spei, sperabat tamen: Multis scilicet lacrymis petebat precibusque ab eo, qui poterat, & digna petentibus erat pollicitus, se concessurum. Ergo vir grãdis natu in morbum incidit supremum, accurrit filius, assidet solicitus, & assiduus dies, noctesque. Aperit qua consueuerat pietate, auitæ viæ errores; monet vnam tantum esse, per quam pateat aditus ad salutem, Ecclesiam Catholicam; Respiceret sese tandem aliquando; iam nullum si quid prouecta ætas, & morbus grauis explorati argumenti afferrent, de vitæ exitu esse locum, familiari diuerbio; sat cito si sat bene, nunc omnino vt bene, quantocyus respiciendum vocantem Deum, esse periculũ in mora, immo detrimentum certum, ac perpetuum, daret ergo manus veritati.

His atq; huiusmodi pluribus magna pietatis significatione auribus & animo inculcandis effecit, perficiente Deo, qui operatur omnia in omnibus, vt concederet sibi parens: & hæreses oẽs detestat⁹, expiatus peccatorũ cõfessione, Catholicæ Ecclesię restitutus est, tũ cœlesti viatico munitus diẽ vidit extremum. Elatus est ritu, ceremoniaque Catholicorũ, rabie nequicquã fremẽtib. hæreticis, lætitia gestientib. Catholicis, potissimũ vero filiis quorũ

dolorem,

dolorem ex obitu parentis conceptum ea victoria non parum leuit, nos sanè in Collegio vbi Catholicum obijsse perlatum est, Sanctorum Ambrosii, & Augustini hymnum in actionem gratiarum decantauimus.

Decessit P. Iosephus Amatus patria Mediolanensis, spiritualis Coadiutor formatus, qui Montis Regalis Collegium in Subalpinis aliquádiu Rector magna laude administrauit. Vir quidem ætate non ita grandi, quippe minor quinquagenario, sed grádior virtute, qui & orationis studio fuerit singulari, & insignis animi demissione, qua honores omnes ac dignitates constanter respueret, vniuersos tamquam sibi superiores veneraretur: animorum cœlo acquirendorum percupidus, quare concionandi studium complexus, cum animaduertisset quantum fructus excolendis rudioribus perciperet, nihil habuit antiquius, quam vt omni studio humiliores pagos ad conciones habendas expeteret, nobiliores vrbes, quãtum salua Obedientia posset, declinaret, in Missionib. frequẽtissimus, & laboris etiam supra vires patiens, tractandorum animorum peritissimus, quos sibi eximia quadam suauitate morum, & veræ virtutis odore sic conciliabat, vt & traheret quò vellet, & ab omnibus tanquã verè sanctus deamaretur. Sed obedientiæ studio imprimis clarus, cuius nomen in extremo morbo sic illum excitabat, vt quãuis languescente stomacho cibum omnẽ respueret, eo tamẽ audito, magno conatu cibos incassum exciperet, in stomachum non demittendos. Ad tantum perfectionis religiosæ gradum esse venturum spem fecerat,

cum

cum adhuc fecularis magno animo mulieris impudicitiam eſt auerſatus. Fœmina erat inſigni ſpecie in ipſo ætatis flore, eius ille domum iam Philoſophiæ cādidatus præteruehi ſolitus erat, ſcholas petens; cum aliquando procax fœmina tanquam ad rem magni momenti de feneſtra intro in ædes vocat, ingreditur ille, ſed congredientis vultum, motumque corporis intuitus, verbaque notans confuſa, quod erat ſuſpicatus, terga dedit. Tantum ergo virum febris primo quidē leuis, ſed ingraueſcens in malignam verſa, exquiſitis remedijs fruſtra adhibitis, paucorum dierum ſpatio nobis abſtulit. Sed non imparatum: vix enim febricula tentari cœperat, cum quaſi præſcius ſupremum ſibi adeſſe diem, totius vitæ confeſsione inſtituta, maturè omnibus pijs myſteriis, extremo articulo adhiberæ ſolitis, muniri voluit, ſicque magno nobis relicto patientiæ, & cæterarum virtutum exemplo, diem clauſit extremum.

COLLEGIVM VERCELLENSE.

BAcchanalibus, more aliquot ante annos recepto, proceſſerat in forum Magiſtrorum alter, ad pietatem excitaturus pia aliqua adhortatione otioſum vulgus. Cōmodum nugarum artifex hiſtrio multitudinem ſolito maiorem contraxerat. Eam noſter conſpicatus, hiſtrionis ipſius pulpito vſus, magno animi ardore in eam veſaniam inuectus, & de virtute pietateque non pauca proloquutus, ita permouit omnium animos, vt frequentes Crucis vexillo præeunte in noſtrum ſanctiſsimæ.

Trinita-

Trinitatis Templum coierint. Ibi extemporali adhortatione ad virtutem excitati, ad rite instituendam peccatorum confessionem edocti & inflammati. Hic itaque prior de Bacchanalibus triũphus reportatus, alter ille est. Tribus antecineralib. diebus proposita populo quadragenis horis veneranda sanctissima Eucharistia (quam cæremoniã maioris ædis Canonici ab illa ad nostrum Templum ducta pompa magna religione obierunt) apparatu sane magnifico sacram arcæ Noeticæ, & summæ eius ætatis terrarum alluuionis historiam referente, exciuit ea res ad spectaculum nõ ciuitatem solũ vniuersam, sed è vicinis pagis cateruatim paganos omnes. Ciues sub Curiarum, aut Sodalitatum signis partitis vicibus affuere; sexdecim eo triduo sermonib. excitati ad pietatis studiũ, frequentissimi communicauere, ita gloriosius quam vnquam antea, de temporum licentia triumphatum.

COLLEGIVM CREmonense.

ILlustrissimo Antistite expetẽte integrum Virginum cœnobium sacris B. P. N. Ignatii commentationibus excultum, magno ipsarum Virginum bono. Externis deniq; explicata Christiani hominis officia, & Aristotelis Logica, quæ duos etiam ex nostris habuit Auditores.

Sed tantillo agello esse intacto non licuit: decerpsit cœlestis agricola florem ne, an fructum? Florẽ dicas, si ętatemquę nõdũ explerat annũ vigesimũ, & quam sui expectationem concitarat, respicias; at fructus plenam maturitatẽ assecutum, si egregias animi virtutes, & summã in obebiendo facilitatẽ.

Fuit

Fuit is Vincẽtius Sementi⁹,qui proximo anno huc missus vt (si forte)conflictatam grauibus morbis valetudinẽ firmaret patrij Cœlesti beneficio,ad cœlestem(vt speramus) patriam euolauit hoc anno, quarto ab inita Societate.

In hunc eundem annum sub Augusti finem Illustrissimi huius vrbis Episcopi Cæsaris Speciani mors incidit, vniuersæ quidem Ciuitati, ac pauperib. in primis luctuosa, nostro vero Collegio etiam peracerba. Templi quod nobis Augustissimũ sua pecunia extruebat,partem, quam superiore anno ad culmen perductam scripsimus , erat hoc anno diuino cultui dicaturus , & sacris SS. Marcellini & Petri reliquijs ornaturus;ei religioni, ac cæremoniæ diem dixerat I I I.Kl. Sept. hunc ipsum diem mors anteuertit,diuturnum quinq; & quadraginta dierum morbum subsecuta. In eius obitu quantam iacturam fecerimus,nõ facile quis verbis consequatur,aut cogitatione comprehendat,quid enim non amisimus in eo ; qui singulari quodam nos amore prosequebatur, ita vt ne Patri quidem Generali(quod aliquando familiariter affirmabat) in amanda Societate concederet ? quam quanti faceret,vel ex eo conijcere possumus, quod non vereretur asserere,neminem vnquam aut Papam, autEpiscopum bonum futurum, qui Societatẽ Iesu non coleret & amaret. Ardere scilicet oportere cẽsebat desiderio,quo erat ipse incẽsus, greges sibi commissos omni ratione promouendi perducẽdique ad æternam salutem , in quam curam quoniã tota incumberet Societas , id vnum maximè studebat, quod aliis omnib. conandum rebatur, vt il-

lam in sua Ciuitate stabiliret. Ergo & amplissimi Templi triēnio ante inchoati ædificationē strenuè vrgebat, vt quam primum videret absolutum; & de amplissimo Gymnasio ad erudiendam iuuentutem & optimis disciplinis informādam, extruēdo cogitabat, cui interim laxando & postea ad cōceptam descriptionem ædificando pernecessariā amplum Domum triduo, quatriduoue antequam migraret è vita, viginti librarum millibus persolutis coëmit. Moriēs bonorum omnium quæ ex Ecclesiasticorum Sacerdotiorum fructibus ad se pertinerent, facultate iam pridem à Greg. XIII. impetrata, testamento, dixit heredem Collegium. Illi parentatum est à nostris ea funeris pompa, & celebritate, quam & tanti Præsulis dignitas, & nostra aduersus tam pium ac beneficum Patrem pietas postularunt. Hæc de singularis erga nos beneuolentiæ maximis, & testatissimis argumentis paucissima. Iam si vel ea omnia, vel etiam quæ de viri sanctissimi immortalibus, ac diuinis virtutib. quib. effecerat vt non magis plebi, humilibusue, quam summis Principibus religiosa quadam veneratione æque, ac amore dignus videretur, si omnia inquam quæ de illis dici possent, huc conferre velim, finem nullum dicendi faciam. Vtinam inijciat alicui Deus hanc mentem, vt eius vitæ religiosissime actæ mores sanctissimos, literis posteritati commendet, habituri sanē sunt quem imitentur summi, medij, infimi. Nos certè, quod possumus amplissimi viri sanctissimam memoriam grata recordatione percolamus.

DOMVS

DOMVS PROFESSA Genuensis.

VIR perquam honesto loco natus sclopo petitus inhærente intra corpus glande plumbea, de vita periclitans, desperatus à medicis, depositus denique ac iam propemodum conclamatus B. P. Ignatij, cui suam salutem magnopere commendarat, vltro glãde à vulnere eiecta, perfecte recuperatam sanitatẽ acceptam refert. Eiusdem opem nobilis fœmina in desperato morbo præsentẽ, ex recuperata valetudine expertã se professa est, cũ vota persolueret pro salute nuncupata: Sed ne longius faciam, argentea donaria quã plurima æstimatione multum pretiosa, quæ inter statua circiter tricubitalis argẽtea 300 æstimatur aureis, satis testãtur, quanta colatur religione, quam multi pro se suisque à sanctissimo Patre, quæ postularant votis, factis impetrarint.

Sacerdos Germanus, qui Serenissimo Duce ac senatu postulantibus præsidiarios milites excolit, ex laborib. assiduis & magnis lætos atq; vberes fructus tulit, octingentos circiter paschalib. ferijs peccatorum confessione expiauit, ab eorum magno numero concubinas ita abstraxit, vt si qua postmodum ad flagitium inuitaretur, hæc ea ratione impudentem repelleret postulatorem, quod diceret, plus nimio ante à se peccatum, nunc tandem serio & constanter colendam virtutem.

COLLEGIVM GE-nuense.

PRęfecti Sodalitatis Parthenię inprimis data occasione, animi se prodidit demissio singularis. Recusabat obfirmatus animo Sodalis leuem pœnam ex culpa impositam persoluere: ad huius pedes exosculandos prouolutus Præfectus, & eius elatos fregit animos, & omnes in tantæ virtutis admiratione excitauit. Pari laude dignus nobilissimus adolescens, qui per summum contemptum calce petitus, licet iniuriam rependere facile posset, ab æquitate tamē animi singulari, ne verbo quidē iniuriam persequi voluit. Omnes cœteri summo studio virtutem colunt, ex hoc numero quinq; in nostram Societatem cooptati sunt.

Vtinam in pari causa minus diuinæ obstitisset voluntati vnici filij parens. Expetierat ille Religionem Minimorum, cuius ineundæ facultatem cum non impetraret à parente, quin potius & seruandus & dehortandus ne an corrumpendus, non sanctissimis hominibus traditus esset, fortiter ille quidem iterata tertiò fuga se subduxerat, verum retractus semper à parente, primo quidem per speciem explorādi certius iuuenilis consilii, summi Pontificis autoritate interposita (qui tū apud Archiepiscopi Generalem Vicarium diuersari iusserat) postmodum etiam propria autoritate; tandem cum supra sesquiannum tantum certamen sustinuisset, omnibus blanditiis delinitus cessit parenti filius: sed infelicis victorię non fuit gaudium diuturnum. Desciuit primo adolescens à pietatis studio, tum inui-

Inuito atque inſcio parente alienas à familiæ ſuæ dignitate, impares diuitijs nuptias, clandeſtino cõfecit matrimonio. Enimvero inopinata re perculſus parens, cum tam grauem ſibi poſteriſque inuri notam non pateretur, illum continuo domus ſuæ aditu ita prohibuit, vt nullis et principum ciuitatis virorum ſummis precibus in aliquem priſtinæ gratiæ locum, plus quondam æquo expetitum filiũ reſtituere voluerit. Caret ergo Pater ſuo iudicio, neſcio cuius caducę dignitatis cauſa, vnico filio, quo vt careret Chriſti cauſa, ferre non poterat. Maiorem quoque inopiam feret inſtabilis adoleſcens, quam ad quam fuerat Chriſti voce vocatus. Atqui multa ſe dederunt, vbi poſſet, ni male ſanus fuiſſet, diuinam cognoſcere voluntatem, quid enim aliud, dum vacillat, repentino amici odio inflictum capiti vulnus? dum ferocem frenat equum, crus ad murum prope effractum? grauis denique ex febri corporis morbus innuerent? quibus ipſe malis iterato toties religionis propoſito, perfunctus erat.

DOMVS PROBATIONIS.

INitiis ſi reliqua vita, quod quidem ſperamus, reſpondeat, omnino Societas optimos habitura eſt Religioſos, quid enim non iubeant nos ſperare ij, qui cum à parentibus dicandi ſe totos in Religione Deo facultatem vel infimis precibus non impetrarent, ſeuera ſui corpuſculi diuerberatione expreſſerunt inuitis? hac enim ratione aliqui flexis in miſericordiam non ſolum parentibus, ſed om-

nibus in vicinia degentibus,ijsdem deprecatorib. repugnantes exorarunt. Aliis alia ratione parentum duritiem mollire contigit. Sed omnium laudes obscurauit vnius præ ceteris spectata virtus, atque constantia, is erat adolescens nobilis inprimis, seniori auunculo, à quo fuerat à teneris educatus, apprime carus, ab eodem ille in nostram disciplinam traditus, nostrorum cum vsu, tum exemplo flagrare cœpit studio Societatis, quod ne forte, vt ferè fit, elanguesceret, priuatis se se votis obstrinxerat Deo, orare interim, obsecrare, obtestarique superiores nũquam destitit, quoad voti compos factus est, sed ita, si de re tota suos faceret certiores. Annuit Adolescens, Auunculumq; adoritur.

Ibi tum ille commotus quidem animo, sed, prudenterne, an callide dissimulans, facturum se, inquit, potestatem, moneat modo patrem per literas, (erat ille Neapoli, natali solo eiusdem adolescentis) nihil hic recusat, quo minus cogitata perficiat, literas dat vnas, binas; nulla responsio. Inter hæc auunculus, occasionem nactus opportunam subitæ nauigationis, è vestigio nepotem in ipso propemodum soluendi articulo, conscẽdere, seq; ad patrem, qui graui decumbere morbo simulabatur, Neapolim conferre iubet. Non sensit primò fraudem Adolescens; itaque seriò profectionem adornabat; rem tamen, iniecta proculdubio diuinitus mente, diligentius pensitans, aliquid subesse suspicatus est. Verum quid hic faceret? detrectaret imperium? at auunculi vim metuebat,

pareret vltro? at in præſens ſe inferre periculum vocationis refugiebat.

Quid igitur? optimo conſilio ſtatuit artem eludere arte conſimili, nihil ergo ſegnius, quæ viderentur profectioni neceſſaria comparare ſe ſimulat. Interim omnia circumſpectans diuerticulum videt, commodamque occaſionem declinandi, ſtatimque è conſpectu ſe proripit, & ad Probationis Domum aduolat, longè ab vrbe diſsitam, ſole æſtiuo, ac meridiano efferueſcente. Sed, parua mora: cum ecce tibi famulus domeſticus exquirens, numquidnam eo veniſſet herilis nepos, factum audit, heroque ſtatim renunciat, ille ſuccenſus ira ſubmittit alium cum equo, qui ſeuerè iubeat, vti eo quamprimum conſcenſo domum redeat. At ille in ea ſe domo eſſe renunciare iubet, quam ne regia quidem ſit commutaturus; Auunculus ergo ad nos præproperę indignabundus venit, querelas iactans, & minas intentans, ni ſuus ſibi reddatur nepos. Sed fruſtra, nam adoleſcentulus in bene cœpto conſtans, quamuis à magiſtro reuertendi liberè poteſtas fieręt, ſe malle reſpondit emori, quam hinc vel pedem vnum efferrę.

Primarios igitur Romanæ Eccleſiæ Patres purpuratos adhibet, quorum opera auctoritateque impetrat à P. N. Generali, vti adoleſcens primo quoque tempore indutus eodem, quo hactenus vſus erat ſeculari habitu, ad Patrem Neapolim tranſmittatur, tum eius viſendi gratia, tum magis res componendi cedendiq; iure, quod habebat in paternis bonis, maximeque ijs, quæ

baroniæ appellantur, quod hæreditario iure, quippe fratrum maximo, illi debebãtur. Incredibile dictu eſt, quantum, hoc audito nuncio ceperit animi dolorem. Sed, quandoquidem parendum erat, id egit, quod vnum reſtabat, vt iret, rediretq; quam tutiſsime. Datis ergo ad P. N. literis, orat vti ſibi tãtum iter cum aliquo è noſtris ingredi per illum liceat; tum noſtrorum tantum, quamdiu Neapoli commorandum foret, domiciliis vti; denique vt confectis negotiis, quorum cauſa eò mitteretur, huc quam citiſsime cum eodem comite redire liceret. Exorat, paucorumque dierum itinere Neapolim peruenit, ſi quo animo quæras, non ille quidem læto, ſed erecto tamen, &, ſi quid obiiceretur, ad vincendum parato. In ea vrbe apud noſtros in Probationis Domo diuerſatus, nuſquã omnino pedem extulit, donec poſt aliquot dies à parente, propinquis aliquot comitantibus, inuiſitur, atque in primo quidem congreſſu actum vtrimque perhumaniter, deinde orta contentio.

Ille paterna autoritate, rationibuſque in ſuam trahere ſententiam filium: hic contra obſiſtere, & modeſta quadam grauitate, & veris iuſtiſque reſponſionibus. Patrem deinceps alia machinantem, vt ſe moleſtiis expediret, fuga deſtituit, atque ad Probationis ſe Domum recepit. Erat aliquot ab hinc annis infeſta Domus hæc variis nocturnarum beſtiolarum, quas martes appellant, excurſionibus, quæ vel ſæpe ſomnum dormientibus excuterent, vel terrorem etiam incuterent meticuloſis. Ad eas aut capiendas, aut abigendas multa ſæpè fruſtra tentata, ad extremum viſum eſt Magi-

ſtro

ſtro,non tam ſpe rei perficiundæ, quam tironum obedientiæ vel tentandæ,vel exercendæ,tale quippiam experiri. Vnum è Nouitiis aduocat adoleſcẽtem, religioſa ſimplicitate,huic ceteris audientibus: Tu,inquit, ſub ueſperum antequam cubitũ ſocii ſe recipiant,ad ſummum venito cacumen,beſtioliſque illis nomine ſanctæ Obedientiæ præcipe, faceſſant hinc quantocyus, neue vllam nobis amplius moleſtiam exhibeant. Annuit ille,& nulla mora,cum tempeſtiuum viſum eſt, quaſi ex formula nihil planè dubius, Superioris præceptum denunciat. Mirum;quamquã ipſa nocte, quæ proximè inſequuta eſt, auditus ſtrepitus, ne qua fortè Tironi ex virtute ſuboriretur gloriola,in poſterum tamen nihil vnquã amplius exauditum; quin quod magis mirere, aliqua ex his beſtiolis poſtridie eius diei,in hortis proximis (qua ratione incertum)inuenta eſt mortua, vt nullus dubitandi locus ſit relictus,quin tantæ in parendo facilitati, tam candidę facilitati ſit adſcribendum.

A Patribus Tertianis longè præclara probationis initia poſita,eorum incredibilem diligentiam, curam,ſolicitudinem, charitatem nunquam non prædicabit ciuitas Genuenſis, qua ægrorum inſanabilium(quam prouinciam alii Religioſi ſuſceptã depoſuerant)commodis ſeruierunt,confeſsionibus audiendis,publicis, priuatiſque adhortationibus habendis, viliſsimis quibuſque magna animi alacritate muneribus obeũdis, dum apud eos cum ſuo inſtructore, non paucis diebus magno ægrotantium bono,Noſocomii Præfectorum approbatione diuerſati ſunt.

Læta triſtibus miſcuit perilluſtris viri Bernardi Vncice huiuſce noſtræ Domus fundatoris mors, nobis quidem, ſi charitatem, qua Ordinem noſtrũ complexus eſt, conſtantiam, qua fouit, reſpicias, luctuoſa, iucunda ſi pietatis, religionisque ſtudia, quibus viuens ad æternitatẽ ſibi præmuniuit aditum. His non contentus, tantam pecuniæ ſummam ad hanc Probationis domũ conſtituendam contuliſſe, quæ annuos aureos redderet ſexquimillenos, non exiguam quoque ad ædes noſtris vſibus percommodas excitãdas, & iisdem inſtruendis, domeſticam identidem ſupellectilem ſuppeditaſſe. Extruxit etiam, quò noſtrorũ poſſet non tantum iucundiſsima ſibi conſuetudine perfrui, ſed & vtilitati commodiſquè inſeruire, domunculam ſibi noſtris iniunctam ædibus, in qua decem ipſos annos ita vixit, vt quicquid poſſet ex neceſſario vitæ cultu ſubtrahere, id omne ad vſum Nouitiorum (quos ſuauiſsimo nomine filios appellabat) ſumma animi alacritate ſubmitteret. Hic ergo tam pius, tam liberalis parens diutino confectus morbo, ſatis intelligens diem ſibi ſupremum adeſſe, aduocato Patri Rectori ſyngrapham primo dat, qua quid de ſe, ſuisque rebus ſtatim ac ceſsiſſet vita, factum vellet, erat notatum. Eius ſumma erat, animi ſe corporisque curam Societati commendare, ac de animo quidem ſatis ſcire noſtros plus etiam, quam expectet eſſe facturos, corpus vero à nobis tantum efferri more noſtro, nulla inſigniori pompa, aut apparatu funebri, in noſtro templo, & ſepulchro condi, & ne vllum omnino epitaphium ad ſcriberemus, velle, iubere.

Cete-

Ceterum fortunarum (præter id quod domi esset, quod nobis addicebat) fratrem ante annos aliquot ex asse hæredem à se esse testamento institutum, ea lege, vt vel quingẽtos aureos supra septẽ millia intra sextum mensem repræsentaret, vel si id temporis pateretur elabi, duorum annorũ spacio duo insuper millia & quingentos rependeret. Summam certis præfinito annorum numero, pẽsionibus soluendis repræsentaret; quæ in sortem redacta vectigal augeret pluribus alendis Nouitiis. Ita non solum viuens, sed, qua erat in nos charitate, ẽt moriẽs Societati vt prodesset prouidit; Tum petit imperitri viatico, & sacro oleo inungi, ceterisque muniri præsidiis, quæ ad obeũdam piè mortem viderentur necessaria. Inter hæc accersi rogat Nouitios, quos summa animi voluptate intuitus, & alloquutus, postulauit vti pro se ad Deum preces funderent. Quod dum illi faciunt, rogatus Pater Rector IESV, & MARIÆ nomina sæpius inclamantis commendat animam, ac vix dum absolutis sacris precibus, oculis in Cælum defixis, placidissime expirat ipso die peruigilio Epiphaniæ Domini, cuius ille mysterii mirum quantum esset studiosus, quantaque religione icunculam id ipsum mysterium referẽtem collo suspensam gestaret. Curatum cadauer ad eius præscriptum, at tanti viri, tantæque ipsius erga nos Humanitatis memoria, tandiu nostris infixa mentibus viuet, quandiu nos per ipsum viuemus.

Sed enim hoc vix dum parente vita functo, aliũ præpotens Deus nostrã orbitatẽ miseratus, in eius

locum

locum ſuffecit virum patricium æque diuitijs, ac nobilitate clarum. Hic Confundatoris nomine contentus, annuo quingentorum aureorum vectigali cenſus noſtros auxit, ſummo tamen interim ſtudio nomen ſuum ſupprimi curans.

Inſtauratum poſtremo templum, plurimorum diligentia annorum expetitum, anno tandem ſuperiore Pontificio nobis diplomate addictum. Eſt hoc antiquiſsimum, nongentis amplius ab hinc annis exædificatum, ſecto quadroque lapide, & S. Ioanni Baptiſtæ dicatum, hoc fatiſcens vetuſtate reficiendum fuit, cui rei non paruo fuit auxilio ignoti hominis pia liberalitas, qui tranſmiſſa non parua aureorum ſumma munificus eſſe, quam haberi maluit.

COLLEGIVM BASTICENSE IN Inſula Corſica,

VEntitat ad nos mortalium grandis numerus confeſsionis gratia, non ſolum noui, & veteris vici, in quos diuiſa eſt ciuitas, ſed vſque à ſexageſimo, & ſeptuageſimo lapide. In tollendis inimicitiis, conciliandis diſcordibus ſunt plurimi.

Mortiferis vulgo graſſantibus morbis, queis abſumpti plurimi, ab ægrotantibus acciti ſolatio fuerunt, & auxilio, tãta omniũ approbatione, vt optare ſe dicerent ſani, ſi quando naturæ concedendũ eſſet, inter Patrum manus expirare, vereri autem ne quo caſu, criminibus ſuis id exigentibus, tanto bono noſtris abeuntibus priuarentur.

Ab Antiſtite loci populares Chriſtianis moribus

& do-

& doctrina instituendi, quod quatuor locis præstatur, nobis commendati sunt.

Quinque sese ex congregatione Capucinis adiunxerunt.

RESIDENTIA ALEXANdrina.

ALexandrina ciuitas cum semper insigni erga nos beneuolentia fuit; tum verò hoc tépore impensius fouet, aucta spe expetiti Collegii obtinendi, cuius institutionem ne quid remoretur, omni ope occasionem vrget. Primariis inde viris, potissimum vero ex sacro Purpuratorũ Patrum Collegio deprecatoribus apud P. N. Generalem adhibitis; hic publico decreto trecentorum aureorum pensione annua constituta, quo ad viuet vir nobilissimus Oliuerius Pannichonius insignis Societatis Nostræ benefactor; cuius maximè opera effectum, vt in hanc vrbem acciremur, eius enim morte tantundem ad nostros prouentus accessurum videtur. Huic tantæ beneuolentiæ Sacerdotes tres, quibus inseruiunt Coadiutores duo, quam potuerunt gratiam summo studio rependerunt, excitandis omnibus, & iuuandis ad pietatem, alius concionibus, omnes assidua audiendarum confessionum opera, conciliandis dissidentibus, Societatis deniq; omnibus obeundis muneribus.

RESI-

RESIDENTIA TICINENSIS.

Ticini sedatę rixę frequentes; sublatę discordiæ conciliatiq; plurimi, inter quos non sine magna cōtētione parenti filius. Quatuordecim sacrarũ Virginũ cœnobia nostrorũ adhortationib. & extraordinariis earũdē audiēdis cōfessionib. exculta ad pietatem. In nostro templo doctrina christiana traditur m gna frequentia, maiori fructu, sed maximus ex sacris confessionibus percipitur. Addã factum, in quo nescias vtrum magis pudicitiæ ne amorem, an Diuinam animaduersionem mirere. Scelesto amore impudicus virginem ætate nubili adamabat; illa contrà Sacerdotis nostri admonitionibus infixũ penitus medullis castitatis fouebat morem. Ergo procus inferni amoris furiis incitatus, certus explere tartaream sitim, quando blanditias, preces, pollicitationes irritas cernit, vim parat assumptis multa nocte sociis sui similib. ad virginis domũ properat, ost ũ molitur, virgini manũ infert, inclamat illa clamore, & eiulatu cœlitũ hominumq; fidē. Verũ nullo vel ex solitudine regionis, vel ob nocturnos tenebrarũ terrores, aut armorũ strepitus (nimirũ tãtum nefas nō erat ausurus inermis) suppetias ferente, ipsa pugnis, quod poterat, vnguibus, morsu se se tutabatur. Sed robustissimis infirma longè impar virib. extrahebatur nihilominus domo, cũ ecce inter pertrahēdũ ac resistendũ humi vehemētius impulsa concidit; ibi tum illa, vsu occasione, stridulo suspirio moriētē imitata statim sine motu, sine voce iacuit. Credidit impurus cœcante mentē Deo, ex pauore illã, aut casu vitæ cōcessisse, nihilq; vltra tētans exterritus

ritus auolat. Sed adfuit vltor Deus. coorta postridie inter scholasticas rixa, solus ex omnib. displosi sclopeti ictum lethalem excipiens, paululum progressus, ante virginis ostium moribundus cōcidit, & quāquā Medicorum ope in mensem extraxit, non tamē euasit. Sed vt ad nos. Cōgregationi Nobiliū addita hoc anno vna opificū, altera scholasticorū, in omnibus viget maximè studium pietatis. Cœterum inopiā nostrā Illust. Antistes quinquaginta; alius vir nobilis centū aureis nūmis leuarūt.

DOMVS PROBATIONIS ARONENSIS.

SAcerdotes proxima circūquaq; oppida, & villas verni potissimū ieiunii tēpore, habēdis cōcionib. confessionib. audiēdis magnopere iuuerūt, duob. Oscellā, quā nūc mutato in barbarū nomīe Ossulā vocant, adire contigit, qui ad Sedunorū, & Heluetiorū fines magno incolarum bono excurrunt.

Tironū duorū potissimū eluxit constantia. Alter vlcerosa tibia permolesto conflictatus morbo, incassum periti Medici diligentiā, ac remedia cernēs adhiberi, veritus ne quā grauis morb. afferret necessitatē abeundi, cœlestiū sibi opē implorandā cēsuit, illis ergo in vota vocatis, tibia, quæ propiꝰ aberat ab incurabili, cōualuit. Alter quo ægritudo lōgior, & periculosior, eo clarior, hic sui similis, cum magno animi ardore proximo āno frustra aduersantib. parēte vidua, fratre natu maiore, patruo, auūculis, oīb. nobilitate, ac diuitiis præpollentib., se Deo adiūxisset, pari cōstātia fratrē, q, cognita ipsiꝰ valetudine, citatis eqs quatuor dierū itinere aduolarat, vt abduceret, per speciem sanitatis beneficio clementioris cœli recuperande, sic dimisit, vt paucis gratias agens, diceret non esse, quod plurib. de

loci

loci mutatione secum ageret, maturaret proindè reditum in patriam, sibi melius esse non posse, quod in Domo Dei, cui valetudinem suam curę esse certò sciret, prudẽter scilicet recusans nescio qua spe recuperandæ sanitatis, vocationem suam, quod fermè accidit, in discrimen adducere. Vnus ex Coadiutoribus vita functus est.

Pijs B. P. N. Ignatij commentationibus eruditi aliquot, qui in loco non procul ab Arona, cui ab S. Christina nomen, degentes, ea lege videntur adstricti, vt beneficiorum omnium onere soluti, ad Reuerendissimi Nouar. Episcopi nutum in proximorũ salutem incumbant, ex his vnus Societatem magno animi ardore expetit.

Oppidanis duobus arma manibus excussa; horũ alter alteri non leuẽ infamiæ notam inusserat, nunc vnius è nostris opera ita conciliati, vt mutuis inuicem beneficiis, non solum beneuolentia, prosequantur.

NOVVM COLLEGIVM Nicænum.

ALiquot annis Residentia Niciensis intermissa superiore anno repetita est, nostrũ Collegiũ expetẽtib. plurimis, quod summo inferni hostis conatu sexdecim annis oppugnatum, hoc tandem optimorum virorum ope atque opera perfectum est. Id effecit qui multò antè de eodẽ constituendo cogitarat, serioque agere instituerat, fundator nobilis vir Põtius Seua Nicænus ciuis. Sacerdotes duo huc primum profecti cum fratre Coadiutore; qui necessaria Collegio constituendo compa-

comparararent, ſolemnia Societatis munia repeterent.

Sed maximas continuò turbas cõmouêre, qui minime debuerant, Religioſi viri; quorum malè ſanos conatus, ſummus Antiſtes magna autoritate compeſcuit. At ecce nondum tumultuantium æſtus reſederat, cum vt adeſſe Deum pro pietate laborantibus agnoſcerent, magna Ciuitatis vniuerſæ gratulatione, ædes ædificando Collegio loco ſupra quam ſperabamus ad noſtra officia, ſiue ex celebritate, ſiue ſalubritate opportunò; poſt multam diuque inanem operam, oblatæ ſunt coëmendę, quę occaſio negligenda viſa non eſt, amicis fundatore, ciuitate adiuuante, & Religioſos compeſcente.

Acceſsit, quòd grata ciuitas dedecori ſibi ducens, ſi quãdiu hic Reſidẽtiæ nomine verſaremur, oſtiatim emendicato viueremus; id ſibi ſumpſit, vt nobis neceſſaria victui ſubminiſtraret; Fundatori vero noſtro ſtatuam publicè locaret. Hæc ergo in nos à ciuitate, illa viciſsim à nobis in ciues. Reſtituta primo B. V. Sodalitas, in quam conuenientes adoleſcentuli iam nunc incipiant Chriſtianis imbui moribus, poſtmodum liberalibus inſtituẽdi diſciplinis. Altera virorum nunc primum erecta B. M. V. Annunciatæ titulo, in eam & Epiſcopus; & alii primarii viri nomen dederunt, feſtis diebus in ſacello noſtro perquam religioſe Sacramenta obeuntes. His ita domi conſtitutis, itum eſt foras; & concionibus, pijs colloquijs, conſilijs, adhortationibus Chriſto plurimos adduxerunt. In quo genere hæc. Prælatus qui contra ſacrorum ſtatuta

tuta canonum, laico Iudici communione interdixerat, quo ex Iudicio proditura videbãtur grauiſsima mala, noſtrorum opera conciliatus eſt. Alium pari dignitate ad caſtigatiorem viuendi rationem traductum, ita nobis deuinximus, vt cũ multa, & magna in nos contulerit beneficia, nihil tamen ſe feciſſe pro nobis prædicet, quibus ſcilicet pro ſuo iudicio omnia debeat.

Obſtetricis impudentiæ prouiſum, quæ adulteriorum potius, & ſtuprorum erat internũcia, & alienis miniſtra filijs ſupponendis, multorũ cauſa damnorum; Hanc ciuitati gratiam, quæ publico illam ſtipendio ſuſtentarat, rependens. Æris fœnebris reſtitutiones magnæ & plures factæ. Familijs duab. matrimonio conciliatis obuiam itum certæ duorũ neci. Catholicæ Eccleſiæ reconciliatus vnus luce palam. Multi nulla Religione ſeruilibus operabantur feſtis diebus tam in agris quam in vrbe; in eam corruptelam inuectus pro concione noſter effecit, vt vterque Magiſtratus Eccleſiaſticus videlicet ac laicus, ſeuero interdicto obuiam iret. In frequenti Confeſſariorum conuentu cum noſter opportunè diſſeruiſſet de Confeſſarii munere, id inter cœtera eſt aſſecutus, vt omnes intelligerent adigendos eſſe pœnitentes ad Chriſtianæ fidei rudimenta perdiſcenda, grandiores pueros ad frequentem confeſsionis & Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſum inſtituendos, & adducendos, quin ipſemet Epiſcopi Vicarius ſuo cœteros exemplo excitaturus, tradendo pueris Doctrinæ Chriſtianę munus obiit ſtudioſiſsime. Sed non immorabor ſingulis quæ à duob. illis Sacerdotib. præſtita ſunt,

quod

quod & multa ſint noſtris trita, & non pauca quæ nullo pacto publicis literis committenda videantur. Ad Kal. Nouembris Reſidentia in Collegium commutata vndecim Socios alere cœpit, quinque erant Sacerdotes; Coadiutores duo, reliqui quatuor, tres Grammaticæ Scholas, vnus humanitanitatis explicabunt. Sed expetentibus Nicænis & Rhetoricæ etiã & Logicæ Scholæ non ſolũ duob. in eas Sacerdotib. deſtinatis conceſſæ, verum etiã oblatæ aliæ duæ, Matheſis, puta, & caſuũ cõſciẽtiæ.

COLLEGIVM MONTIS REgalis in Subalpinis.

SAnctiſsimæ Euchariſtiæ Hilaribus proponendæ ad quadragenarum horarum ſupplicationẽ conſuetudo (impenſas Reuerendiſsimo Epiſcopo faciente)nunc primum aſcita ciuitatem attraxit vniuerſam, oblectati omnes mirificè muſica ſymphonia. Sed adhortationum præcipuus fructus. Choreæ præſertim peſſundatæ. Contra illas meditatam attulit orationem noſter multis rationibus, appoſitiſque declarans exemplis earum turpitudinem, certaq; offendendi pericula. Ergo Nobiles maxime viri, filiabus vxoribuſq; choreis interdixerunt, honeſtoq; loco nati Adoleſcentes non pauci ad eas inuitati, adire recuſarunt, quæ pro concione dixiſſet Pater, repetentes. Eandem horarum quadraginta religionem Cheraſci in oppido Monti Regali proximo, præpoſiti noſtri & amiciſsimi, & hoſpitis rogatu obierũt Sacerdos cũ vno Magiſtrorũ, quib. dieb. aliquoties ad populum verba facientes, mortales plurimos ad

Sacramenta rite obeunda perpulerunt. Sed conciliati hostiliter dissidentes, potissimus laboris fruct⁹, & gratia tãta, vt nec vllæ sine nobis cõciliationes pertractandæ susciperentur, nec vllæ à nobis susceptæ, quæ non optatissimum finem repererint.

Logica præter externos numero non contemnendo septẽ habet ex nostris auditores, o&auum febris abstulit acuta, Philippum Albonesium, qui antequam philosophiæ curriculum occiperet, vitæ confecit, adolescentulus qui virtute æquarat longæuos: tribus enim annis quibus in Societate vixit, id erat assecutus, vt nihil in eo reprehensione dignum videretur, tãta erat modestia, animi trãquillitate tam singulari, spectataque in omnibus, maximè vero in extremo pergraui morbo, patientia.

Cum Episcopo Cunium (nobile est oppidum incolarum frequentia, & nobilitate Monti Regali, ad cuius Diœcesim spectat, nihil concedens, ab eo decem passuum millibus dissitum) missus Sacerdos præter cœtera, in cœnobio Virginum disciplinam, quæ longè multum à suis finibus deerrauerat, restituit.

COLLEGIVM TAVrinense.

TEmpli nostri ædificatio mille & quingentis aureis, quos Serenissimi Ducis ciuiumque liberalitas contulit, impensis, incremento magno processit

cessit: milleni quoque insumpti in prædio Collegii instaurando, augendo agrestibus casis, quæ agricolis, pecori, fœnoque excipiendo sufficerent, spe certa annui redditus amplioris.

Per eos dies quibus verna peragũtur ieiunia, in vrbe duo concionati, alter in nostro, alter ad Serenissimos Principes in templo maiori, vterque audientium magna frequentia, & approbatione, fructu non dispari. Sed alterius frequentior semper concio, hora licet minus opportuna. Plures ille nobiles viros fœminasque de tota vita confitentes audiuit. Concione de inimicorum dilectione habita necem meditanti ferrum excussit è manibus, odiũ ex animo. Alius vir sanguine nobilis, Ordine eques, sed effrenis licentia, concionatoris nõ verbis magis quam vitæ integritate & innocentia, suauitateque morum ac consuetudinis captus, ad eius pedes prouolutus: Trado me, inquit, totum tibi Pater regendum, vitam moresque mutare in melius certum est mihi, quæque licentius viuendo deliqui, ea exquisitis in me ipso castigare pœnis. Tu quid censes? Capuccinorumne iubes suscipere institutum? equidem omni ope contendam; demississimis flagitabo precibus, nec modum faciã nisi voti compos. Simul his dictis vitam omnem confessione piauit. Exculti piis B. P.N. Ignatii cõmentationibus tres: Sacerdotes duo, laicus Iurisprudentiæ laurea decoratus tertius. Sacerdotum alter quoniam in Societatem admitti non impetrauit ob infirmã valetudinem, qua ratione potest æmulatur religiosam vitã, optimo ad permouendos plurimos exemplo; & scripto testamento triũ

millium aureorum Societatem dixit hæredem. Abiecta Hæresi ad Ecclesiam aggregati quatuor, quos inter fœmina, quæ ab incunabilis hæresim cum lacte suscerat. Auctarium accessit Turca, qui sacris fidei mysteriis imbutus dum sacro tingeretur lauacro, susceptores habuit Sereniss. Principes.

Nobilium ad hæc familiarum incolumitati à veneno cautum. Innoxius exemptus vinculis, ereptus hostium insidijs. Virgines ex pudicitiæ periculo in tuto locatæ. Permulti quod non essent soluendo, detinebantur in vinculis, frustra. Tantum enim aberat vt hac ratione suis ipsi creditorib. facerent satis, vt potius ex inopia omnino nudi frigore, ac fame conficerentur. Huic malo remedium pro virili afferre nostri conati, non paucos vinculis leuarunt; impetrata à creditoribus nonnullis debitæ pecuniæ remissione, ab aliis verò lõgiore ad soluendum die.

Interim illi vestibus emendicatis contecti, & quamdiu in vinculis fuere, bis in hebdomada conquisitis tota vrbe eleemosynis pasti: deferentibus prægrandem nostris lebetem ad carceres pulmento plenum, non sine pane, ac vino. Ergo infelices ex Orci faucibus erepti nobis gratias agere, vitam debere, deferre.

Excursum quoque Dominicis verni ieiunii diebus in proximos pagos concionum causa. Sacerdos quidem vnus in proximum vrbi, vbi facta diuini verbi semente conciliatæ inter multos gratiæ, lætos manipulos retulit. Alter vero nondum sacris initiatus, matutino tempore non ita procul vno in pago, pomeridiano in altero conciones habuit.

buit. Hic occaſione vſus excitati in oppido duas in factiones diuiſo tumultus, de pacis bonis diſſeruit acriter, eoque alterum adduxit ex ducibus partium, vt, quamquam læſus prior, iuſte videretur iniuriam perſequi, paratum ſe tamen ad omnia exhiberet: qui læſerat obfirmatior animo ad nullas deſcendebat conditiones, donec repetino vxoris morbo permotus, vltro etiam noſtrum de pace concilianda interpellaret, cuius (inconſtans) nullos erat fructus guſtaturus, nam recuperata breui vxoris ſanitate, rediit ad ingenium, conatus noſter nequicquam ad ſaniora pertrahere conſilia, obdureſcebat ille magis, nullis flectebatur precibus, nullis molliebatur lachrymis, diuinæ vltionis minas ſurdis excipiebat auribus. Sed non diſtulit ab illo pœnas expetere præpotens Deus; nam paulo poſt apoplexia correptus paucis horis exceſsit è viuis, vnius morte paganorum omnium tranquillitati, innocentis ſecuritati proſpiciente Deo. Fœmina longè prudentior, quæ multis domeſticorum affiniumq; iniuriis ad vltimam prope redacta deſperationem, ex noſtri cōcione adeò erecta animo recreataque eſt, vltro vt acceptas iniurias condonarit, gaudentique animo bonorum ſuorum rapinam paſſa; vt Chriſti gratiam lucrifaceret.

MISSIONES ALIQVOT.

LVcernensis Missio multis ante annis instituta ad gentem hæresi latius dominante quà retinendam in fide, quà reducendam. Certam sedem habet Bibianę, oppido nobili & frequẽti. Inde vallis vniuersa nostrorum excursionibus lustratur, concionibus priuatisque colloquiis ad pietatem veramque religionem excitatur. Respõdet vtcumq; in gente desertoribus plena labori fructus, nam præter pacificationes plurimas, multos in fide cõfirmatos, extractos peccatorum cœno quam plurimos, nonnulli sunt ad rectè de religione sentiẽtium cœtum aggregati. Bibianæ quidem duo, alter adolescens in Caluini dogmatibus apprime versatus. Prouectior ætate alter, qui acerbo lateris capitisque dolore correptus, assidua grauique febri exagitatus, desperatus à medicis, cum nostrorum monitis Catholicam respexisset Ecclesiã, Sacramentorum particeps esset effectus, recuperata non sine miraculo valetudine, veram fidem nõ minus corpori, quã menti expertus est salutarem. In oppido non longè dissito, cui à Turri nomen, fœminæ nobiles duæ. Altera ætate nubili viri primarii filia, nupsit statim adolescenti bene pio, & Catholico, ne qua postmodum nuptiarum occasione fidei firmitas labasceret. Alterius etiam constantia clarior. Eam recens Deo conciliatam dœmon non inter nocturnos tamen tenebrarum terrores, sed luce palam adortus hortando, impellendo, minis territãdo ad hæresim reuocabat, frustra: nã Christo innixa importunũ hortatorem iterato

sæ-

sæpius Iesu & Mariæ nomine, turpiter victū fugere cōpulit. Hęc postea narrabat Christi specie victoriā gratulantis, & ad perseuerandum hortantis, mirifice esse recreatam. In alio oppido vnicus solus nondū prauas opiniones excusserat, hoc tādē anno, quamquā certus lautæ hæreditatis, quā hæreticus ab hæretico præstolabatur, iacturā se esse factu-rum, hęresim tamē eiurauit. Sed illud mirū, quod ministrorum etiam iniquitatis opera vtitur Deus ad aberrantes à Religione reducendos. Confugerat ad Augustinum celebrem Apostatam desertor sacerdos, exuturus cum fide Deum, at illum Augustinus graui sanę oratione cohortatus, vt redderet se Ecclesiæ, ad nos destinauit, à quibus benignè acceptus Deo reconciliatus est. Idem aliis contigit, vt alterius desertoris consilio & impulsu ad claustra vnde diffugerant, libentes redirent.

Seualdisium Fossanensis est Diœcesis oppidum nō infrequens; eo missus Sacerdos vnus è nostris, qui per sacri ieiunii dies ad Oppidanos concionaretur. Fossano iter faciendum fuit, non itineris ratione magis, quam Episcopi iure, nostrisque constitutionibus id exigentibus, vt se Antisti sisteret, in cuiuis ille Diæcesi erat operam positurus. Commodum quadraginta horarum supplicationē ante cineralibus diebus erat celebraturus Antistes, cum nostri Sacerdotis aduentu lætus, iubet illum hisce diebus ad populum verba facere, paret ille; idque munus semel iterumque studiose obit, & accuratè. Cumq; doctrinam, pietatem, dicendiq; vim,

& perſpicuitatem Antiſtiti ciuibuſque apprime probaſſet, de eo Franciſcani concionatoris loco, qui nondum aduenerat, retinendo agitant, nec latuere noſtrum conſilia, eoque impenſius ſuſceptum iter maturare inſtitit. At ciuitatis conſules litteris ad ſuper ea re Franciſcanorum Prouincialem datis, impetrant non grauatè. At erat exorandus noſter, mittuntur ad eum certi homines cum literis; ſummis ab eo precib. cōtenditur, acquieſcat tam pio ciuitatis voto, nec oppidum vrbi prælatum velit. Ad ea noſter agere vero conſulib. gratias, tum non æquum ſibi videri, reiici delectum concionatorem doctrina, ac pietate conſpicuum, idque ſui cauſa, qui eam nactus prouinciam, Franciſcano concionatori libenti animo fuiſſet conceſſurus. Tanto demiſsi animi exemplo non minus, quam antea oratione capti Conſules, ciueſq; acquieuere. Ille in aſsignata ſibi à ſuperiorib. prouincia, non concionibus ſolum, audiendiſue confeſsionibus, inter quas vitæ totius quinquaginta, non his inquam ſolū, ſed tradenda ēt pueris doctrina Chriſtiana, cuius rei vsū primus inuexit, priuatiſque colloquiis plurimos mortalium ad ſanctiorem viuendi rationē perduxit. Inter hos duo concubini, quorum alter relicta bonorum portione tanta, quanta alendis duobus quos de concubina ſuſceperat, filijs, ea mente patria quaſi profugit, vt in aſperam victu, cultuq; religionē ingreſſus, Deo piè ac religioſe viuat. Alter quod aleret domi pellicem, deſignari ſe putarat, dum inter cōcionandum noſter in eius generis mores inueheret. Ergo illum adiens grauiter tamquam de iniu-

ria conqueritur, negat consultò factum Pater, sibi illum nec facie nec nomine notũ, quidquid esset à se dictum, illud generatim contra vitia dictum esse. Hinc vsus occasione insinuat sensim semet in eius amicitiam; tum familiariter in quanto versetur discrimine salutis aperit, rogat id consilii capiat, quod in extremo vitæ articulo constitutus cepisse vellet; quod postulanti amico, cui bene consultum vellet, ipsemet præberet. Amico hæc semel iterumque; donec affulsit illi diuinæ lucis radius, impetrataque ab Antistite Fossanensi facultate, fœminam genere, ac natalibus longè imparem iis ipsis diebus matrimonio sibi iunxit. Eiusdem Sacerdotis opera dissidia quam plurima sublata, parenti vero maximè, ac nouercæ persuasum, vt filiam domo eiectam reciperent, condonatis inuicem contumeliis.

Per eosdem dies alius Salinas (Salutias incolæ indigetant) qui Ecclesiasten ageret missus. Ea ciuitas Marchinatus caput Galliarum quondã Regi paruerat, iam vero non multis ab hinc annis in Allobrogum Ducis ditionem concessit, huic quanta animi alacritate, ne desponderet in tam densa vitiorum sylua, quantis viribus ne succumberet; quantis laboribus, vt fructus aliquos colligeret, opus fuerit, non facile non expertus assequatur.

Multis vitiis remedia adhibita, præcipuè superstitiones vigebant. Alij n. dentiũ dolores mitigare, sanguinẽ sistere, mederi cicatricib. adustioni, verminationi puerorũ; arcere febres signis tãtũ arcanisq; quibusdã submurmurationib. (tacitas agnosce cum dœmone pactiones) vulgo solebant.

Non-

Nonnulli ad quartanam depellendam ægrum iubebant addictam diem oriente ſole in fluminis rpia conſiſtere, febrim ſcilicet in eum, qui primus pertrãſiret, immigraturam. Quibuſdam erat perſuaſum ſingulis ſi ſextis Martii menſis feriis, bene mane, quãtum vno hauſtu poſſent vini haurirent, id vero ne quando ex vulnere venis deflueret ſanguis vniuerſus, profuturum. Quid quòd non pauci (impio ſane hæreticorum commento) ſexta maioris hebdommadæ feria ante alium omnem cibum ſuillæ carbonibus toſtæ, certos numero bolos comedebant, aſſerentes nullum ea ratione ſibi ab angina, toto anno fore periculũ. Alii vero contra, ne febri corriperentur (religioſi homines) Sacroſancto Anaſtaſis Dominicæ die, aut ieiunabant, aut certe ab edendis carnibus abſtinebant. Recens natum infantem ad Eccleſiam ſacro fonte piandum non niſi ardente præeunte cereo, deferebant, quod nec lapſum in flumen (quod prætereundum erat) periturum, nec vita inteſtato migraturum rebantur. Contra hæc aliaq; eius generis portenta tanto ardore animi, tanta contentione pugnauit dicendo noſter, vt ex hominum mentibus penitus inſita & vetuſta, Vicario, cæteriſque primariis viris mirantibus, ampliſsimiſque teſtantibus literis, euelleret, aboleret. Hoc factum conſecutæ confeſſiones à prima pueritia repetitæ magno numero, fœnebres præterea contractus reſciſsi, alienæ pecuniæ vis magna reſtituta. Irrepſerat inter cætera, vt Hebræi Chriſtianarum fœminarum ſeruitio abuterentur. Enimuero dignum ratus noſter, quod ea conſuetudine magnum adi-

rent ſalutis diſcrimen, acri, ac vehementi oratione allatis ſummorum Pontificium ſanctionibus, quibus excommunicationis pœna propoſita, eiuſmodi famulatu interdiceretur, Chriſtianas ab eo deterruit. Grauius id ſcilicet Iudæi ferre. Principum diplomata proferre, id ſibi permiſſum aſſerere. Noſter cōtra. Principum priuilegiis id ſolum indulgere, ne ſi facerent punirentur. Cæterū diuinas leges omnibus Principum priuilegiis eſſe præferendas, iis ſeuere prohiberi, ſibi ergo certum omnibus neruis contendere, vt tanto malo medeatur. Viſi ſunt grauiora ſubuereri; non ſolum ſiquidem ſanctè polliciti ſunt earum opera non vſuros in poſterum, ſed etiam ſemet vltro mulctati inſtaurando cuidam vrbis templo pecuniæ vim magnam contulerunt.

Sed non æquè facilis operæ fuit deprauatos Sacerdotis mores conformare. Impurius viuendi licentia oculos omniū offendebat, gratis inſuper Societatis hoſtis infeſtiſsimus, vbicumq; ſe daret occaſio, conceptum animo odium in nos effundebat, concionatoriſque imprimis famam lacerabat. Erat omnino tanto malo facienda medicina, ſed fruſtra concionibus publicis hi mores generatim perſtringerentur: priuatis vero admonitionibus inſanabilē ſe præbuerat. Vocare ergo illū ad ſe ad certam diem iubet, coramque Vicario Generali, canonico vno, ciuitatiſque præfecto noſtri ordinis amantiſsimo, ad illum conuerſus; Hoc, inquit, cuiuis cauſā adeſſe es iuſſus, à te ſcire vehementer velim, quid mihi obiicias? quid in Societate noſtra reprehendas? Nihil, inquit ille.

Ait

Aſt ego,ſuſcipit Pater,aduerſum te nõnihil,quã-
doquidem & parum honeſtos contra nos rumo-
res ſpargis,& tua viuendi licentia cunctis es offen-
diculo. Equidem quantum in me fuit,non modo
concionib.cum vniuerſim contra corruptos mo-
res,ſed priuatis etiã obiurgationibus ad ſanitatem
te mentis reuocare contendi;quæ quoniam irritæ
cecidere id ago q̃ vnũ reſtat, vt te ex Euangelico
conſilio coram trib.teſtib.ẽt atq; ẽt admoneã tibi
caueas:ſolet diuinum numen quo tardius eo mul-
ctare ſeueriꝰ,neq;vero exiſtima, qùod publicè of-
fendis,impunè laturum. Corruit ille exanimatus
ad has voces,diuq; proſtratus iacuit mortuo ſimi-
lis,ſed vi tandem medicamentorum reuòcatus,vi-
rib.vtcumq; reſumptis, exclamat,nullus eſt ho-
rũ,Pater,cui me magis,quã tibi debere cognoſcã.
Hanc tibi dubio pròcul iniecit mentem Deus,hęc
inſpirauit conſilia.Ergo facturum me quæ mones
ſanctè tibi polliceor,iuroq;. Nec fefellit, nã totius
ante actę vitæ ſordib.magno animi ſenſu ex-
piatus,piam religioſamq;viuendi ra-
tionem inſtituit.

PRO-

PROVINCIA VENETA ANNO. 1607.

EXPulſæ ex vniuerſa Venetorum ditione Societati reliqua ſunt in hac Prouincia Collegia octo; Domus vna Probationis Nouellariæ; Altera Forocorneliēſis inchoata. In his domiciliis cōmorati ſunt in vniuerſum Socii 386. Quorum Sacerdotes ſunt nouē & viginti ſupra centū; Scholaſtici centum 44. temporalium miniſteriorum Coadiutores centum & duodecim. Ex Sacerdotibus vndecim Theologiæ, Philoſophiæ, Caſibus conſcientiæ, Mathematicis docendis occupantur; Inferioribus claſsibus preſunt quinque. Ex Scholaſticis humaniora docent duodeviginti; varias facultates addiſcunt in Collegiis centum quinque; pietatem & religioſam viuendi rationem in Domo Probationis duo & viginti.

Alunt Collegium Parmenſe in vniuerſum ſex & octoginta. Sacerdotes duodeviginti; Scholaſticos Theologiæ & Philoſophiæ quinquaginta duos; Humanoriuin literarum doctores quatuor: duodecim Coadiutores. Bononienſe 50. Sacerdotes 21. quorum duo Caſus, vnus Grammaticam docet: Scholaſticos caſuum conſcientiæ auditores 13, Magiſtros Humaniorum tres; Coadiutores ſexdecim. Placentinum octo & quadraginta; decē Sacerdotes, inter quos Rhetoricam vnus docet, ſcholaſticos Rhetoris auditores viginti duos; duos Gram-

Grammaticæ & Humanitatis Præceptores; Coadiutores quatuordecim.

Mantuanum quadraginta, Sacerdotes quatuordecim; horum vnus Logicam docet, vnus Grammaticã. Scholasticos logici auditores duodecim; duos Rhetoricæ & Humanitatis Doctores; Coadiutores quatuordecim. Ferrariense quadraginta, Sacerdotes viginti; Magistros clasſium inferiorum tres; Scholasticos duos; Coadiutores quindecim. Mutinense triginta, duodecim Sacerdotes; quorum duo Sereniſsimi Ducis filios Philosophiã & Humaniora docent; Magistros claſsium inferiorum duos; Coadiutores sexdecim. Foroliuiense 18. Sacerdotes nouem; Humaniorum literarum Magistros duos; septem Coadiutores. Collegium Nobilium Parmense sex, quatuor Sacerdotes; Coadiutores temporales duos. Domus Probationis Nouellariæ sexaginta in vniuersum. Ex his veteranos Sacerdotes nouem; septem prætetea tertium probationis annum peragentes; Coadiutores veteranos quatuordecim; Nouitios triginta; horum duos & viginti ad studia, octo ad domestica ministeria destinatos. Misſio Forocorneliensis quinque. Sacerdotes tres; Coadiutores duos. Hic vnus ex Sacerdotibus docet literas humaniores. Lustrauit Prouinciam P. Prouincialis cum duobus Sociis, Sacerdote vno, altero Coadiutore. Fatis cõceſsere nouem; quatuor in Societatẽ cooptati. Iam ad singula domicilia veniamus.

COL-

COLLEGIVM PARmense.

PArmæ in maximo, ſi Sociorum numerum, in anguſtiſsimo, ſi domum reſpicias, Prouinciæ totius Còllegio valetudine pleriq; ferè omnes vſi ſunt commoda; quod in tanta multitudine, in aſſiduis laboribus, in talibus ædium anguſtiis & incommodis, æſtate præſertim extraordinariis caloribus æſtuante, ſane mirum videri potuit, quatuor tamen grauibus tentati ſunt morbis, quorũ natu maximus, pene ſexagenarius ſuperſtes fuit: reliqui tres deſiderati. Horum primus Domitius Maffæius, dum Theologiæ dat operam, poſt abſolutum triennium in iuueutute ad humaniores literas & eloquentiam laudabiliter informanda, pituitoſa phtiſi conſumptus eſt Mirandulæ in patria ſua, quo miſſus erat recuperandæ valetudinis cauſa: meliorem, vti ſperamus, patriam, melioréq; valetudinem nactus, neque enim iuuenili ſolum ingenio pollebat, iudicio vero, prudentia dexteritateque virili, ſed pietate, patientia, obedientia, alijſque religioſi hominis virtutibus commendabilem ſe reddebat, quæ quidem ornamenta in ipſo iam morti proximo emicuere vt cum maxime. Et optabat quidem ipſe in aliquo è noſtris vicinis Collegijs vitam finire: ſed ne adderetur morti feſtinatio, mos illi geri non potuit: quamquam Sacerdotem è noſtris vnum apud ſe hahuit extremo illo tempore, cui & optime paruit, & generali cõfeſſione ſemetipſum patefecit, vt expeditus volaret ad Dominum, cuius è Cruce pendentis effigiẽ,

in agone ſuo bonus iuuenis admirabili quodam ardore mentis & corporis veneratus, allocutus, amplexatuſque eſt. Migrauit hic quidem hyeme iam exeunte: quem ineunte vere ſequutus eſt Fauſtinus Milanius Salodienſis, qui cum biennio ſcholis Rhetoricæ præfuiſſet, & Philoſophiæ curſum cum laude pene confeciſſet, eodem morbo, ſed magis in longum protracto extinctus eſt. Neque hic non multa nobis virtutum exempla reliquit, mortem certe tam prompto, alacrique animo de manu Domini ſuſcepit, vt illa iam proxime accedente, ſenſibus integris, mire geſtiens, oculos ſibi ipſe, quaſi alteri, identidem clauderet: quos tamen in exitu animæ inſigniter aperuit, quaſi iucundum quid longa ſerie diſpoſitum admirabundus aſpiceret. Horum vterque à trigeſimo vitæ anno parum aberat, cum partem circiter ætatis tertiam in Societate vixiſſet. Pauciores vitæ ſuæ, & Religioniſque annos numerabat tertius Ioannes Dominicus Raguſæus Venetus, qui religioſum inſtitutum, quod annum cum ageret primum ſupra vigeſimum, auidiſsime arripuit, tam conſtanter & perfecte retinuit, vt in ſexto ſacræ ſuæ militiæ anno iure veteranus merito dici poſſet. Antequam ad tirocinium admitteretur, in philoſophia, atque etiam in Medicina tam bene profecerat, vt minimum abeſſet ab vtriuſque laurea: quam ſine dubio perquam honorifice conſequutus eſſet, niſi ipſemet, qui ſe iam cœleſti ſapientiæ deſtinaſſet, enixe rogantibus amicis & conſanguineis, reſtitiſſet. Abſoluto ſacri Tirocinij biennio,

nio, Philoſophia recognita, in tradendis ipſis Grammaticæ rudimentis, magna ſe diligentia & patientia exercuit per annum, quo elapſo ſcholaſticæ Theologiæ addictus eſt, hoc in ſtudio dum bonos habet progreſſus, meliores etiam in dies habiturus, medium eius curſum; Deo ad altiorem Theologiam illum vocante, non minus alacriter, quam continuarat, abrupit: verus Societatis filius, quam etiam vnice diligebat, colebatque, clarus prudenti ſimplicitate, generoſa demiſsione animi, patiendi pro Chriſto, parendique amore, animi ſui cultor egregius, Diuinæ verò gloriæ, humanæque ſalutis ac perfectionis propugnandæ mirifice cupidus erat, ita ſedulo, gaudenter & conſtanter, atque adeo fructuoſe in Xenodochijs, in vrbanis ruſticaniſque Parœcijs, in hoc genere exercebat ſeſe, vt omnibus eſſet exemplo. Erat autem in eo mirandum veræ charitatis argumentum, alienis laboribus & fructibus ad eos, quos modo dixi, fines pertinentibus, tanquam omnino de ſuis quantopere gauderet.

Hæc, aliaque his aſsimilia ſane multa Diuinus amor efficiebat, qui in eius pectore maiorem ſolito principatum ſibi ab eo potiſsimum tempore vendicarat, quo ſe bonus Dei ſeruus ad cœleſtes ipſius Dei nuptias, eximio quodam beneficio admiſſum, anno ante obitum ſenſerat, atque ad maiorem Dei gloriam ſcriptum reliquit.

Iam vero vt ad viuentium facta veniamus; Ad conciones in templo noſtro, vel ſolemne veris

iunium ſpectes, vel feſtorum dierum pene totius anni rationem habeas, tanti ſemper fuere tamque conſtantes Parmēſium concurſus, quantos Concionatoris ardor, & hominum ad veram beatitudinem dirigendorum cupiditas eximia poſtulabat. Meretrices multę à turpi quęſtu ad honeſtam vitam traductæ, vni emendicata inſigni dote, breui patuit aditus ad Monaſterium earum, quæ ab obſcœno viuendi genere, ad religioſæ vitæ ſtatum tranſmigrarunt. Approbatarum Beatiſſimę Virginis Litaniarum quotidie in ſingulis domibus recitandarum vſus introductus, quod difficile non fuit in ciuitate ad Cœleſtis huius Reginæ honores magis ac magis amplificandos valde propenſa. In quo illud accidit memoria dignum. Vigebat in quadam familia quotidiana hæc Virginalium litaniarum conſuetudo, ita tamen vt adoleſcenti cuidam ex eadem familia nequaquam probaretur, quod illam non verbis ſolum, ſed re etiam ipſa nō leui cum ceterorum offenſione aduerſabatur: vicit tandem ſalubriter admodum Virginis Matris miſericordia periculoſam iuuenis peruicaciā. Quodam die familiaribus omnibus ad piam illam exercitationem de more concurrētibus, rogatus eſt pertinax adoleſcens, vt ſemel ſaltem cum reliquis ad eas fundendas preces procumberet in genua, acquieſcit ille inuitationi, accedit cum ceteris ad precandum. O miram Dei, Diuinæque Matris clementiam! ò ſalutarem, vel in paruis rebus victoriam ſui! continuo Iuuenis è precum illarum contemptore, fit earum, atque etiam ipſius Beatiſsimæ Virginis acerrimus propugnator, inde

mirifica

mirifica morum commutatio consequuta est, animo generali cõfesſione non ita multò pòst expiato. En aliud ad Diuini verbi efficaciam declarandam non minus accommodatum expemlum. Oderat vir quidam grauis & claro loco natus implacabili odio Societatem noſtram, cuius nihil præter nomen & falſas, vt fit, ſuſpiciones, vel conficta crimina inaudierat.

E venenato fonte venenati riuuli profluebant. Eius de nobis ſermones erant odio ſimiles: occaſiones noſtri nominis dilacerandi vel leuiſsimas captabat, tum demum præclare de ſe actum arbitrabatur, cum vehementer in nos eſſet inuectus, tale ſtudium ad multam iam ætatem protraxerat. Interfuit hic aliquando noſtræ concioni, cœpit in ipſis tenebris ſuis nonnullos veritatis radios aſpicere, redit ad concionem iterum atque iterum: illuceſcit illi paulatim tota veritas: confictarum criminationum, ſuſpicionumque tenebræ ſic euaneſcunt, vt is è maximo Societatis inſectatore factus ſit optimus eiuſdem patronus. Conuenit noſtrum concionatorem, fatetur ingenue errores ſuos: ſeque per proximas noſtri Templi conciones in viam veritatis ac ſalutis mirifice reductum prædicat, confeſſarium è noſtris aſsignari ſibi poſtulat, noſtram ædem ſibi, ſuiſque in poſterum veluti proprium iucundumque perfugium futuram, quam quidem illi mentem non tam humanitus adueniſſe, quam iniectam fuiſſe diuinitus, factis verborum ſimilibus ipſemet poſtea comprobauit, & comprobat. Aggregatus eſt ad vnam è Sodalitatibus noſtris, cuius inſtituto ſe dignum præ-

bet : asseritque, alios quoque per eandem concionum occasionem è Societatis nostræ inimicis amicos redditos.

Festis, aliisque interdum per hebdomadam diebus Nosodochia, publicæque custodiæ à nostris magno cum fructu frequentatæ : nec minus animis, quam corporibus opportuna remedia & adiumenta curata pro viribus. Doctrinæ Christianæ rudimenta, non in vrbe tantum, vt semper, verum in agris etiam vrbi proximis tradita, & se primo quidem paulo difficiliores præbuere rurales quidam Curiones, siue quia indignarentur quasi munus illorum vsurpare vellemus, eosque tanquam ineptos ad populum prædicare; siue quia timerent, ne eorum Sacerdotiis inhiantes morum, doctrinæque defectus venaremur, quos deinde Ecclesiasticis præsulibus deferremus ; siue denique quia neque nostrum institutum, neque causas, quæ nos ad eos labores suscipiendos impellunt, vel ipsi nossent, vel auditas crederent. Alii vero tanquam homines de cœlo missos, ac sibi, suisque ouibus perutiles hilariter benigneque admodum inuitatos & exceptos, non minus potestatis habere voluerunt in suis templis ac Parœciis, quam se ipsos. Euanuere tamen breui nubes illæ suspicionum : sic enim se gessere nostri in iis, in quibus primo excepti sunt locis, vt plane constaret nos non alia, quam de omnibus bene merendi causa, villas frequentare.

Itaque post paucas hebdomadas nemo fuit, qui

qui nos non dicam duriuſcule acciperet, ſed vero etiam vltro non rogaret, vt ad ſuos curiales verbo Dei & piis præceptionibus informandos accederemus. Ceterum illud animaduertimus, nihil fuiſſe, quod aut animum magis adderet ſubdubitantibus Parochis, aut humanitatem augeret benignis, aut aditum aperiret Euangelico muneri, quam noſtrorum modeſtia, patientia & ſobrietas; cum non modo recepti durius non ſtomacherentur, aut ab incœpto deſiſterent, ſed prudenter etiam poteſtate vterentur, & tum illorum prandia ſponte oblata, tum vero etiam ientacula, minoreſque eiuſmodi inuitationes plane reſpuerent, cibique ſumptionem differrent in veſperam cum cæteris in Collegio peragendam. Fructus fuit, qualem & ſimpliciorum hominum animi ad pietatem propenſiores, & operariorum feruor & induſtria, & denique Dei miſsionis authoris patrocinium pollicebatur.

Mitto ſingularia, ne perſpicacibus ingeniis longe præuiſa obtrudere videar & inculcare. Illud paucis attingam, quod eò nobis magnum viſus eſt, quod non tanta facilitate obtineri poſſe ſperabamus. Choreas ruſticorum & ſaltationes hiſce regionibus per æſtatem frequentiſsimas, ita impediuit noſtra Catecheſeos explicatio, vt tibicines populum circa meridiem, nobis vacantem cantu ac ſono ad ſaliendum de more ſæpius

allectum, nulla vi ſuauitatis à ſtudio pietatis deducerent: cumque binas, ternaſque horas ſibi ſolis pulſando fruſtra conſumpſiſſent, mœſti inaneſq; à vane ſperata pecunia domos repetebant. Immo potius rogabantur à populo noſtri, inclinata iam die diſceſſum adornantes, ne tam cito abirent, neue miſeros rei Chriſtianæ rudes deſererent: malle ſe in templo tota die res ſacras audire, quam in area prophanæ ſaltationi operam dare. Congregationis domeſticæ ſuum curſum tenent: ex iis quatuor ad Benedictinos, vnus ad Capucinos abierunt.

Veniendum eſt nunc ad celeberrimam gratiarum actionem à noſtro Collegio exhibitam Odoardo Principi Farneſio S. R. E. Cardinali ampliſſimo. Totius rei ſummam hic deſcribemus, ex qua de ſingulis eiuſdem partibus facili negotio iudicabitur.

Statim atque autumno iam in hyemem abeunte, Illuſtriſsimus Odoardus Cardinalis Parmam longo interuallo reuiſit, nihil potius fuit nobis, quam vt hominem & in ſuis maioribus, & in ſeipſo de noſtra Societate optime meritum, inuitaremus ad noſtrum Collegium, primarium præſertim eo tempore noſtræ Prouinciæ domicilium: eoque libentius fecimus, quod Sereniſsimus eius Frater non obſcure ſignificauit id ſibi gratiſsimum futurum. Quatuor præcipue Collegii loca peripetaſmatis, Epigrammatis, poeticis inſignibus, emblematis conueſtita ſunt. Triclinium, vbi Cardinalis erat excipiẽdus prandio, Aula. Bibliotheca eidem Aulæ proxima, & Porticus

tricli-

triclinio imminens, apricis interuallis occlusis, in aulæ pro Collegii angustiis sane capacis & amplæ formam redacta.

Iaci præterea cæpta sunt fundamenta noui Collegii, mille aureis à Serenissimo Duce nobis ad id perbenigne donatis, quasi arrha quadam futuræ liberalitatis, quam idem Dux non obscure significauit eo die, quo vna cum Illustrissimo fratre nobiscum prandere voluit.

MISSIO IVLIENSIS.

IN Episcopatu Iuliensi, vulgo Burgi Sancti Domini, de quo anno superiore perscriptū est, fructus in Qnadragesima collectus, sementi Aduentu iactæ cum prouentu maximo respondit. Concio singulis diebus frequentissima, sed diebus Dominicis, Mercurii, & Veneris insolita. Tres communiones generales trium & eo amplius millium celebratæ præter ordinem & consuetudinem, & frequentia sacræ Eucharistiæ mirandum in modum introducta. Matrimonia quædam reconciliata ex magno animorum dissidio. Negligentia pueros ad communionem ducendi sublata, & magnus puerorum numerus ad sacram mensam admissus. Odia multa restincta: confessiones irritæ multæ, ratæ redditæ. In primis è malo erga Societatem animo tantus amor in eum est excitatus, nihil vt aliud in ore haberent, atque cuperent, quàm Concionatorem suum, vt vocbant, vel aliquem de Societate perpetuo secum esse.

Datum eſt Drama inſcriptum doctrinæ Chriſtianæ triumphus, inſigni plauſu & frequentia; quo etiam vehementior in Societatem amor eſt excitatus; ita vt concionatore iam diſceſſuro lachrymis, vocibus publicis & lamentationibus diſceſſum eius proximum deplorarint. Reuerendiſsimus Epiſcopus ſtatuit, vbi ſine graui offenſa religioſorum aliorum Ordinum fieri poterit, ſe neminem illuc ad conciones, & ad alia miniſteria Societati congrua, præter homines de Societate aduocaturum.

COLLEGIVM NOBILIVM Parmenſe.

MOnet me Parmenſe Nobilium Collegium, vt non prius ad alias abeam ciuitates, quam attingam, quæ hoc anno apud ipſum contigere memorabiliora. Præſident nobilibus adoleſcentibus ſex, vt prædixi, è Societate Rector, Miniſter, Præfectus ſtudiorum, Confeſſarius, Sacerdotes: grauioribus quibuſdam domeſticis miniſterijs duo ex temporalibus Coadiutoribus.

Bini dati apparatus litterarij; vnus in ipſo pene anni veſtibulo gratulatorius ad Illuſtriſsimum Papyrium Picedium, menſibus proxime ſuperioribus in Parmenſium Epiſcopum cooptatum. Alter vero longe ſolemnior circa Calend. Decembris, quo tempore Sereniſsimus Dux, cum Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Cardinali Farneſio fratre, Archiepiſcopo Baſsinienſi, & alijs qui-

bu[illegible]m

busdam principibus viris & Collegium inuisere, & honoris gratia inibi prandere voluit. Excepti sunt ad ianuam Collegij oratione latina breui; In mensa oratione & Poëmate Panegyrico de laudibus Domus Farnesiæ, quaterna Collegij Peristylia, inferiora & superiora, multis millibus Epigrammatum, insignium, emblematum erant conuestita. Apparatus is fuit, quem & ipsi Principes mirificè placuisse sibi significarunt, & ciuitas vniuersa suspexit: cui, vt fit, ad famam confluenti vt fieret satis, opus fuit apparatum ad dies aliquot relinquere visendum. Post prandium in ampla Collegij aula datum Drama musicum de Apolline & Musis in Parnasso monte Illustrissimi Cardinalis laudes celebrantibus. Hæc de litterariis.

Pietas porrò alumnorum enituit, vt cum maximè; cœptum hoc anno dari signum ad confessionem singulis diebus sabbathi, ob multitudinem eorum, qui huic sacramento spontaneam operam dare volunt.

Confessiones de tota vita instituere plurimi. Beati Aloysij Gonzagæ vitam nuper in vulgus editam dũ mensæ accumbentes audiunt, mirum dictu est, quantopere erga Beatum hunc iuuenem sint affecti; nulli per eos dies nisi de illo, deque eius virtutibus omnium erant sermones: nullus qui sibi eum pro viribus aliqua in re imitandum non existimaret. Vnus certè fuit, qui dum cum alijs interest publicis hastiludijs

per

per Bacchanalia, tota die clausos habuit oculos, ne ea videret, quæ, licet vanitatem redolẽtia, sine tamen Dei offensione spectari poterant. Hic pro amicitia rogatus à quopiam, quid ita fecisset? vt, inquit, imitarer Beatum Aloysium, simile mihi exemplum in sua vita præbentem. Tempore vacationum grandiores omnes spiritualibus se Meditationibus exercuere ad dies aliquot, tanto feruore & pietatis sensu, vt non adolescentes nobiles, sed feruentes religiosæ cuiuspiam familiæ candidati viderentur. Nec se natu minores à piis illis exercitationib. excipi permisissent, si & loci opportunitas adfuisset, & nos ipsi passi fuissemus, qui præstare iudicauimus plurimos ieiunos, quam saturos omnes relinquere. Hæc de Collegio Nobilium, deq; iis omnibus, qui Parmæ commorãtur.

COLLEGIVM BONONIENSE.

QVIDAM nobili loco natus, cum inuito inscioq; parente vxorem duxisset, ablegatus ab illo & ad extremam inopiam redactus, vt se à miseria liberaret, pessimo consilio venenum cum vxore sumere destinarat; persuadente nimirum quodam, qui in venerandi senis effigiem se vtriq; visendum præbens, Angelum custodem mentitus, pollicitusque erat fore, vt per illud mortis genus vitam æternam consequerentur. Edocuit hominem vnus ex nostris callidi illas esse hostis technas, qui vitã ipsis ęternam inuideret, quam mẽtiendo pollicebatur, & id effecit, vt & ipsum propositi pœniteret, & vxorem ad saniorem mentem redacturum se polliceretur. Sodalitium Virginum earum, quæ à D. Vrsula nomen habentes in pri-
uatis

uatis domibus voto caſtitatis emiſſo, paulo exactiorem Chriſtianè viuendi rationem ſectantur, magna habuit incrementa: cum tamen ad hanc vſque diem, neſcio quam ob cauſam, illud inſtitutum deſpicere ciuitas, & abhorre videretur. Faciet diuina bonitas, vt ſpiritalis profectus earum, quæ ſe ceteris in exemplum exhibuerunt, omnem penitus, ſi quæ adhuc reliqua eſt, de illo Sodalitio ſiniſtram opinionem eradicet, & plurimas ad illud amplexandum inducat.

Tenuiorum opificum congregatio, quam anno præterito magnis initiis inchoatam ſcripſimus, proficit in dies tum virtute tum numero ſodaliũ. Illuſtriſsimus Cardinalis Iuſtinianus huius vrbis Legatus, multis argumentis ſuam erga nos beneuolentiam patefecit; eo in primis, quod & Scholas & Collegium noſtrum cum Prolegato, & vniuerſa fere nobilitate humaniſsime inuiſere voluit, & nobiſcum familiariter prandere. Exceptus eſt de more à Scholaſticis in aula maxima Poematis, orationibus, emblematis: quibus omnibus mirifice delectatus eſt, accitis etiam Præceptoribus noſtris, ea ſibi inſignia, & emblemata, quæ parietibus affixa erant, voluit explicari. Et in digreſſu tantam ampliſsimis verbis ſui in nos ſtudij ſignificationẽ exhibuit, quantã ne ipſi quidem ſperare auſi fuiſſemus. Pergit ille in beneuolentia; ſæpe enim Collegium & Eccleſiam inuiſit, ſæpe non leui eleemoſynarum ſumma noſtram inopiam leuat.

Venerat huc ad ſtudia Philoſophiæ & legum Illuſtriſsimus Chriſtophorus Nicolaus Radziuilius, Princeps Olicæ, filius Illuſtriſſimi D. Nicolai Chri-

Ducis Olicæ & Fundatoris Collegii noſtri Chriſtophori Nieſuicenſis. Hic paternarum virtutum, & pietatis æmulator inſignis elucebat inter alios modeſtia & pietate ſingulari. Domũ noſtram & templum frequentabat creberrima Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione, & Verbi Dei auditione.

Quibus cum ſibi artibus omnium ordinum beneuolentiam conciliaſſet; ecce tibi inopina mors facinore toti Ciuitati luctuoſo nobiliſsimum adoleſcentem in flore ætatis abripuit, cum maximis itineribus ad gloriam properare videretur. Luxere illum ſummi & infimi, quibus ſe ipſe ſuis virtutibus fecerat cariſsimum. Illuſtriſsimi certe Cardinalis legatus non ſibi à lachrymis temperauit: & cum pro perſona, quam hic ſuſtinet, non liceret ipſi pompam funebrem proſequi, quod proximum fuit, Nepotem ſuum cum tota familia ad id officii venire voluit. Humatus eſt in templo noſtro apud aram principem. Parentatum illi poſt paucos dies ea pompa & apparatu, quo tanti Principis filio decebat. Nigra veſte circumueſtitum eſt templum noſtrum, quantum quantum fuit, affixa periſtomatis inſignia eius gentilitia. Emblemmata præterea, Hieroglyphica Ænigmata, carminum omnis generis tam multa millia, quam multa multi per eos dies non indiligenti opera feſtinando ſcribere potuerunt. Confluxit præcipua nobilitas, & clerus duplex cathe-

dralis

dralis & Ecclesiæ principis, quæ Diuo Petrono ciuitatis patrono dicata suos ipsa Canonicos, suos plurimos sacrorum ministros habet. A prima luce vsque ad meridiem litarunt pro defuncti anima in singulis aris continuata opera Sacerdotes sibi inuicem succedentes. Sub finem denique ingenti cum omnium plausu laudes defuncti prosequutus est Rhetor noster latina oratione.

Alium prӕterea, sed aliquanto minorem apparatum habuere exequiæ adolescentis cuiusdam Mantuani, qui in Collegio Nobilium conuictorum in hac ciuitate sub nostra disciplina humanioribus literis operam dabat. Illum vita functum parentes nobiles, deque nostra Societate optime meriti, in nostro templo humari & exequias habere voluerunt. Funus cohonestatum non modo ab omnibus Collegii, in quo degerat Conuictoribus, sed à reliquis etiam scholarum nostrarum alumnis. Habita est ab vno è conuictoribus latina oratio, quæ virtutes verè insignes adolescentis meritis laudibus extulit, non sine ingenti omnium quidem, propinquorum præsertim, qui Mantua Bononiam venerant, approbatione, quique non leues nobis eo nomine totique Societati gratias egere in præsentia, & in posterum habituros esse se promiserunt. Hæc domi.

Fontanæ (oppidum est Diœcesis Imolensis, in quod à duobus ex nostris excursum est) præter alia multa, quæ ibi ad Dei gloriam facta, institutum est Oratorium virorum

ad

ad pietatem fouendam, confluunt statis dieb. plurimi, & Præses ipse inter alios. Fœminarum præterea alia congregatio sacramenta octauo quoque die frequentantium. Iacta etiam semina congregationis Virginum Sanctæ Vrsulæ. Sed de Bononiensibus satis.

COLLEGIVM PLAcentium.

ÆDium nostrarum angustię, quoniam propter attributos ex Brixiensi Collegio multos, incommode habitabantur, compactis in cubiculis ternis aut quaternis, necessario laxatæ multorum cubiculorum accessione, quæ iam pridem inchoata, hoc demum anno sunt perfecta: parantur & alia, quibus extruendis aperta iam fundamenta. Templo etiam lux videtur addita opere plastico, pictura eleganti, confessariorum sedibus artifice manu nouis. Omnia hæc approbante, vrgente, sumptus suppeditante studiosissimo Ordinis nostri Arcis Præfecto Leo lazaro Haller; cuius cum eximiis erga noa meritis crescere videtur quotidie & beneuolentia, & bene de nobis merendi voluntas. Concionator noster cum ab omnium ordinum hominibus libentissime attentissimeque audiretur, magnos animorum motus fecit. Argumento fuere crebri inter ipsam concionem, & clari multorum gemitus, suspiria, lachrymæ, Eleemosynæ largiores apud nos, quam in vllo vrbis templo collectæ, vita multorum in melius mutata.

Pauca ſeligemus de multis. Mulier florenti ætate annos octo in omni genere flagitiorum volutata, cum tandem emerſiſſet, voto caſtitatis facto; ſummis à Deo precibus contendit; vt ad perſanandum animum corpus morbo affligtaret. Nec irritæ preces: correpta febri ad nos accurrit, atque omnes ſuperioris vitæ noxas aperuit.

Ex congregatione mercatorum quidam trib: morbo amiſsis filiis; pro quarto vix animam trahente ad B. P. Ignatium auxilii gratia confugit: hunc dum orat, tanta cor ſuum ſpe & fiducia affuturæ filio ſalutis roborari & confirmari ſenſit, vt contra Medicorum opinionẽ pueri obitum prædicentium; recuperaturum eum valetudinem certo crederet, veritatem rei euentus comprobauit.

Luſtrarunt complures pagos & oppida huius diœceſis è Societate noſtra Sacerdotes duo; poſtulante id Epiſcopo. In ſingulis locis Chriſtianæ vitæ præcepta rudibus tradita; communi omniũ gratulatione confeſsiones vbique plurimæ, ac ferè omnes totius vitæ. Tridui vel quatridui moram ſingulis in locis trahebant, cum interim verba ad populum ferè quotidie facerent; & confeſſiones audirent. Illud ſpatium ſæpe non fuit ſatis: nonnulli enim multitudine excluſi Patres alio commigrantes ad tria & quatuor paſſuum millia; animi tantum purgandi gratia, comitabantur: at cum ibi quoque Patrum aduentu præcognito tantus fieret ad pœnitentiæ Sacramentum concurſus, vt aduenis confitendi nullus relinqueretur locus, ipſi domum re infecta ne redirent, Patrum opem imploră-

plorabant, vt confeſsionis percupidos ; & ea re ſecutos ſe quoque aliquando audiendos putarent, piæque voluntati ſatisfacerent. Parochi, quocunque ventum eſt , noſtrorum aſpectu lætari ; comiter eos & benigne excipere , illorum induſtriam & labores apud populum laudibus ornare. Mulier nobilis, quæ Sacerdotibus indigenis ſe ipſam aperire non audebat ; apud Sacerdotem è Societate animum eluere peroptabat. Hæc nocte ſomnians duos è noſtris videre ſibi viſa eſt, cum tamen de noſtrorum aduentu in ea loca nihil quicquam eſſet allatum. Poſtridie mane è feneſtra eos ipſos ; quos per quietem viderat , ex improuiſo ad eum locum aduentare cernit: ibi vero noua lætitiæ voluptate perfuſa, vix ſui compos eſſe , vix oculis ſuis credere ; tamen Deo gratias agens immortales, feſtina Patribus occurrit , hos tanquam è cœlo demiſſos, & ad ſe miſſos admiratur , veneratur, ſuæ ſalutis adiutores agnoſcit & colit ; lachrymis interim præ gaudio abunde manantibus, pium & ardentiſsimum confitendi deſiderium explet magno animi ſenſu. Principes viri ; qui pro Religionis conſuetudine , illis adhuc diebus in ſuis oppidis degebant , Patrum acceſſum ad ea loca ſibi ; ſuiſque domibus ac populis ſibi ſubiectis exiſtimantes , liberali illos hoſpitio acceperunt , ac poſtquam ipſi cum familijs ſuis pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis purgati & refecti ſunt , abeuntibus gratias ampliſsimis verbis egerunt , ſeque in poſterum

tanti

tanti beneficij memores futuros confirmarunt.

COLLEGIVM MANTVANUM.

FEcit magna multitudo Prouinciæ, quos omnes Parmense Collegium neque capere, neque alere poterat; vt tribus quæ pridem hic erant, Humaniorum litterarum, quartam hoc anno Philosophiæ Scholam adderemus. Auctus hac etiam occasione numerus externorum Auditorum, vt ducenti fermè numerentur, & quanquam variis plerique, qui hic agebant, tentati sunt morbis; nemo tamen Dei benignitate desideratus est. Duo soli vita cessere, qui Mantuam patrii cœli experiundi causa transmissi fuerant. Horum primus (Iacobo Magno nomen fuit) cum biennium in Societate vixisset, eadem ipsa die, qua antè duos annos Domum Probationis ingressus erat, discedens à nobis in feliciorem, vt speramus, Beatorum Societatem est cooptatus. De hoc iuuene multa præclara sanè prætereo, tantum dico, illum semper fuisse Deo placendi studiosissimum. Hæc illius erat quotidiana ad Deum precatio, vt rationem verè perfectèq; Deo in Religione seruiendi, edoceretur. Mirus in illo fuit amor in Fratres omnes, quorum in occursu ita gaudio perfundebatur, ac si rem esset optatissimam assecutus: quin & illud addebat nō

leue suæ in omnes beneuolentiæ indicium, quod & pro eo, qui se illi obuium fecerat, statim salutationem Angelicam secum ipse recitaret, & si quẽ esset compellaturus, id non nisi aperto capite faceret vnquã. Interrogatus à Magistro Nouitiorum num qua in re peculiarem difficultatem sentiret, nullá vnquam sciuit exprimere. Porro in obediẽtia, humilitate, exacta legum nostrarum obseruatione excellebat inprimis: sibi vero nihil omnino facere videbatur, cum tamen tam multa faceret, tamque diuinis rebus intentus esset, vt omnes eũ admirarentur, proptereaque in rebus exteriorib. occupandus esset, & admonendus à Præside; vt propter valetudinem, animum aliquando ab intenta illa perenniquė rerum diuinarum cogitatione diuerteret. Sed nimirum Deus illum sibi, nõ nobis volebat. Nam cum hisce & aliis virtutum exercitationibus satis se Deo & hominibus decẽ & octo mensium spatium in Tirocinio probasset, cœpit sanguinem spuere: quem morbum adeo æquo tulit animo, vt sanitatem à Deo petere non sit ausus; nisi cum id iussit Magister nouitiorum. Ingrauescente morbo, nec curationem vllam admittente, missus est Mantuam: Sed nec terrena patria quicquam illi leuaminis attulit, cœlestibus ad se iam ciuib. accersentibus; quare sextum post mensem, quam in morbum inciderat, sanctissimis Sacramentis rite communitus, animam Deo reddidit 8. Cal. Maij, quo die, vt ante diximus, sæculum reliquerat anno vitæ suæ septimo decimo. Septimo post mense consecutus eum est Iulius Sedazzarius Canenti in ditione Mantuana natus.

Is cum Pataui tirocinio perfecto, Bononiæ casibus cõscientiæ studeret, in morbum incidit: nã cũ difficultates studendi ob tardius ingenium, obedientiæ tamen amore superare plus æquo conaretur, valetudinem perdidit. Huc & ipse missus, ne si quod in natiuo aere subsidii esset, illo defraudaretur, nihilo tamen melius hic se habuit: sed cum per tres ferme menses phtisis eum lenta possedisset, abijt è viuis Pridie Idus Octobris, multa virtutis suæ nobis documenta relinquens. Virtutes eius insigniores obedientia, contemptus sui, patientia, & mansuetudo singularis. Vitæ annos numerabat triginta plus minus, Religionis quinque. Tẽplum nostrum toto anno concionum causa ab insigni nobilitate frequentatum est, quod & Serenissimi Principes crebro fecere, ea præsertim die, qua B. Aloysij felicem ex hac vita migrationẽ pie commemoramus, quo tempore ipsi in summis caloribus ex suburbijs in vrbem se receperunt, vt magna procerum caterua adornarent concionẽ, quæ de B. illius iuuenis laudibus erat futura.

COLLEGIVM MVTI-nense.

DEsijt esse cum viuis P. Achilles Gagliardus, post longam, eamque molestissimam duodeviginti mensium cum morbo conflictationem, vir plane cuius apud nos memoria in benedictione sit. Natus erat annos septuaginta, quorum duodequinquaginta vixit in Societate, perenni omniũ, quibuscum versatus est, ædificatione & fructu spiritali, iamque à 32. annis professus quatuor vota.

In ſignis Philoſophus ac Theologus, quarum quidem facultatum Romæ multa cum laude in magno illo bonarum diſciplinarum Athenæo doctorem egerat. A docendi deinde ad agendi regendique munera euocatus, mirum eſt qualem ſe præbuerit Societatis operarium.

Taurini multos annos Collegio noſtrorum præfuit, poſt Mediolani & Venetiis in vtraque Profeſſorum domo, ad extremum Brixiæ: quibus in muneribus ea edidit exempla charitatis & humanitatis in Socios, zeli & ſolicitudinis in exteros, ſtudij in Societatem quà ſpiritualibus, quà literariis exercitationibus amplificandam, vt quid illi ad optimum ſuperiorum noſtrorum exemplar defuerit, difficile ſit inuenire. Singularis fuit in illo animi morumqne candor, quo fiebat, vt & ipſe ſubditorum commodis paterna ſemper pietate inuigilaret; & ſubditi ipſi ad illum tanquam ſumma fiducia accederent. Quo tempore Brixiæ Rectoris perſonam ſuſtinuit, ſuſtinuit autem ſex circiter annos, præter alia in quibus ſuum de promouendis in ſpiritu ſcholaſticis ſtudium oſtendebat, ſolemne illi fuit, ſtudioſos omnes ad ſe in cubiculum feſtis diebus conuocare, & cum illis de rebus ad ſpiritualem profectum ſpectantibus, collationes habere: qua quidem induſtria fratres ad perfectionem incitabat ita, vt ſint, qui teſtentur, ſe non minus illis colloquijs, quam

aſsidua

aſsidua duorum annorum Tyrocinii exercitatione profeciſſe.

Neque tamen ab hac intenta profectus noſtrorum cura ita ſe abripi ſinebat, vt externorum obliuiſceretur, non patiebatur vt in noſtro templo deeſſent vnquam conciones & ſermones antemeridiani & veſpertini; Congregationes, Oratoria, & alia eiuſmodi, quibus Societas noſtra proximos ad pietatem informare ſolet. Obibat ipſe frequenter hæc omnia munera: & accidit plerunque, Brixiæ maxime, vt ipſe ſexagenario maior per Aduentum & Quadrageſimam, mane vel in noſtro, vel in ſummo templo concionaretur, idem poſt meridiem lectionem haberet, idem ſub veſperam ad nobiles viros in Oratorium domeſticum congregatos, verba faceret; & quod mirum erat, de eodem vbique argumento (erat autem de illo Euangelii loco, quem Sancta Eccleſia eo die legendum proponebat) ſed noua ſemper, ſed adhuc inaudita protulit, quæ tum ex diuturna meditatione, tum ex continua lectione Sanctorum Patrum, quos omnes non ſemel ab initio ad calcem vſque attentiſsime peruolutarat.

Plures præterea habebat in aliis hebdomadæ diebus, quos ſpiritualibus exerceret, virorum cœtus, Mercatorum, opificum, clericorum, Sacerdotum; ſuis quoſque ſtatis diebus; adibat Monialium Monaſteria, & alia pia loca, quibus in omnibus ad captum ſingulorum, ex eius diei Euangelica lectione

ſalutaria documenta excerpta declarabat. Nullus erat annus, in quo non multos ſpiritualibus B. Parentis noſtri Ignatij exercitationibus exerceret viros, mulieres, adoleſcentes, Religioſos, clericos; quibus muneribus omnium ſibi animos deuinxerat, & maximam Societati noſtræ exiſtimationem comparat. Seripſerat inter has omnes occupationes multa, quorum breuem catalogum hic adſcribere viſum eſt interim, dum in lucem emittantur vel omnia, vel aliqua eorum magis expolita, ſunt autem hæc. Primo opus quoddã eruditiſsimum, cui titulum fecit: DE INTERIORI DOCTRINA & ſpiritualis vitæ perfecta inſtitutione. Libri Duodecim.

2 Compendium prædicti operis quod inſcripſerat: Compendium Operis de diſciplina Interioris hominis.

3 Commentaria in Exercitia ſpiritualia B. P. Ignatij.

4 Meditationum liber. Pro omnib. hominum ſtatibus. Inchoando à ſummo Pontifice, Cardinalibus, Epiſcopis.

5 Opus in quo traditur & explicatur ratio Inſtituti Societatis Ieſu.

6 Liber Meditationum, ſeu de variis rationibus meditandi, dum recitantur Roſarium & Corona B. V.

7 Liber alius Meditationum de Nouiſsimis, De Peccato mortali, veniali, & ſimilibus.

Hæc ille & alia etiam plura, præſertim librum de Interiori diſciplina refertum authoritatibus ſacrarum literarum & ſanctorum Patrum, perfectum

fectum & expolitum iam iam erat in lucem emiſſurus, cum poſt exilium Venetum Mutinæ reſidens ſenio, & longis multorum annorum laboribus fractus, ecce tibi morbo corripitur, lectuloque affigitur, cœpit vſu memoriæ, viſus, & mouendi ſe facultate deſtitui: quem quidem morbum ita ille æquo animo accepit, ac ſi rem eſſet optatiſsimã conſecutus. perpetua illi erat in ore Dei laus, & actio gratiarum: offerebat ſe & illas potentiarum ſuarum priuationes, quas morbus inuexerat, diuinæ voluntati tanto cum ſenſu pietatis, vt plane indicaret quantum virtutis theſaurum tot annorum ſpatio animus ille ſibi congregaſſet. Demũ quarto menſe antequam moreretur apoplexia percuſſus, totam dexteram corporis partem amiſit, quæ poſtmodum putreſcere cœpit, deturbatus etiam eſt è mente: in ea tamen euagatione, vt fuerat ſemper in Diuinis rebus occcupatus, de Deo, deque ſanctorum Patrum ſententiis loquebatur, tanti refert bonarum rerum repræſentatrices formas in animo procreaſſe. Animam tandem Deo reddidit Pridie Nonas Iulii. Patauij nobili loco natus erat, in qua vrbe poſt decurſum magna cum laude Philoſophiæ curriculum, vigeſimo ſecundo ætatis ſuę anno, ſe ſuaſque facultates, non illas quidem tenues, vna cum fratre Deo Societatique dicauerat, tẽpore pro illa Societatis ætate maxime opportuno. Vtinam tales Deus multos huic Prouinciæ donare dignetur.

Obiit etiam hoc anno nobilis Matrona Camilla Benedelia noſtri Ordinis vltra quam dici poſſit amantiſsima. Eius morte deuenit ad nos præ-

dium, cuius annui redditus ſunt centum aureorum: deuenit præterea domus pretio octingentorum ſupra mille aureorum. Horum omnium fructus ipſa quidem percipiebat ex mariti teſtamento, qui nos ab eius obitu ex aſſe ſcripſerat hæredes; ſed reuera præter neceſſarios illos ſumptus, quibus ipſa ſe, & modicam familiam parciſsime alebat, reliqua omnia in Collegii noſtri cedebant vtilitatem. Iure Collegii matrem appellabamus, ita noſtrorum commodorum ſtudioſa erat, vt nihil aliud neque die, neque nocte, quam de nobis cogitare videretur, quadraginta quinque totos annos in nobis omni ope & auxilio iuuandis conſumpſit, & in illis initiis Collegii noſtri, quibus magna omnium rerum inopia premebamur, ipſa, quod ex ſuis non poterat, corrogatis aliunde eleemoſynis ſupplebat. De virtutibus eius, vt alia ſileamus, vnum illud, quod quarto anno, quo marito iuncta fuerat, communi conſenſu, cum eo perpetuam vouit caſtitatem, quam per ſex & triginta annos, totidem enim deinceps ſimul vixerunt, exactiſsime conſeruauit.

Hoc demnm anno abiens, vt ſperamus, in cœlum, ad ſuæ erga nos pietatis præmia percipienda, præter ea quæ ex mariti teſtamento noſtri iuris erant, ſuam ipſa dotem, ſuaque reliqua omnia reliquit. Ad templi ſupellectilem acceſsit magnum & pretioſum ex argento thuribulum, ſubminiſtratæ præterea etiam non leuis momenti eleemoſynæ ab ipſis Venetæ Rei-

Reipublicæ Senatoribus clam transmissæ. Hæc eò pluris facienda sunt, quò & ab illa ciuitáte venerunt, vnde pulsi sumus, & vbi perseuerat adhuc publica illa lex, qua cauetur, ne quis nobiscum per literas, aliaue ratione, negotia pertractet.

Quanti nos faciat Dux Serenissimus, prætérquam quod satis aperte indicat, quod ipse cum tota familia nostrum ad confessiones adhibet, & in summo templo non alium, quam nostrum concionatorem dicere vult per Quadragesimam, & à concionibus nulla die cum suis abesse solet; hoc etiam anno clarius indicauit, cum impetratis à Reuerendo Patre Nostro Generali duobus ex nostris Sacerdotibus, altero Philosopho, Rhetore altero, suos ipsis filios in disciplinam tradidit; illi quidem natu maximum & Principatus hæredem, huic vero eum, qui à primo maximus est. Facit adolescentum Principum diligentia & applicatio ad studia, vt magistros suæ industriæ non pœniteat. Princeps præsertim Alphonsus, qui Logico dat operam, summo, quo præditus est excellentis ingenii acumine, & sedulitate, qua maiorem desiderare nequeas, eos facit in dies progressus, qui & Parenti Serenissimo lætitiam incredibilem, & aliis admirationem faciant non vulgarem.

Fama permotus inter alios Sanctissimus Pontifex Paulus Quintus, & per Nuncios Apostolicos, & per Pontificia diplomata

tantam

tantam illis virtutum significationem gratulatus, hortatusque est, vt pergant magno animo in ea re, in qua nostris hisce temporibus plures admiratores, quam imitatores Principum virorum filios sunt habituri.

Iecimus tandem hoc anno fundamenta nobilis & magnifici templi in loco totius ciuitatis opportunissimo, quò post exædificatum templum & nostrorum habitationem, ex hoc incommodissimo, vbi nunc habemus, Collegium translaturi sumus. Primũ lapidem posuit Illustrissimus ac Reuerendissimus Cardinalis Atestinus Ducis Serenissimi frater. Magna fuit celebritas, accurrente solemni pompa clero, senatu, & populi frequentia maxima. Habita ad Cardinalem Illustrissimum & ad reliquam Ciuitatem latina Oratio rẽ totam cohonestauit, spem fabricæ copiosæ promouent mille & quingenti aurei, quos ciuitas nobis liberaliter elargita est. Neque desinunt priuati ciues magnis eleemosynis collatis rẽ totam promouere, quare iam & omnia fundamenta iacta sunt, & murus vndequaque excreuit ad duorum hominum staturam. Porro quia locus, in quo nouum hoc templum extruitur, valde distat ab antiqua Collegii habitatione, vbi reliqui residemus; missus est illuc vnus ex Sacerdotibus; vt ibi præsideat tribus ex nostris Fratribus, qui operam suam murariam in ædificatione præbent, & in ædicula ad tempus comparata aduentantibus Sacramenta ministret. Sed siue loci commoditate, siue nostri diligentia, siue ciuium pietate, siue horum omnium opportuna conspiratione, tanti ad temporariam

rariam illam ædiculam nobilium virorum & fœminarum concurſus fiunt; vt ille vnus Sacerdos in gurguſtiolo tanta præſtet, quanta vix à multis ſimul in peramplis & commodis ædibus ſperari poſſe videantur, vnde ſatis colligere poſſumus quid ſperandum nobis ſit, cum & templum extructum, & collegium ad multorum operariorum habitationem fuerit concinnatum.

Ediderat Deus ad B. Parentis N. Ignatij (cuius in hac vrbe celebre nomen eſt) interceſſionē plurima, eaque inſignia miracula; quæ inter inſignis valde fuit liberatio Excellentiſſimæ Principiſſæ Mirandulanæ, quæ ideo cum aliis multis à diuina prouidentia malignorum ſpirituum poteſtati permiſſa videbatur, vt inde magis nomen & gloria B. Ignatij manifeſtaretur. Hæc omnia quia & plura erant, & vt dixi, valde inſignia, non huius tantummodo ciuitatis cognitioni relinquenda, ſed vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ communicanda viſa ſunt, quare miſſo ab vrbe publica ſcriba mandauit ſumus Pontifex Reuerendiſsimis Mutinenſi & Reatino Epiſcopis; vt rem totam diligenter examinatam, in publicas tabulas transferri curarent. Præſtitere ipſi quod ſui muneris erat, & confectæ tabulæ, quæ Romam tranſmiſſæ ſunt ad ſedem Apoſtolicam. Quid autem in iis contineatur ideo ſcribere prætermiſimus, quia cum aliis eiuſdem B. P. miraculis publici iuris propediem fore nunciatum eſt.

COL-

COLLEGIVM FERRARIenſe.

FErrariæ diem obijt extremum Ioannes Petrus Diuitia, vnus è numero temporalium Coadiutorum, annos natus duos & ſeptuaginta: quorum duos ſupra quadraginta Deo & Societati varijs in miniſterijs conſecrarat. Vir fuit magnarum virtutum, ſed excelluit præcipuè pietate in Deum; zelo diuinæ gloriæ, & ea, quæ propria Sociorum teſſera eſt, promptiſsima ad ſemper parendum promptitudine. Diu fuerat Venetiis ſocius procuratoris Domus Profeſſorum, & eius in procurandis eleemoſynis Adiutor; quo quidem munere non eſt dictu facile, quanta ſe cum modeſtia gereret, & omnium, quibuſcum agebat ædificatione: Sanctum illum ſeculares, quotquot hominem nouere, prædicabant, & vt talem venerabantur. Erat in templo noſtro ſacellum quoddam D. Petro dicatum; illud ipſe in Apoſtoli cognominis honorem ornandum ſibi & concinnandum ſumpſit; quod etiam egregiè præſtitit, corrogatis ad eam rem multorum aureorum eleemoſynis. Magnam ſacrorum libellorum, roſariorum, numiſmatum, & aliarum eiuſmodi piarum rerum copiam compararat, quas obuiis quibuſque pro opportunitate donaret, qua induſtria plurimos ad confeſſionem pertractos, ad optimam Chriſtianoq; homine

mine dignam viuendi rationem induxit. Ter in hebdomada ad diuinas epulas accedebat, obtentaque à Præſidibus facultate, totum illud tempus, quod nobis recreandis nonnihil animis à prandio & cœna mutuis colloquiis impedunt, ipſe cum Deo ad arę Principis gradus aduolutus, cœleſtibus colloquiis tranſigebat. Hoc illi ſemper fuit in more poſitum, vt quotieſcunque noſtrorum, qui alibi vita functi eſſent, nomina de more legerentur in triclinio, ſingulos adnotaret defunctos, & terna pro ſingulis roſaria recitaret, perinde ac ſi in eodem, vbi ipſe tunc temporis morabatur, domicilio, vitam exhalaſſent. Nunquam ne in extremis quidem annis, per hyemem & ſummos rigores, quibus hæ regiones abundare ſolent, ad ignem acceſsit; culcitram nullam, nulla linteamina ad ſomnum adhibuit, vili, duroque ſtramento contentus. Cibi, potuſque ſemper parciſsimus fuit, & præter plurima ieiunia, quæ per annum illi ſolemnia erant, vnico ferè cibi genere vtebatur, cuius aliquam præterea partem ſemper detrahebat, vt pauperibus pro conſuetudine Domus eleemoſynæ nomine donaret. Enituit in eo pia quædam in omnes benefactores gratitudo, pro quibus non modo ipſe plurimas preces effundebat ad DEVM, ſed verò etiam alios hortabatur ſedulo, vt idipſum & orationibus & ſacrificiis præſtarent. Iniuriarum patiens, ſi quis alius. Et ſane in ſuo munere nón

raro

raro contingebat vt eam virtutem exerceret. Vnum de multis exemplum attingam. Qua die nostri Venetijs expellebantur ob causam alibi dictam, exijt ipse per vrbem quæsitum eleemosynas pro necessitatibus itineris, cum autẽ ad quendam ex Senatoribus accessisset, ille, vt plerique tũc temporis eius Reipublicæ Principes, nobis non leuiter iratus, vt inuisæ sibi familiæ hominem vidit, eleemosynamque poscentem, primum in illum & in Societatem vniuersam maledicta & iniurias euomuit innumeras, demum ipsum à se expellebat, hic noster minimè perturbatus cùm diu hominem in se oblatrantem patientissimis auribus audiuisset: modestissimis precibus & humili responsione sic mitigauit; vt eleemosynam, quam volebat, non gloriosa minus quàm admirabili victoria ab eo impetrarit. Religiosam hanc viuendi rationem non absimilis mors subsecuta est; quibus enim diebus ex pleuritide & pestilenti febre lectulo affixus iacuit, diuinæ se in omnibus voluntati conformans, totum ferè tempus orationibus recitandis insumebat, triduum præcipuè postremum; quo toto cùm mortis agoniam passus esset; animam tandem suo creatori placidè reddidit. Sed vt ad viuentes veniamus; facit pietas & spiritualis fructus eorum, qui plurimi Collegium hoc Sacramentorumque & pietatis causa frequentant, vt minimè nos nostrorum laborum pœniteat. Pauca de plurimis delibabo. Multi ex discipulis Religiosis se familijs deuouerunt, vnus nostræ optimæ spei adolescens: plures nè admitteretur fecerunt magnæ angustiæ, quibus per hæc tempora premitur

tur

tur, Prouincia. Ibat quidam ex hoc Collegio Mutinam ad negotia: in itinere aduertit in ea naui, qua vehebatur esse adolescentulam vitæ parum pudicæ. Aggreditur eam, re prius Deo commendata, acri cohortatione, monet saniorem mentem induat, dedit Deus vim sermoni serui sui. dat manus illa, & noster vbi primum Mutinam appulerunt, illam in locum mulierum Deo dicatarum collocauit.

Quidam qui in Sacramentorum perceptione frequentem se quidem & feruentem, sed in melioris vitæ capessendæ studio negligentiorē præbebat, neque sapienter monentis confessarii voces exaudiebat, dum noctu cubat experrectus, videt crepidatum nescio quem cubiculum ingredi & ad lectum accedere, hic immobilis hæret omnis expers Consilij; phantasma verò sensim à pedib. adrepens, præter cœtera membra fauces in primis tanta vi comprimere, vt obsessus non modo, cū maxime vellet, sanctissimū Iesu nomen inuocare, sed ne respirare quidem valeret, tandem verò post aliquantulum spatij euanuit phantasma; & ille liberatus à molestia, naturalem aliquam passionem arbitratus, aut certe meram animi parum sibi constantis imaginationem, rem contempsit. Sed bis terque tribus insequentibus noctib. eandem vim passus, familiarium cuidam rem totam aperit; ille ratus, quod erat, admonet, confessarium vt adeat, vitæ totius exactiorem confessionem instituat; pareat patri spirituali, fecit ille, & purgato rite animo, pristinæ

ſtatim tranquillitati reſtitutus eſt. Religioſus quidam magnæ inter ſuos authoritatis, & ſuæ etiam familiæ in hac vrbe moderator, peſsime de noſtra Societate ſenſerat multos iam annos; & hæc eius à nobis abalienatio neminem eius Monaſterii latebat. Obtulit ſe tandem occaſio, vt quidam ex noſtris neſcio quam ob rem alloquerentur: hac ille breui conſuetudine ita mutatus eſt, vt iam nullius, quam noſtrorum hominum familiaritate iucundius frueretur. Cum autem in grauem longamque valetudinem incidiſſet, mirifice recreari videbatur cum à nobis inuiſeretur. Creuit morbi grauitas, & ille Sacerdotem noſtrum ad confeſsionẽ adhibere voluit, rogauitque vt ſibi morienti adeſſet, ſolitiſque Eccleſiæ precibus extrema illa hora bene precaretur. Id præſtitum eſt à nobis ſedulo, non ſine ingenti religioſæ illius familiæ ædificatione. Interrogatus porro illle adhuc viuens ab homine ſibi familiari, quid eſſet cauſæ, quod tantopere noſtros nunc diligeret, quos antea cane peius & angue odiſſe conſueuiſſet? Homines, inquit, antea non noueram: & ab vniuerſa demum familia ſua poſtulauit ignoſci ſibi pro malo exemplo, quod pridem nobis ſine cauſa infenſus, vniuerſis ſe dediſſe cum gemitu profitebatur.

Quidam ex amicis noſtris ob recuperatam valetudinem precibus Beati Parentis noſtri Ignatii, cui ſe æger commendauerat, mille aureos obtulit ad ſacellum in eius honorem extruendum: & commodùm accidit, quod illud vnicum

cum in templo nostro nondum concinnatum remanserat.

COLLEGIVM FOROliuiense.

FORoliuij duo ex discipulis nostris Societatem adamarunt & obtinerunt. Puella à turpi ad meliorem viuendi rationem reducta. Quidam; qui hosti mortem machinabatur, nostri persuasu pessimum consilium deposuit. Odia plurima sublata: rei alienæ per iniustitiam vsurpatæ restitutio procurata, sanctimoniales nonnullæ ad pristinam religiosæ disciplinæ normam non sine bonorum lætitia, restitutæ. Matrona nobilis moriens Ecclesiæ nostræ legauit centum aureos; & pretiosam præterea vestem ad aram principem circumuestiendam.

DOMVS PROBAtionis Nouellariæ.

NOVELLARIENSIS Domus varijs, ijsque grauibus morborum generibus ad multos menses agitata, quatuor demum amisit è Socijs, reliqui pristinæ valetudini restituti. Horum primus erat ex numero eorum scholasticorum, qui in proximo Parmensi Collegio grauioribus disciplinis operam nauant.

Germanico Diuiaco nomen fuit, hic dum Parmæ, vt dictum est, logicam audiret, initio ferme cursus in pththisim incidit, cumq; iã de valetudine sua desperari præsensisset, magnis precibus impetrauit facultatem veniendi Nouellariam, vt inter Nouitios, è quorum grege non ita pridem exierat, & in sinu, vt dictitabat spiritualis sui Parentis, lætior in cœlũ euolaret. Vbi voti cõpos factus Nouellariã peruenit. Hæc requies mea, inquit, hic dormiã lætus & requiescã. Toto tempore, quo hic fuit, fuit aũt ad duos circiter menses; nil aliud vnq̃ aut mẽte reuoluit, aut ore locutus est, quã diuinas res, plane testatus se à terrenarum rerum amore abstractum mortem potius, si ita Diuinæ voluntati videretur, in votis habere. Monitus à Medico morbo se mortali laborare, nullamque vitæ spem reliquam esse, vix dici potest quanta lætitiæ significatione terribile illud nuncium exceperit. Interim quicquid temporis residui fuit, spiritalibus exercitationibus insumi voluit: cumque ipse iam præ virium debilitate legere nequiret, legi sibi volebat libellos Blosij de diuino amore, deque totali in Deum resignatione. Composuerat ipse sibi breues quasdam oratiunculas tanquam incitamenta ad diuinum amorem, quas frequenter vsurparet. Hanc præsertim, quam Sanctæ Eliduinæ familiarem fuisse fama est. Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime Iesu, hæc sibi verba vncialibus literis describi, & ante lectum affigi voluit.

Cum iam ad finem vitæ properare se sensit sanctissima

ctiſsima Euchariſtiæ & extremæ vnctionis ſacramenta expetita, ſingulari deuotionis & pietatis ſignificatione ſuſcepit: Euchariſtiam præcipue, quam non niſi genibus flexis & extra lectulum ſumere voluit, cumque per id tempus admoneretur à Magiſtro Nouitiorum, vt aliquem contritionis actum faceret: Credas, inquit, mihi Pater, me quæ Dei bonitas eſt, paratum etiam eſſe, ſi ita Deo placuerit, vel ipſas damnatorum pœnas libenter ſubire. Ad hæc Pater. De Paradiſo potius hoc tibi tempore cogitandum: at ille: Non equidem velim me putes hæc ideo dixiſſe, quod de infinita Dei miſericordia deſperem; ſed vt ſcias me, qui vt tanti Numinis beneficijs præuentus ſum; & video quantis me criminum ſordibus vltro fœdauerim, ex animo illa deteſtari & velle, ſi ita ipſi videretur meo creatori, per atrociſsimas illas pœnas aliqua ex parte ſatisfacere. Poſt hæc elapſis aliquot horis animam efflauit. Natus erat in Diœceſi Vicetina oppido non ignobili. Patauij Societatem ingreſſus, vnicus & cariſsimus patri non leui fortunarum copia inſtructo. Ingenium eius, prudentia, & alia plurima eius talenta ſpem fecerant magni Societatis operarij, pietatis apprime ſtudioſus fuit, & proximorum ita ſalutem ardebat, vt non raro ſpirituali Patri dixerit, ſe libentiſsimo animo vel omnes Purgatorij pœnas pro aliorum ſalute ſubiturum, immo ad hoc ſe aliquando voto adſtrinxit. Obedientiæ virtutem maxime habuit in delicijs, & magnis precibus expetebat à Moderatoribus, vt nullam vnquam eorum quæ ſibi iniungerentur rationem redderent. Le-

ges nostras nunquam se scienter violasse meminerat, & mirum dictu est, quanto se zelo aduri sentiret, cum quempiam illas vel leuiter transgredi animaduerteret. In edomando corpore fræno semper, stimulis nunquam, indiguit. Ad ea quæ ad Dei gloriam spectant, nec præmiorum spe, nec suppliciorum metu allici se volebat, solius amoris & Diuinæ dignitatis memor. Hæ sunt artes, quibus se quadriennio fere inter nos viuens, eius quæ in cœlo est Societatis dignum fecit sodalem.

Hunc qui moriendo proxime secutus est, fuit Ioannes Franciscus Tandemaria, nobilis Parmensis, iam iam absoluto tirocinio iturus ad Collegia, sed mors illum præoccupans in beatorum Collegium aduocauit. Duo reliqui fuere Coadiutores, ipsi etiam de numero Tironum, qui pia morte, & ea quæ mortem antecesserat, religiosa viuendi ratione, magnam obtentæ beatitudinis spem fecerunt. Horum alter, quem Leonardum Eccletiam vocabant, patria Bononiensem, annos natus erat octo & triginta: quinque tantum menses vixerat in Societate. Alter Petrus Pozzolius, vtilem valde operam Societati præstiturus, præsertim ob peritiam Pharmacopœæ.

In hoc maxima eluxit diuina prouidentia: nam cum angina fauces homini præclusisset, nec auderent nostri Viaticum illi tradere, ob certissimum periculum à tussi perpetua, & ab apostemate, quod in gut-

ture enatum vitam ipſi eripiebat : cum tamen ipſe Sacramentum illud, vt extremam Vnctionem, mirifice deſideraret. Ea nocte, quæ poſtrema illi fuit, ſciſcitatus eſt ex duobus lecto aſsidentibus, quænam eſſet illa Sancta, quæ non ſine pia Sacramentorum vſurpatione deuotos ſuos ex hac vita migrare permittebat; quam cum Sanctam Barbaram eſſe comperiſſet, enixè rogauit eos, vt flexis genibus hanc ab illa ſibi gratiam impetrarent. Paruere illi libentiſſime, & ecce tibi multo etiam maiore deſiderio, quàm antè Sacramenta expetere cœpit, cumque tuſsis aliquantulum remiſiſſe videretur, tradita ſunt homini confeſtim, quibus rite perceptis animam egit.

In horum locum quatuor alios ſubſtituimus, tres Scholaſticos, & quartum Sacerdotem Iuris vtriuſque Doctorem, Philoſophiæ præterea & Theologiæ peritum. Quamuis autem Tirones qui in hac domo verſantur, ſibi ſolis & Deo præcipuam operam tradant, non tamen omnino nihil & ipſi à ſe in exteros vtilitatis redundare paſsi ſunt. Nam quidam eorum in proximas villas excurrêre ad ſacram catecheſim.

Sed non parum profuere, ad excitandam pietatem Nouellarienſium, inſignia beneficia, quæ ab inuocatis Beato Parente Noſtro Ignatio, & Sodali eius Beato Xauerio, impetraſſe ſe multi teſtati ſunt.

Quam pietatem auxit factum, quod mox narrabo. Decūbebat ad mortem quidam ex satis honesta familia, fascinis, & maleficijs, vt credebatur de mente deturbatus. Hunc extremo Sacramentorum omnium rite linire Parochus non valebat, magnis clamoribus, & varia corporis agitatione recusantem, sacrosque cereos extinguentem, suspicatus vnus ex nostris, id quod erat Dœmonis versutias eas esse: flectit genua monetque adstantes, vt secum B. P. Ignatium inuocent; tum ipse manu tenens schedam, in qua Beati nomen ipsius manu exaratum legebatur, dæmonem increpauit in nomine sanctissimæ Trinitatis, iussitq; per merita B. P. vt hominem illum ne impediret, quo minus sacrosanctam illam vnctionem de more perciperet, sub hæc dicta, æger sibi restitutus & quieti, sacramētū piissime recepit, & magna deinceps cum quiete semetipsum Deo commendans abijt ex hac vita.

MISSIONES EX DOMO Probationis.

DVO montes Parmensis diœcesis lustrarunt. Horum missio sicut varijs incommodis plena fuit, ita magno fructu spem omnem superante Christi operariorum animos recreauit. Incommoda pepererunt multæ multorum suspiciones, qui nostros aliam ob causam, quam ob animorum fructus, ea loca peragrare suspicati, in eo trepidauerunt, vbi non erat timor, neque semel eos à se repulerunt. Sed patientia &

man-

mansuetudine nostrorum conuicti, multi suum errorem agnouere.

Mutinensis diœcesis partem aliquam duo alii lustrandam suscepere. His neque suæ difficultates defuerunt: sed tandem Deo, qui milites suos in patientia exercere tantisper voluerat, omnia in melius commutante, & hilari animo ab animarum pastoribus accepti, & apud populares gratiosi, post non leuem fructum magno apud omnes sui desiderio relicto; Nouellariam, vnde discesserant, rediere.

Carpium nobile oppidum est Ducis Mutinensis; huc missi duo & oppidum ipsum & villas circũuicinas omnes lustrauere per mensem integrũ, fructu amplissimo: abstineo à singularibus, quod ea non absimilia sint iis, quæ alibi esse soleant: tantum dico vniuerse, hæc eò insignia esse, quod eadẽ vbique locorum ad quæ nostri accesserunt, & magna fuere. Nullus fuit locus paulo celebrior; nulla villa, ad quam peruenerint, in qua non omnes omnino ad sacram confessionem & Eucharistiam cõuenerint. Non maiorem populi frequentiam in ipsis solemnioribus Paschatis & Christi Natiuitatis diebus vidisse se meminerant Parochi; confessionum generalium numerus pene infinitus: reconciliationes factæ, odia sublata: restitutiones rerum alienarum factæ quotquot fuerant faciendæ: homines vita & moribus profligatissimis ad eam pietatem reuocati, vt omnibus admirationi sint; & ipsi etiam tam seculares, quam Ecclesiastici Præsides, non sine Dei digito vna nostri Sacerdotis allocutione factum, quod ipsi nullo non lapide mo-

to, per multorum annorum ſpatia non effecerant. Quacunque tranſibant in vijs, in compitis, in plateis, accurrere populus paſsim, accidere ad pedes, benedictionem petere, veſtes oſculari. Doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ non inſtitutæ modò Carpijs, ſed ita & numero puerorum, & puellarum florentes reiictæ, & conſtitutionibus conſtabilitæ, vt non ſit dubitandum, quin Dei Optimi M. ope in multos annos ſuum curſum conſeruent. Vereor ne exaggerationibus & amplificationibus verborum nullas aut ſaltem tenues res, maximas efficere voluiſſe me ſuſpicentur ii, qui hæc ſunt audituri, ſed ſane multa reticeo, quæ potueram multa ſingularium narratione confirmare, ne ſatietatem ex ingenti ſimilium repetitione generem. Illud vnum attingam, quod aliquam dictis fidem facere poſsit, tantopere oppidani ipſi Carpenſes noſtrorum opera & conſuetudine delectati ſunt, vt coacto totius oppidi cōuētu, egerint de petenda à noſtris Præſidib. Societate: neq; defuere plurimi, qui ſatis copioſam pecuniam in præſens nobis ſe daturos pollicerentur.

De iis, qui in Forocornelienſi Domo verſantur, nihil habeo, quod dicam, quod nihil ipſi de ſe dicendum tranſmiſerunt,

ANNVÆ

ANNVÆ LITERÆ PROVINCIÆ LVſitaniæ.

AD REVERENDVM ADMODVM Patrem Claudium Aqua Viua Societatis Ieſu Præpoſitum generalem.

QVÆ Societatis opera in Luſitania ſunt geſta, poſt literas proximas, ea in compendium redacta narrare cogor, ſi cogitur is, qui libenter capeſsit imperata. Ea, credo mihi obtigit prouincia, vt qui nihil ago, ſaltem aliorum acta non ſinam obliterari. Fateor in magna rerum copia fuiſſe difficultatis pauca bene ſeligere, ſi rem attigi, obedientiæ, ſi aberraui, id mihi velim attributum. Recenſentur igitur in hac prouincia Socii ſexcenti & 60. Oliſipone in Profeſſorum domo vnde ſexaginta; duob. minus in Collegio. In Collegio Conimbricenſi cũ annexis reſidẽtiis, alter à vigeſimo ſupra ducẽtos. In Eborẽſi centum ſexaginta vnus. In Portuenſi ſeptendecim. In Bracharenſi octo & triginta. Quatuor & viginti in Brigantino. In Iurdetania vndeni. Totidẽ Valliuizoſæ. Amææ, vulgo Portalegre, quatuor. In Collegio Funcalenſi viceni vno minus. In Angrẽſi terniideni. In Inſula Sancti Michaelis, ſeptem. Nouẽ in Sede Angolana. Tres ad caput Arſinarium, vltra alios quinque, Patrem ſcilicet Prouincialem, pro Prouinciali, & qui eſt à ſecretis, & duos, qui apud Regem huius prouinciæ negotia procurant.

PRO-

PROVINCIA PROFESSORVM domus.

EX varijs, quos morbi graues, ac periculosi lecto afflixerunt, ad salutem, vt remur, æternam aliquot euolarunt. Primo numeretur Pater Ambrosius à Mota, professus quatuor votorum, septem & quadraginta natus annos, duodetriginta in nostrorum munerum functione collocauit: philosophiam, ac Theologiam palam docuerat, maiori tamen propensione animis cum Deo componendis incumbebat, neminem vt falleret.

Secutus Pater Ferdinandus Caruallo, cuius in longæua ætate nobis mors fuit immatura: quintum supra septuagesimum ducebat annum, inopum tutor egregius, viduarum protector, & pupillorum, confessionum auditor indefessus. Et quamquam examussi Societatis vbique concionabatur, tunc demum se etiam vincebat, cum iudicij extremi summum discrimen fulminabat, aut cum, non minore cum fructu, patientis Christi recordationem dolenter exprimebat. Vixit item frater Dominicus Fernandes, munerum adiutor domesticorum, patientiæ singulare documentum. Cum perpenderet exactæ Dominicæ passionis acerbissimos dolores, magnorum etiam sensum magni beneficii loco, postulauit, dum oratam rem, nec exoratam, pie queritur, aut admiratur, eius nares pestilens cancer insedit; inde chelas diffundens, altero lumine penitus effosso, alterius prope dempta luce, totum vultum sæuissime deformauit. Fuit vt medici,

ac

ac chirurgi fibrarum importunam luxuriem statuerint ferro candente coercere: hanc ille carnificinam spectanti similis exantlauit: imo cum artifices ipsi oculos auerterent, vel rei fœditate perculsos, vel commiseratione lachrymosos, ipse nullam aliam vocem edidit, nisi dulcissimum IESV nomen, cum alte petito suspirio, inclamauit. Cum hoc maio conflictatus nunquam tamen destitit ab antiquo suo tum sacri audiendi, tum panis vitæ potiundi, vtque ad hæc suis pedibus ire non potuit, alienis brachiis gestabatur. Cum aliquando loqueretur cum fratre, qui illius gerebat curam, Cacodæmon, inquit, mihi negotium facessere non semel fuit conatus, cum humana facie, vel potius ob fœditatem inhumana se exhiberet ab ostio vidēdum, & in cubiculum canes intruderet; Deiparæ tamen ad inuocationem illico fugam maturabat. Ne sim longior, ab his calamitatum acerbitatibus transiit ad coronam. Atque hi quidem domi inter hortationes, & officia suprema beneuolorum; ille mari, sui officiosus hortator, & aliorum, vt pateat, neque terra, neque mari nobis deesse, mirari quos possimus, & debeamus. Pater is fuit Franciscus Rodrigues, rei Iaponicæ procurator: Erat in India conscensurus aliam onerariam, eamque adeo, quæ de quinque vna tenuit incolumis hunc portum; Arius tamen Saldagna, quo Indiæ Prorege per sexennium amantissimo vsi fueramus, grato fastidio obtinuit, vt secum in prætoria veheretur: quasi animo præsagiret, eo sibi auxilio fore opus ad vltimum certamen, quod obiuit in ipsa nauigatione; Numine destinante, vt in acer-

in acerrima vindicta, quam multorum crimina irritabant, per hunc patrem ad se receptaculum non deesset. Prædixisse fertur, præmonuisse, & ante denunciasse, subeundum esse supplicium tot sceleribus prouocatum, quot in promiscua illa multitudine perpetrabatur. Ad optatum portum nauis appellebat, cum ad d rsuosa vada maris abrepta, inaudita naufragii specie hanc vrbem funestauit: noster vt eam vidit metuendo hiatu dehiscétem, in illo operum mortalium supremo verum dedit filium Societatis: quà igitur, vt tempus erat, confitent s audiendo, quà ad verum peccatorum sensum inflammando tandiu sibi, & Socijs non defuit, quoad stantem Christi militem decumanus fluctus abripuit, & ita absorbuit, vt vnum omnium eiectum nesciamus.

Vsus erat, imò absus diuturnitate roboratus, & quotidie magis augescens, piis offensioni, impiis oblectamento: capsulæ per compita statuebantur, cũ appictis imaginib. illorũ Cælitum, quibus stipes cogi significabatur: quin adeo per plateas, & ædes multi cum huiusmodi capsis cursitabant. Notabantur crebræ horum itiones in œnopolia, & loca alia, vbi diu næ effigies vix sanctè poterant haberi. Enimvero rerum æqui æstimatores rei indignitatem ferebant ægrè, nos respectabant; cur, qui nullis, huic impiæ consuetudini conniueremus: visa res digna, vbi conatum nostrum experiremur, itaq; negotium deferimus ad Archiepiscopum, respõdet vnicam videri hanc esse anchoram, ad quam staret multorum vita, quorum pauperiem pudor auctaret: ad extremũ tamen mani-

festiũ

festis rationib. cõuict⁹, tales arculas sustulit edicto.

Illustrissimo Ferdinando Martins Mascaregnas, vno eodemque tempore, hepar, caput, & oculi acutissimis doloribus vrebantur, faucibus præterea intumescentibus intercludebatur traiectus omnis ciborum; ad hæc febris hominem adeo flammabat, vt vno mane bis sanguinem scissa vena eiectarit: per tempus ei venit in mentem patentium literarum, quas olim dederat Ignatius beatissimus, & ipse reuerentet asseruabat: applicat fronti chartam, cum dolor euanescit; tangit oculos atque fauces, expeditam gulam, oculos doloris immunes, vix ipse sibi credul⁹, experitur. Medicis reuertentibus cum prodigium ordine fecisset palam, illorum aliquis, ego, inquit, si istic essem, idem remedium malo catenis admouerem. Non abiit in ventos irritum consilium, post medicorum abitum, ad tactum earundem reliquiarum febris desiit in salutem. Sic vir clarissimus nostroque Ordini deditissimus, è multiplici morbo reuelatus, valere se Ignatii beneficio manifestans gratificatur.

COLLEGIVM OLISIPONENSE.

TRes à viuis, imo ad viuos excesserunt. Primus abit frater Melchior Fagundes, in ipso æui crescentis flore, alterum & vigesimum annum, eorum senos nobiscum exigebat; virtus, quam pro ætate, maior: Philosophiæ incumbebat, & in hoc etiã Collegio arripuerat literas mitiores, semper ad normam Societatis. Secundus Pater Emmanuel Fernandes Brasilicæ prouinciæ curator;

ea vir-

ea virtutum, vel apud externos, existimatione, vt vulgata nomenclatura sanctus vocitaretur. Vt sui despicientiam admirandam, sermones de Deo incensos, & incendentes, animarum curam indefessam, charitatem singularem prætermittam, illud est apponendum: ex ipso corporis habitu, & virtutum exercitio tiro crederetur, adeo sibi par, ac cõstans, præcipitem ætatem primæ congruam seruabat. Illud etiam non in vltimis dignum autumo relatu, quod in eius obitu campanas per se insonuisse fuerit putatum; quod si de vero fuit haustum, mirificam eius sanctimoniam extollit, sin de vano, admirandæ cuiusdam opinionis est argumentum. Pater Iacobus de Barroch numerũ claudat: huius Collegii, an & Prouinciæ? vetustissimus alumnus: expleuerat annos fatile nonaginta, sexaginta prope religiosus, eorumque non paucos quarti voti professus: viridis tamen viro; & plane facilis senectus: timeri timebat; amari cupiebat, & amabatur. id secundum Dei curam curabat maxime, necui longinquitas ætatis eius obstaret: itaque non in mensa priuati sibi aliquid exhiberi, non elui per alium cubiculi sordes, non aptari lectum ferebat.

Alicui, vel per nebulam, parere loquendo offensionem, id vero piaculum iudicabat. Si fando aliquid audiret flagitiose perpetratum à quopiam mortali, lachrymis opplebat os totum sibi, id fieri vt scires vehementi offensi Numinis amore. Homo id ætatis concionibus habendis frequentem, confesſionibus audiendis tum popularium, tum aſsignati sibi gymnasii dabat operam conti-

continuam: eodem etiam mane, quod ei fuit tempus vltimum ad viuendum, cum ad ſolitum confeſsionum penſum vocaretur, iamiam ſe iturum reſpondit. Diu erat, vt à Deo petebat ſortem moriendi nemini onerosam; auditum fuiſſe res oſtēdit; homini vetuſtate ſenii delibuto, prius mortem accepimus veniſſe, quam aduenire.

COLLEGIVM CONIMBRIcenſe.

ERat Pater huius Collegii in templo Luſitaniæ cum primis frequenti, dicatum Magnæ Matri de Lapa (Lapa nobis antrū ſignificat) eo etiam deducta fuit puella energumena. Pater, ne quis forte dolus ſubeſſet, latine loqui voluit. Tunc ad eam multorum virorum laſſantem vires, quod tibi, inquit, nomen? redditur reſponſum idiomate eodem, ſed ſtrepitu horrendo: multi ſumus. Qua tandem, inquit, facultate huc intraſtis? corpus hoc, aiūt, nobis addixit auus deceſsurus, vnde certum eſt nō cedere hæreditario. Id ille facere, inquit, nullus potuit, proinde diſcedite actutum, & ſimul reliquiarū thecam cum imagine cœleſtis agni, crucíſque particula, collo furentis iniecit. Tum verò inter voces diſſonas, in modum horrendum artus diſtorquebantur. Noſter cum vrgeret, & interponeret nomen Chriſti, ac Deiparæ templi tutelaris; poſt horam reſpondebant. Cum inſtaret vehementius moræ impatiens, tandem peſtes illæ vexatam diu abſceſſu ſuo leuarunt, illaque miram præferens laſsitudinem, ex colore quodam indiſcreto palleſ-

cens, ad hæc ſudore ad pedes imos manante, Ieſum, Mariam ingeminauit.

Non ita bono rumore flagrabat Conimbricæ Sacerdos, dabat anſam fabulæ mulier iiſdem parietibus incluſa, quæ illum veneficiis, vt apparuit, obligarat. Terebat hic in horto cum amicis duobus otium, cum eorum alter in alterum ilocaliter interſit malum limonium: pomum in remoti Sacerdotis oculum ex inſperato deflectens, in cauſa fuit, diu vt decumbere cogeretur. Tunc vero animo cœpit meditari pomum à cacodœmone aliquo in ſe retortum, ideoque non tenuiſſe deſtinatum: ab hac meditatione in phreneſim præcipitauit, in qua vix aliquid, niſi diabolum blaterabat. Vocatus à noſtris Confeſſarius, inuenit alienatum ligatis manibus, pedibuſque, ac præterea multorum hominum lacertis. Mox innotuit domi eſſe mali caput; ea foras protruſa, lectoque mutato, ad mentem rediit inſanus, mox procurans animum confeſsione, & teſtamẽto melius habebat. Secuto mane per pediſſequam neſcio quæ munuſcula ab exacta muliere adfuerunt. Nihil fuit antiquius, quam vt miſer in eandem inſaniam reuolueretur. Duplici contignatione domus aſſurgit, è feneſtra ille ſuperiore ſaltum edidit in ſtratam ſaxo plateam, ſed ita pedibus ſe excepit; vt illæſus non ſine omnium ſtupore remaneret. Dum ſaltum iterat, offendit in menſam vitreis vaſculis & ſimilibus ægrorum oblectamentis, Chriſti præterea imagine ſtipatam; eam ita deiicit, vt perinde, ac ſi attentiſſima cura molliter in ſolum mutaretur, fractio nulla fuerit ſecuta. Euaditur caſus ſæpè, non ſemper, Cũ remittente cuſtodia

nudus

nudus se iterum proiiceret, diffracto capite vitam, & amentiam finiuit.

Collegium funera sena funebre reddiderunt. Vnum atque alterum sat habeo numerare. Primus Pater Marcus Antonius natione Italus, amplissimis in Adolescentia muneribus militiæ functus, è quibus ad Christi vexillum se recepit, vt mutato cum Duce armorum genere, nequaquam destiteterit militare. Vir profecto, & ad salutem suam vehementer attentus, & ad aliorum. Alter sit Pater Hieronymus Fernandez, canis, & annis in Societate à primo æuo transactis Venerabilis, Venerabilior eximiis virtutibus, quibus per omne tempus effulsit. Eius mansuetudo in alios admiranda, patientia nota omnibus, sui despectus, vt nihil supxa. Multos à vigesimo annos in Aristotelica Philosophia, plures in Theologia enodanda collocauit; vt vero illum ab his curis ætas auocauit, ita mentem appulit ad scientiam Dei colendi, huic vt vni professioni natus egregie videretur. Tertius agebatur mensis, vt Scholasticus noster quartana laborabat victrice omnium medicinarum. Crebris à Gymnasio itionibus, & frequenti eius desiderio suboffensus Magister, pridie diei, quo die febris erat reditura, hortatur Auditorem, vt ad Beati Ignatii patrocinium se recipiat, de criminibusque confessus, & sacro edulio refectus, huic Cœliti seorsim se commendet. Morbi importunitas medicinam approbauit. Ergo per omnia obsecutus, addit de suo votum Dominicæ, & Virgineæ precationis quinquies recitendæ solito febris die, Gymnasio frequens adfuit, stata hora visus sibi sentire fumos quosdam,

aut nebulas, è capite exhalare, & quasi vertigine correptus aliquantulum remansit: nec mora, ad vicinos conuersus, quod ait, Numini gratulandũ sit, à me abiit mea quartana. Non vanum dictum fuit, ex illo est incolumis.

COLLEGIVM EBORENSE.

QVidã tali erat in nos amore, vt mortem á Deo non deprecaretur, sed eam precaretur, cui possemus interesse. Hic superfundenti se morbo cum succumberet, vltimum esse ratus, apud nostrum septuaginta, quos habebat, annos retexit confitendo. Noster ei reiecit in collum reliquiam Beati Parentis Ignatii, admonens virum esse miraculis inclytum, ei sese commendet impensè. Quid rem miraculo posit eximere? erat hoc in resurgẽtis Domini peruigilio, in ipso die pedes abiit in templum Sacræ mensæ astiturus. Hic si nos antea diligebat, cœpit amare, adeo vt se decreuerit voto mancipare huius Collegii seruituti. Cum sciret nostris remigrandum, se ad obitum simul instruxit. Pridiè eius diei, quo erant reuersuri, eos visit valedicendi ergo; in ipsa profectionis die, deliquio concidit, rebusq; ex sententia paratis, feliciter obiuit; cum interea loci nemini esset dubium, eum nostrorum discessu perijsse.

PROFESSORVM DOMVS VILLAuizosensis.

EFfusa Ducis excellẽtissimi erga nos beneuolẽtia, quia crescere nõ habet, perseuerat. Tam nobis perhonorificum se exhibet, & perhu-

manum.

humanum. Iam vero in nostro templo non comitem se alijs ad pietatem, sed ducem præfert. Id visum potissime, cum ob Venetorum motuũ successum Sacrosanctam Eucharistiam posuimus in aperto, suplicationẽ siquidem sua præsentia cohonestauit, quin & vmbellæ hastilia cum clarissimis fratribus prætendit. Candidum cereum, fundatoris insigne, de manu nostra accepit, idque habuit pergratum. Componitur oppidum Ducis ad exemplum. Nos contra adnitimur, vtilitas vt nostra cognoscatur. Cõcionum numerus, præ vt pauci sumus, haud tacendus, ad tercentum peruenerunt. Apud rusticanos sacrorum vsus, vt olim penè intermissus, sic hodie penissimè restitutus.

MISSIO PORTALEGRENSIS.

Canonici nobis templum dederunt, exemploque fuerunt, vt vicinæ ædes à priuatis dominis adijcerentur. Ciuitas autem dedignata cuiusuis erga nos munificentia, plateam impertiuit, qua penitus egebamus. Itaque incipiunt domi nostræ solita munia frequentari, quod antea non licebat. Attamen domi non raro, in templo maximo, & alijs Ecclesijs sæpissime concionamur: qua ratione vel illud indicet, quod Misericordiæ Sodales, alijs repulsis, quæ vltro & gratis se ingerebant, nostrorum doctrinam prçoptarunt. Cõfessionum frequentia, ob longam dissuetudinem, frigebat adhuc, sed iam incipit calere, præcipue cum nobilitas nos eligat, quorum auribus occulta credat. Christianæ doctrinæ promulgatio vltra puerilem ætatem, multos inuenit Auditores, ea fit in foro, & locis alijs frequentibus, vt magis euulgetur.

COLLEGIVM ANGRENSE.

IMago B. P. Ignatij partu laborantib. ſemel atque iterum auxilio præſenti fuit. Honorata fœmina magno morbo ſuccumbebat, cõcepto voto recepit ſe locaturam faciendam imaginem B. Patris, reamque voti fecit ſecuta poſtea valetudo. Parthenii ſodales in maiorem quotidie pietatẽ adoleſcunt. Multi quater in menſe, bis alii, quot menſibus omnes Euchariſtiæ participes efficiuntur. Noua Collegii ex ædificatio multis partibus aucta, vt prope ſit, cum eò ſimus emigraturi. Mulieris cuiuſdam dono ſacræ ſupellectili pyxis, bibliothecæ magni pretij volumina nuper acceſſerunt.

ANNVÆ LITERÆ PROVINCIÆ TOLETANÆ Societatis Iesu 1607.

SOCIORVM NVMERVS IN SEPtem ac decem loca diuisus.

COmplexa est prouincia hæc Socios quatrocentos nonaginta vnum. Professorũ domus Toletana duos, & quadraginta, Sacerdotes vnum & viginti, fratres totidem. Domus probationis Villaregiẽsis duob. plures. Ex Sacerdotib. veteranos quinque, nõnullos tertii experimenti: rei domesticæ adiutores decẽ; reliquos tirones. Domus probationis Madridiensis ad quatuor, & triginta; Sacerdotes septem; horum tertiæ probationis tres, adiutores sex, ceteros tirones. Collegium Madridiense octoginta, Sacerdotes octo supra triginta; horum sex magistros, & quidem rei latinæ quinque; casuũ cõscientiæ vnũ, reliquos adiutores. Complutense vndeseptuaginta, sacerdotes sex ac decem, eorũ tres magistros, Theologię scholasticæ duos, sacri codicis explanatorem vnum, scholasticos septem, ac viginti, adiutores vno minus. Murcianum sex ac sexaginta, septem ac decem Sacerdotes, horũ magistros quinq;, subtilioris Theologiæ duos, literarum sacrarum interpretem vnum, controuersiarum conscientiæ, quartum, grammatices vltimũ, scholasticos sex ac viginti, adiutores pauciores tribus. Ocaniense septem ac decem, Sacerdotes septem, reliquos fratres. Optense nunc ad quatuor & quadraginta, nunc vero ad duo-

deviginti, Sacerdotes ſex, reliquos humaniorum literarum domeſticos auditores, & rei temporariæ miniſtros. Bellomontanum ſeptem ac decem; ſeptem Sacerdotes, adiutores reſiduos, cum ſcholaſticis tribus rei grammaticæ lectoribus. Ozopeſanum duos & triginta; Sacerdotes duodecim, horum vnus Theologiam morum explicat, Philoſophiam tres, grammaticen totidem, ſcholaſticos duodecim, adiutores octo, quartum latinitatis profeſſorem. Placentinum viginti, ſacerdotes octo, ſcholaſticos tres idiomatis latini expoſitores, adiutores reliquos. Toletanum ſeptem; Sacerdotes quatuor, adiutores duos, ſcholaſticum vnum, eumque artis grammaticæ didaſcalum. Concheuſe nouem; Sacerdotes tres, fratres ſex, tres eorum informant pueros elementorum notione, & pingendis characteribus. Securitanum duodecim; Sacerdotes ſex, totidem fratres. Talabricenſe plus vno, Sacerdotes octo, eorum explanatores tres, duos Latini Vernaculi, tertium Theſium practicarum, adiutores quinque. Carauacenſe viginti, Sacerdotes octo, eorum vnus latinam dictionem tradit, reſiduos fratres, quorum duo pueros docent characteres agnoſcere, ac fingere. Almecerēſe domicilium ſex, quatuor Sacerdotes, adiutores duos. Naualcarneranum totidem, Sacerdotes tres, fratres eodem numero. In Societatem adſcripti quinq; ac triginta, ſcholaſtici quinque, ac viginti, adiutores decem. Obiere viginti; ſeptem Sacerdotes, totidem Scholaſtici, ſex adiutores.

DOMVS

DOMVS PROFESSA & Collegium Toletanum.

VNO aut duobus antè annis Virginis Mariæ Sodalitas interdicta erat popularibus hominibus, admittebatque ſolos clerica dignitate viros, qua pro illorum ac ſcholaſticorum iuuenum paucitate, labebatur ſenſim, vt vix vllus eam adiret, proinde religioſæ inſtitutionis officia neglecta. Procurata eſt huic vulneri medicina, præſens itaque viſum remedium laicis aperire aditum. Medicaminis vim euentus probauit. Qui primum Sodalitatem ſunt ingreſsi, viri fuere primarij Vrbis, diligentes admodum ac ſtudioſi; idcirco documento ſuo tot in eam allexerunt, vt nullus extet ciuis alicuius notæ vir, qui non ſe addixerit Congregationi, ſe maxime felicem ratus, quando ad eam cooptetur, impenſa iam adhibita cura. Creuit ita Sodalium numerus, abſq; virorum diſcrimine, vt recenſeantur quinquaginta, & ducenta capita.

Mirum profecto, quam alacri & aſsiduo ſtudio ſingulis quibuſque menſibus ad Chriſti menſam accedant, quindecimo quoque interſint parænesi die, primordio cuiuſuis menſis Diuorum ſortitioni, interim flagellationes, cilicinas vexationes, orationes, preces polliciti. Dieb. Veneris, & aliis profeſtis non pauci ad nos veniunt præſcripto confeſſarii, vt ſe verberent, horum plurimi octonis diebus, alii bis hebdomade, præterquam præfixo tẽpore Vitali pane reficiuntur. Vinctorũ curã in ſe recipiunt, quotidianum illis tribuunt cibum, ſtipe corrogatum, ex his nonnullos in alienis

numis versantes, libertate donant, instruunt vestibus. Igitur subducta ratione aurei plus millibus duobus, quotannis impensi extant. Eximiam eorum pietatem authore Deo auctiorem nobis inposterum pollicemur, nam ad vnum iustæ sunt ætatis, atque conditionis viri, & plerique prudentissimi, iuxta & studiosissimi sui profectus. Alij alternis mẽsibus, alij verò Ogdoade ad conquirendam eleemosynam destinantur, quisque quando sors obtigit, vicatim flagitat, vt vel aspectus eorum emolliat animos, & ad religionem accendat, quam reliquus populus crebris prædicat sermonibus. Quid? Nosocomia frequentius obeunt, mendicorum excipiunt confessiones, insternunt lectos, prosequũtur funera, ministrant escas. Videas præclarissima forma iuuenes, opulentos, elegãtes concinnãdis hos ægrorum lectulis intentos, illos construendis absq; horrore, absque nausea, sine fuco, cum tamen plerique morbidi huius regalis valetudinarij ita praue sint affecti, vt incurabiles agnominentur, ac solus eorum obtutus ad horrorem, ac vomitũ pellat eos, qui sibi diu non repugnarint, ac pietate profecerint eximia.

MADRIDIENSE COLLEGIVM.

AVcta est scholasticorum cõgregatio, & grege, & studio pietatis, lacessita secularium gestis. Quod verò in ea ducit familiam, inflãmatio est aliorum scholasticorum ad officia virtutum, & Sodalitatis ingressum. Quocirca ingens emolumentum, quod experti sunt veterani ad Tirones admittẽdos, inuitat animos, tamen sacelli, quo se recipiũt, angu-

stiæ

ſtiæ præcludunt eis aditum. Accedunt ingẽtes exuuiæ, quas ab hoſte reportauit Iubileum, quod horarum quadraginta contemplationem indixit Bacchanalibus dieb. Vt enim ſileam quamplurima crimina impedita, quando liberius homines ſuis inſeruiunt cupiditatibus, tantus extitit confeſsionum & Euchariſtiæ vſus, vt compertum ſit eum, quem ſacra fert hebdomada, ſuperatum fuiſſe. Celebritatis huius gratia, inprimis ornatum eſt tẽplũ egregie periſtromatis eximiis, quorum faſtigia excepit ſeries hiſtoricorum emblematum, quæ B. parentis noſtri exhibuit vitam. Ordo ad hæc ſuperior Martyrum Societatis inſtructus eſt effigiebus, qui ſanè ornatus gratior fuit omnibus, atque mirabilior, q̃ eſſet quiuis alius ex pretioſiſſimis quibuſq; natus tapetibus. Altare præcipuum, eiuſque vtrinque regio certis quibuſdam illuſtrata ſunt argumẽtis, quæ clathratas reddebant feneſtras, amplas nonnihil, vbi lychnorum magna vis locata eſt, ac ſacræ Diuorum contextæ reliquiæ ſedibus accõmodis; quod tantæ fuit admirationi, vt vno omnes ore dicerent, nihil à ſe præſtantius in curia viſum, tantoque ſeruijt applauſui, vt per nonnullos primates, ad Regios homines re delata, etſi duabus hinc abeſſent leucis in Villa, nihilominus delubri noſtri Religio eos peruicerit, quo Bacchanalium ipſo die pluuia decidente, ad nos venirent, & ſolennitatis, & ſacri ſtudio. Quibus mira ſunt voluptate delibuti Cæſares, & præclariſsimè affecti. Haud vulgaris inde fructus in populum emanauit. Ante, ac poſt meridiem triduo facta concio, & reſiduo tempore concentus perſonuit gratiſsimus,
quem

quem edidere vocalissimi cantores regij. Igitur ita excitata est cunctorum religio, vt per diem integrum arceret omnes ab ingressu templi constipata gens intus conclusa. Religiosa erat contentio, qua non modo per horam incumbebant orationi Eucharistiæ præsentes, verum qui semel intrassent limina, recusabant egredi, nec defuere plures, qui ieiuni totum diem transegerint ad Corporis Christi præsentiam. Apostolicus nuncius haud vulgari fuit exemplo, nam triduo illo, mane, ac sero miro adfuit Sacramento.

Quæsitor quoque generalis religionis, ac rectæ fidei, aliorum prælatorum Virorum corona non paucas horas eandem impendit latriam. Demum per eos dies percrebuit in Curia sermo de nostri fani exquisita elegantia.

Peracta celebritate, petiere Reges in aulam deferri sibi argumenta illa, quæ parentis nostri significabant gesta, vt ea per otium contemplarentur. E vestigio sunt delata, suoque tributa ordine spatiosa in pergula, quo Cæsares iere: ex instituto inspiciunt rem, rogitare quid singula innuerent, quæsita explicare.

Humaniorũ literarum ludus nemini nõ est gratissimus pluribus ex causis, primum illustrium virorum liberi honestè omnes educantur, impensa virtutis, ac studiorum cura, quæ spe vberioris fructus inualescit. Deinde morum corruptelæ admodum sunt obnoxiæ Curiæ illecebræ. Præterea ita est frequens auditorum numerus, vt ferme sint octocenti, qui denuo augentur, postremo adhibita

adhibita eis industriâ progenitores ad nos allicit, apud quos illustre fit Societatis nomen, nec ingrati animi patiuntur labem, cum cernant seuerissimam disciplinā qua instituantur filii tot inter morum præcipitia. Ad hæc prima nobilitate pueri iam adulti accepti beneficii memores, nobis sunt deditissimi.

Elementariæ scholę magnam referunt vsuram, licet enim earum cura non sit à nobis suscepta, verum singulis hebdomadis Sacerdos eas omnes oblustrat, & religionis imbuit rudimentis, eorumque præfectos hortatur, vt præstent idem, quorum animos ita sibi demeretur, vt generatim omnes cupiant esse actionis ita honestæ socii. Vt diligens, ita fructuosus labor. Vix credas quàm belle sint initiati paruuli. Memoria tenent enchridium Christianæ institutionis, haud parum ad eam rem iuuat magistrorum certamen de præstantiori puerorum informatione; nam magna ipsis accessio fit existimationis, si, quando publice catechismis à nostris explanatur, in foro sui discipuli præmiola referunt, quod melius nouerint catechesim.

DOMVS PROBATIONIS Madridiensis.

SCholasticus tiro singulari ratione accitus est in Societatem. Dum per viam incedit, exoritur acris procella, vehementi flatu validior, qui pallia abriperet, ea inter ab aliis duobus componenda

ponenda inuicem intonuit grauiter, vt iumentum vtriusq; cõtremisceret. Bini capessunt pauidi fugam, reuocare identidem capita, vt tertium respicerent iam diaconum, apparere nusquam, studiose conquiri, tactum fulmine occubuisse constat cum equo, hoc omine perterritus alter superstitum, Societatis cõcipit animum, & eum ad rẽ perducit. Sex functi sunt vita, tirones quatuor dimissi, horum scholastici tres, adiutor vnus. Nouitiorum institutioni sedula cura impensa est, ipsi vero tirones fructuose obiere experimenta, inseruiunt generali nosocomio: quotquot vero iere illuc ægri, sunt reuersi fere omnes; nonnulli contagione, præsertim qui vacarunt impensius. Duo hic eodem die, & eadem tabe sunt correpti; liberatus vnus, extinctus alter, scilicet Ioannes Baptista Espinola, cuius insignem animi alacritatẽ, atq; magnitudinem, qua seculares pompas amandauit, magnarum rerum spreta fiducia, obitu felicissimo remuneratus est Deus. Nonnihil parens fuit difficilis in concedenda copia Societatis, dubius de maturo filij consilio, vbi tamen eius nouit constantiam, ac euocationem diuinam, quãprimum annuit, adolescens interim cum sua vota suspendi cerneret, simulatis meditationibus in hanc domũ se recepit, reapse tamen constitutum habebat inde non egredi, donec paternam exoraret voluntatem, ac felicẽ precationem. Moratus est hebdomadis quinque inter neophytos, eadem obibat cum illis humilia officia. Eximia erat indole, mitis, humanus, docilis, excellens virtute, Societatis proposito, obedientia, infirmarum rerũ studio, victoria sui, & vexatione, paupertate, quã adamabat

vnicè; increpabat ſingularia cura , ſi forſan in re quapiam indulgeretur ſibi ob priſtinas delitias, ſuſpiciebat alios, etſi minimos tirones, diu ante obitum inter colloquendum repente prodiit , & abs re, ac ſi clam verba ſibi facta eſſent, perſenſi, inquit, in tyrocinio me non deceſſurum, oratio hæc perculit animos, creauit ſuſpiciones, inſtantis ipſe numinis vim agnoviſſe videtur, vt maturaret profectũ pietatis. Extremis vitæ menſib. ardor animi, quo denuò flagrabat, erumpit foras, tum ad vnicum Deiparæ ſtudium, deditiſsimè ſeruit imperiis caritatis, ac depreſsionis officia colit ardentius. Ergo ad generale noſocomium accurrit nonnunquam experimenti cauſa, ibi totum diem moratur abiectis munijs intentis, piiſq; ſermonibus: poſt ad religioſorum votorum nuncupationem ſeſe ad noſtras meditationes retulit, vbi & plurib. ornatus eſt adeo beneficiis, & optimos imbibit ſẽſus de præclariſsima noſtri aſſertoris exiſtimatione, ſupernarũ rerũ pretio, ac terreſtriũ deſpicatu. Abiectionis gratia cogitauit elemẽtariã ſcholã togat⁹, & accinct⁹, vbi cũ pueris chriſtiana rudimẽta modulat⁹, rediit publice petẽdo ſtipẽ, demũ cõfect⁹ morbo, religioſa vota emiſit expleto iã biẽnio. Patiẽtia extitit ſingulari in medicaminũ carnificina, & ab omni perturbatione alien⁹ deceſsit. Obiit deinde Ioan. Martin⁹ Sacerdos bimeſtri cõmorat⁹ in tirocinio, verũ ſtudio pietatis lõgiorẽ vitã cõpẽſauit, mi grauit lætiſsimus, q perbreui Societatis potitus indultis æternã vitã ſit mercat⁹. Sequut⁹ eſt Hieron. Villanoua ſcholaſtic⁹ nouitius, ita enixe ãplex⁹ eſt abiectionis curã, vt magna cõtẽtione petierit, ne humaretur in Societate, q indign⁹ videretur ſibi tãto

ſe-

ſepulchri honore, ſed in foro exponi, vt vel canum eſſet præda, vel ſummum precariò ab aliqua Sodalitate ſepeliretur. Parebat ad nutũ, obſeruantiſsimus omnium erat, præſtanti ſilentio, annum dumtaxat in tirocinio collocauit. Quartum locum vendicat Ioannes Martinus temporarius adiutor, ad primè videtur expreſſiſſe rerũ ac virtutum omnium imaginem, quas noſtræ ſanctiones exigunt ab huiuſmodi hominibus. Inſtrumentum erat commune moderatorum ad omnia temporaria munera diligenter exercenda, vt commiſſo illi negotio, cura omni eſſent vacui. Studioſiſsimus paupertatis, rei neglectæ cuſtos vigilantiſsimus, laboris patientiſsimus, obedientiæ ſingularis, pari erga omnes animo, diſciplinæ religioſæ ſolicitus, accuſator ſui, nullius increpationis auerſor, circumſpectus, modeſtus admodũ. Attulit ei mortem caritatis officium, quo diu noctuque incumbebat ægrorum noſtrorum curationi, deſideratus homo, temporarijs rebus vtiliſsimus, & tironibus, & veteranis documentum, & calcar pietatis, noſtris cõſtitutionibus expreſſum. Excepit eum Ricardus Valas ſcholaris Tiro Anglus, qui melioris educationis, & Societatis voluntate laborioſe, ac mendicans ter, aut quater centenas leucas confecit pedes, inuigilauit deiectionis, obedientiæ, & automachiæ ſtudijs.

Migrauit tandem Ioannes Tapia Sacerdos quatuor profeſſorum votis adſtrictus, pietati vel inde à puero deditiſsimus, diuinæ multum ſtudebat conſuetudini, ac diu, animorum ſalutem procurabat ardentius, & confeſsionum exceptione, & concionum

cionum fructuosissima doctrina. Singularis inerat in eius oratione dulcedo, in sermone pia suauitas. Concionatorem domi agebat, singulari erat erga omnes demissione, obedientia, & caritate; perpetuò sibi obsistebat; macerabat admodum corpus. Cōsultum etiam externis Christiana institutione, concionum, & confessionum industria, & fructuose, gēs enim nobis finitima destituta est nonnihil, & institutione indigens. Meditationes nonnullis traditæ. Sacerdotes etiam tertii experimenti, ac alii vicina oppida lustrarunt. Adiuncta est demum habitatio domestica supremæ valetudinis causa. Ex ære Campano confectum horologium in domesticos, & finitimos vsus necessarium, in eam rem contulere stipem non vulgarem Camarassensis Marchionissa institutrix domus, Gandiensis Ducissa, Villæ nouæ Marchionissa; ac Varrionouus Peraltensis; octocentis enim circiter stetit aureis. Locata sunt in fano plana duo pegmata depicta, ad aras obliquas, illustria valde, ac pia. Excessit hoc anno Comes Oliuacensis natu maior, Camarassensis Marchionissæ frater, corpus humatum in sacello tironum; aureos ducentos iussit nobis concedi.

COLLEGIVM BELLOmontanum.

OPpidanis, ac finitimis vsitata officia profuere. Per quadragenos dies habita missio turpes diremit consuetudines, & graues inimicitias; auditæ plures totius vitæ confessiones. Quidam

ſæpius male confeſſus, quinque aut ſex diebus accurrit ad Sacerdotes noſtros, vt aperiret rite vulnera, tamē cum ab inſtituto reuocaretur malo-dæmone, tandem vi noſtri concionatoris permotus, plenam obiit miro ſolatio expiationem. Nonnullos poſt dies rediit vt eundem confeſſarium conueniret, neglecto longo itinere, quo altera cōfeſsione luſtratus animus conquieſceret. In eadē excurſione inopes ſubleuati largitionibus, quas oppidani deferebant Sacerdotibus noſtris diſpēſandas, tanta æſtimatione ſumus apud Bellomontanos, vt non occurrat alicuius momenti negotiū, quod nobis nō cōmittāt, licet alii ſint religioſæ, ac laicæ profeſſionis viri & prudenres, & docti. Diuinorū myſteriorum frequens eſt vſus, & magnus auditorum numerus concionum tàm domi, quā in fano Collegiario.

Humaniores literę annis proximè præteritis auditorum copia interdū non floruerunt, quod ſterilitatis, ac ęgritudinis vitio laborarēt, verū hoc anno plures trecētis numerarūt. In his excellunt Sodales, & Conuictores cū literis, tū religione. Dies B. Virgini dicatæ reb. literarijs ornātur, quæ cū redoleāt pietatē, proſunt ſcholaſticis, vt ſtudeāt Deiparę, eiuſq; cœtui cōſecrētur alii. Tēplo noſtro adiectū eſt altare quartū, vt effigie parētis noſtri plene frueremur, exſtructa affabre, ac religioſe. ſuſpicit vindicem aſſertionis noſtræ vehentem: inſigne, ac Triadis hypoſtaſim primā. Cōfecta verò eſt hominum ſtudioſorum largitione, de quib. ſic bene meritus Ignati⁹. Idcirco artis palæſtra euincit alias huius prouinciæ, citra eū ſumptum qui rei noſtræ familiari obſit. Suſceptæ meditationes ab omnib. ēt ab

et ab affectis. Aucta est bibliotheca selectorũ librorum numero, qui empti sunt quingẽtis drachmis, quas impendit studiosus quidam, vt communi vsui inseruirent libri à se concessi, proinde adiecit onus, minime illos extrahendi ex bibliotheca. Res familiaris nil fere creuit hoc anno: quidquid enim compendii erat instituendum, id fere totum insumptum est in resarcienda peruetusta domo.

COLLEGIVM CONCHENSE, ac Securitanum.

COquenses ciues de Societate præclarè sentiũt, accurrunt in eam tum rei literariȩ, tum amicitiarũ, ac pij negotij studio, cõciones nobiles auditorũ dignitate, ac fructu, qui vicinas prætermittũt religiosas stationes. Sacramẽtariæ medicinæ adhibẽtur crebrius in incõmodo tẽpli nostri situ, ac importuna loci natura. Alphabetica instructio nõ modo iuuat ad honestã puerorũ educationẽ, verũ etiã ad conciliandas parentũ volũtates. Paruuli sexcẽti cõueniunt ad orthodoxã informationẽ feriis Dominicis: pro nata inde occasione, parænetico sermone populus officii cõmonetur. Concionũ, cõfessionũ, & indulgentiarũ opera, crebrior vsus Eucharistiȩ in oppido Securano, in quo Sodalitas est, q̃ tertia quaq; die Dominica mẽsis indicit cõuentũ ac Iobæleũ, vtẽtib. diuinis mysteriis, quib. cũ pauci lustrarẽtur, frequẽtato cœtu effecit industria nostra, vt numerus vsurpantium Sacramenta sit tantus, vt vix eis possit fieri satis. Duobus retro annis piorum exemplorum vsus sancitus est Dominicis diebus sacratissimo anni tempore: Veneris etiam ferijs institutus est oppidanorum conuentus ad nostrum Collegium, piæ lectionis

causa, quæ versetur in expendenda Christi perpessione, vbi traduntur priuatæ meditationis capita: ad hęc plures sese flagellant in templo nostro. Ægri fuere quam plures, & omnibus impensa cura solers. Prodiere Sacerdotes sæpius ad oppida finitima concionum causa. Oppidi rectores, ac reliquus populus præclare sunt in nos animati. Occasiones occurrerunt huius voluntatis testes; præcipue vero rectores auxiliati nobis in duabus incursionibus gubernatoris.

COLLEGIVM CARAuacense.

OBiit Frãciscus Zuasius Sacerdos informatus adiutor, insignis demissione, pietate, obediẽtia, religiosæ disciplinæ solicitudine, confessarij munere. Fames extitit maior, occurrimus inopiæ, & nostræ, & aliorum; itaque præstitutis diebus procuratus est cibus carceri addictis, primum à nobis, deinde à ceteris. Constituta pax inter nonullos, cum magna impenderent incommoda. Catechismo formati sunt pueri, & adulti hortatione. Nosocomia, & custodiæ auxilium nostrum sitiunt, cætibus religiosis parcentes vicinioribus sibi. Infantis Dei circumcisi die constitutæ reliquiæ B. Basilii in Lypsanotheca; fere totum corpus in frusta dissectum, magnæq; aliorum Diuorum portiones, concursu magno, & nobili externorum.

Quadragenis feriis obiere duo Sacerdotes oppidum Calespatræ nomine, vbi plurium annorum

exceptæ

exceptæ confeſsiones, binis concionibus Mercurii, Veneris & Chriſti diebus additis. Et quia mos eſſet opido annuam præceptionem Confeſsionis intra quadrageſimam tempeſtatem explere, ſacræ manifeſtationes præmaturæ fuere, vt earum vis incumberet excurſoribus. Qui vero Chriſtianæ inſtitutioni præerat, variis artib. alliciebat pueros, cantilenis piis, icunculis, crucibus Carauacēſibus, & roſariorum ſimulacrulis. Porro diebus Dominicis à meridie, qui excelleret voce puer, ad limen templi concinebat verſus lugubres ſenſu plenos, ad quos populus ſubſiſtere cum primatibus, rem inuſitatam voluptuoſe contemplari, quin ineunte Quadrageſimæ tempore effecere pueri ligneam crucem atri coloris, quam Ludimagiſter auditorum cinctus caterua, geſtabat per oppidum ſingulis noctibus, accenſis cereis intra papyraceas thecas. Interea decantabant carmina, & religionis primordia, nonnullorum etiã ſancitæ ſunt paces, & diuturnæ diremptæ lites, perſpicua crimina, & offenſiones extinctæ nonnullæ. Ad eam rem fecit primatum gubernãtium à nobis conciliata voluntas. Diuinitus præmunitum videtur oppidum ad perferēdas calamitates, quas hauſit poſt noſtrorum diſceſſum. Contagiones extiterunt, & periculoſi morbi, quibus extincti multi. Primo vere Carauacenſis ager magnam ſubiit ſiccitatem, inſtitutæ primum rogationes, nouem dierum preces, ac ſupplicationes, deinde decreuit vterque cœtus cum Eccleſiaſticus, tum laicus ſimulacrum infantis Chriſti à nobis expoſcere, vt nouem dierum religione coleretur in præ-

cipuo templo. Pretiosſimis quibuſq; ornatũ veſtib.pompa celebri exceptum eſt, & Sacerdotum quatuor peruectũ humeris,obortis magno ſenſu & lacrymis. Placuit numim tertio die ab inſtituta religione pluuiá concedere,qua valde ſunt recreati oẽs, & adoleuit pietas erga noſtrum infantem,q admodum eſt lepidus, pulcer,& grauis.

Succenſa eſt ét oppidanorum religio erga Patriarcham noſtrum,cuius ſubſcriptione plura beneficia ſunt experti. Nonnulla documenta referá. Matrona primaria trimeſtri ęgra,bis ſupra viceſies ſanguine miſſo,grauida erat,mors illi prędicitur in partu,itaq; pariendi adeſt tempus: acerrimis pridie functa dolorib,affecta,& debilitata mulier,adeſſe vultSacerdotem noſtrum,qui ſacrum geſtaret parentis noſtri chirographum, accurrit Sacerdos, ſemimortuam offendit ſuſtinentis brachio ſuſpẽſam;alienam fere à ſpe vitæ,vt enim ipſa referebat pòſt,tráſuerſum habebat exanimis infantem.Verum excitata,ad incrementum fiducię aliarum exemplo parturientium mulierum, quæ B. Patris perſenſere patrocinium.Colẽdum dedit Sacerdos chirographum,& admouendum vtero, res mira, vix poterat ſalutatio percurris Virginis,quando viuus prodijt infans, quem, cum nonnihil eſſet fracto colore,Sacerdos inuitatus ab obſtetrice, quæ pertimeſcebat obitum, Chriſtianis initiauit ſacris, ſi mas,inquit,infans ſit, Ignatij nomen vindicat. Turba conuenerat cognatorum, vicinorum, ac omnes repente vno ore ingeminant Diuum Ignatium ordine confuſo,rem tantam, ac eius mirati celeritatem.Ingreditur Sacerdos interiora adyta,

delata secum reliquia sacra, cœtus illum sequitur. Eximia religione flexis genibus posuit chirographum adorandum. Res est omnibus visa prodigiosa, ac longe vulgata, ægra etiam habet melius. Hæc gesta sunt paulò ante felicem obitum parentis nostri: idcirco dies ipse obitus insignis fuit mane Sacramentorum vsu, Vesperi præclara exhortatione concionatoris nostri, ad vtramque rem magno confluente cœtu.

Simile huic exemplum accidit celeritate, atque angustiis alterius grauidæ, quod prodigium nullus vocat in dubium. Alius pietate insignis die Dominico ad nos venit Sacramentorum causa, cumque suum confessarium cerneret magna turba circumuentum, quamprimum non licuit illuc accedere, & coactus est domum repetere dolore prius concepto, à meridie accersitus confessarius, aduolat illuc medico instructus chirographo, admouet illud affectæ parti, quo primũ abstersus est dolor, ac velle se vestiri dixit æger. Manè itaq; diei sequẽtis mysteriorum causa venit. Quod vero est caput, dolor ille ad temporis mutationem vexans iam deinceps immutata sæpè tempestate (plures verò quinque numerantur mensibus) vexauit nunquam. Adolescens cruciabatur acri dolore stomachi, propterea Sacerdos noster euocatur, qui gestientem præ dolore inuenit hominem, huc atque illuc se vertentem, & obuia quæque vellicantem, tantas vires dolor cepit, vt diu ibi detentus Sacerdos

nec verbum ei potuerit facere, domum rediit mœstus; chirographo armatus reuisit languentem hominem, subscriptionem applicat, ac sacrum profert Euangelium, quiescit illico æger, eluit crimina, paulò pòst liberatur febricula. Proinde augetur oppidanorũ religio in parẽtem nostrum, ac nouem dierum offertur ei religio cum cereis eius simulachris.

COLLEGIVM OZOPEsanum, & Placentinum.

OZOpesæ decessit Sebastianus Romerus Sacerdos. Anno superiore venerat, vt ageret ministrum, & se compararet ad liberalium artium tradendam disciplinam, vir sanè præclarissimi ingenij, ac eximiæ dotis, religiosus admodum, ac omni virtute insignis. Conceptus ardor pietatis per nostras meditationes erupit ad externos Sacramentorum vsu, & simultatum concordia. Nocumẽto etiam graui occursum est, quod sequebantur homicidia, & honestæ consultum mulieri, quam in suspicionem vocauerat maritus, itaque vterque coniux communi consensione apud eundem Sacerdotem nostrum crimina lustrauit, et antè discors ac semotus, communem agit vitam: igitur maritus, ac propinqui se gratos exhibent Societati. Vincula, & nosocomia, christianæque institutiones frequentatę; conciones etiam sacratioribus anni temporibus, quibus finitima fruuntur oppida, philosophicæ, ac gram-

ac grammaticæ literæ fructuosæ fuerunt cum literis,tum pietate, sedula præfectorum industria. Templi ædificium assurgit lucidè, ac superbè,externa enim polito sunt è lapide, & quidem præclaro.

Placentiæ præclara est opinio externorum de officii nostri cultu. Sacerdotes duo expediti sũt in diœcesim magno cũ fœnore;ad hæc Sodalitas Annunciatæ Mariæ eximia præbet documenta, gymnasia florent auditorum iusto numero, & literarum, ac virtutis profectu.

ANNVÆ LITERAE PROVINCIÆ BOETICÆ

Anno 1607.

HAbuit hoc anno Boetica Prouincia Socios septem & quigentos. Ex eo numero Sacerdotis munere fruuntur centum & octoginta tres; Duodeviginti supra centum literis vacant; Domesticis officijs vndenonaginta supra centum ; nouitij habentur sex supra quinquaginta: Hi omnes vndeviginti domicilijs sunt distributi. In professa Domo Hispalẽsi tres & sexaginta; Sacerdotes 24. totidem coadiutores veterani, cæteri cum scholasticis nouitijs quindecim. In Collegio sancti Ermenigildi eiusdem ciuitatis septuaginta sex; Sacerdotes sex & viginti, ex quibus duodecim & frater vnus Grammaticæ, Rhetoricæ, Philosophiæ, ac Theologiæ tradunt præcepta, ea que excipiunt discipuli quatuor & triginta: quindecim sunt coadiutores. In seminario Anglicano Sacerdotes quinque, duo conscientiæ quæstiones enodant; quinque item adiutores. In Cordubẽsi collegio tres vltra quinquaginta: Sacerdotes septendecim; studiis addicti vnde viginti; coadiutores quindecim, nouitiique duo: eorum Sacerdotes octo, scholastici duo, tum humaniorum, tum altiorum classium præceptores agunt. In Granatensi quatuor & septuaginta: Sacerdotes quatuor & viginti, ex illis vnus seminarii fratres octodecim, tres alii & frater vnus externos docent: coadiutores reliqui triginta duo.

In

In Montellano duo & ſexaginta: octo Sacerdotes, ſcholaſtici triginta duo; duodeviginti coadiutores; ex iis omnibus nouem & triginta ſunt nouitij, cœteri veterani, quorum ſcholaſtici duo grammaticam, totidem coadiutores primas literarũ notiones, ac rudiméta pueris tradunt. In Zæhlano nouem; tres Sacerdotes, coadiutores ſex. In Marcenenſi duodeviginti. Sacerdotes ſex; coadiutores octo; ex iis Patres duo humanitatis literas profitentur, fratres totidem elementarios informant. In Xeuzenſi tredecim; Sacerdotes ſex, vnus ſcholaſticus, qui cum vno ex Patribus grammaticam docet; coadiutores ſex. In Malacenſi vnus ſupra viginti; Sacerdotes decem; ſcholaſticus vnus, qui Patrem in humaniorib. literis edocendis adiuuat; coadiutores decem. In Triguerenſi ſedecim; Sacerdotes ſex; coadiutores decé; quorum vnus abecedarios inſtituit. In Gaditano quatuordecim; Sacerdotes ſex, ſcholaſticus vnus; & Pater ad grámaticá externos erudiunt; coadiutores ſepté, ex iis duo pueris præſunt. In Aſtigitano vnus & viginti; Sacerdotes nouem, literis incumbentes ſex, totidem coadiutores, ex iis ſcholaſticus vnus, duoque patres latinitatem, duo alij conſcientiæ ius, & Philoſophiam publicè tractãt. In Cazorlano quindecim; Sacerdotes octo, externæ rei adminiſtri ſex, ſcholaſticus vnus, qui cum vno ex Sacerdotibus, duob.que fratrib. tũ latinitatis, tum literaturæ dant præcepta. In Vbedano 7. Sacerdotes 4. vno minus coadiutores. In Guadixenſi 14. Sacerdotes 5. vnus ſcholaſticus, qui Sacerdoté in ſermone latino edocendo iuuat; coadiutores octo, quorum duo ludi magiſtri ſunt.

In

In Fregenalensi tredecim; Sacerdotes sex, studiosi tres, Coadiutores quatuor; ex iis Patres duo cum Fratre in Philosophia, & Grammatica tradenda distinentur. In residentia Antequerensi octo; quatuor Sacerdotes, totidem adiutores. In probationis domo Hispalēsi adhuc rudi, & quasi in cæmento Sacerdotes duo, totidem sunt coadiutores. Decerpsit sibi Deus vndecim; Sacerdotes quatuor, Fratresq; septē: sed in eorū locum viginti Scholasticos, sedecim Coadiutores substituit.

DOMVS PROFESSA Hispalensis.

IN Hispalensi Domo supremum vitæ diem expleuere quatuor. Agmen duxit Pater Franciscus Xuarez quatuor votorū ab hinc duo de viginti annos professus; sexagenario maior, & qui annos tres & quadraginta sanctitate, & animarum Zelo clarus in Societate vixisset. Egerat multis concionatorem feruenti spiritu, veritatemque sincere, sine fuco, sine pigmentis, graui oratione, magna efficacitate suaserat: sed cum præ summa senectute vox, & latera defecissent, animus nunquam defecit, sed quoad poterat, fœminas in cœnobiis, populum domi pomeridiano tempore nō sine admiratione hominum docebat, vltimis tamen concionibus, quas ad Doctrinæ Christianæ Sodales habuit, tam insolito ardore, ac vocis sono emicuit, vt conciones illas fore postremas, quod & ipse astantibus affirmauit; facile appareret.

Ad hæc Christianæ humilitatis opera adamauit; inserui-

inſeruire vel in exacta ętate coco; vna cum tironibus, abiectiſſima obire munia, eoſque rogare, vt modum, quo illa fiere deberent, indicarent; vili pannoſoque veſtitu in publicum exire, aliaque id genus plura exercere ſolebat. Illud ſingulare euangelicæ ſubmiſsionis exemplar, quod impacto ſibi ab impudente colapho, quo tempore collegii Rector erat, alacri ac ſereno vultu percutienti alteram maxillam obtulerit. Hos tam egregios labores, ac virtutes Deus optimus familiaritatis arctiſsimæ mercede compenſarat, eas homini ſuauitates infundens, quæ illum iuſtis diei ſpatiis Deo ſoli vacare dulciter impellebant; & cũ extremi moibi doloribus, qui maiores erant, quã iudicabãtur, vt mors opinione citior declarauit, acriter vexaretur, huius conſuetudinis non oblitus tam aſsiduas Deo gratias habebat, atque agebat, vt non pati, ſed gaudere potius videretur.

Secundus in eodem ordine fuit Pater Antonius Linerus, quatuor vota profeſſus iam ante annos tredecim, poſtquam vixerat annos quatuor & quadraginta, in Societate triginta: homo ſane de republica prouinciæ non minus ſolicitus, quam bene meritus; quippe per annos vndecim continuos Montellæ nouitiorum Magiſter collegiique ſimul Rector fere totidem; ad humilitatem, odium ſui, rerum diuinarum commentationem, quibus ille maxime excellebat, reliquasque virtutes, exemplo pariter, prudentia & paterno amore adoleſcentes erudierit. Eaque inter alias erat dote prædítus (ſuperioribus omnibus in primis optanda) vt in externa hominis forma natu-
ram

ram & mores quaſi in ſpeculo intueretur. Cum deinde Præpoſitus Hispalenſis eſſet, morbo conſumptus eſt.

Secutus eſt tertius frater Alphonſus Del Rio formatus Coadiutor anno ætatis 60. præditus magna animi pace, quam et in vultu præ ſe ferebat; mira fide in rebus ſibi iniunctis, & qui nunquam eſſe poſſet otioſus, morbo conſumptus longo, atque moleſto, obedientiæ, patientiæ, conſenſionis cum Domini voluntate, præclara reliquit documenta.

Vltimus extitit Pater Emanuel de Rioſcio, quatuor ipſe & triginta annos natus, cui tranſmittenti in Indos, erumpente iam pridem è vena pectoris ſanguine, itineri ſuperſedendum, ſeu cum meliore potius commutandum, in Profeſſa Domo naturę concedendum fuit. Fuit ingenio miti ac placido, probis moribus, omnibus carus & in morbo prolixo ac difficili patiēs, nemini difficilis, aut faſtidioſus, nec in alia quàm in Dei voluntate. Compenſauit Deus mortuorum iacturam, ſi non omnino, aliqua tñ ex parte, nouem denuò Societati donando temporaliū rerum diſpenſationi quā aptiſsimos; viuiſq; omnibus nouos ſtimulos ad propię, aliorūq; ſaluti inuigilandum inijciēdo; Coadiutores omnes ſingulariter erga ſanctiſsimam Virginem, Euchariſtiamq; dulci animi affectione inflammauit, proptereaq; plurimis conceſſum, quod non ſolet, vt ſecundò in hebdomade cœleſti conuiuio recreentur.

Sacerdos ex natu & religione maioribus, conciones in populeto, vbi frequens populus genio & delicijs indulgere ſolet, ſtatis hoc anno diebus habere inſtituit

instituit, id solum enitens, vt peccati deformitatē patefaceret, confessionemque, ac detestationem peccatorum persuaderet: & quo audita melius memoriæ inhærerent, conterendorum scelerum formulæ quam plurimæ typis mandatæ, concioni quotidie diribebātur: primum inuentū ita vtile populo fuit, vt remotę ēt vrbes, & oppida exemplaria quamplurima expetiuerint, pluraque denuò committi prælo fuerit necesse.

Viri duo nostris congregationibus adscripti in Cazallam & Alanij oppida ad habitandum profecti, duas alias ad Hispalensium instar Sodalitates erexere, & nostros, vt inchoata perficerent, sedulo vocauerunt. Eam nostri commodam, ac iustam excurrendi occasionem rati, bini ex professa domo lustrauerunt loca ad sesquimensem, & impigrè diuini verbi semine sparso, innumerorum conscientias, multasque à prima ætate, expiarunt: fidei elementa nobilibus & clericis comitantibus, publicè modulati sunt; inimicos inter se coniunxerunt; fœminarum præsertim cœnobium in contrarias factiones distractum, generali ferè omnium confessione excepta, pace & concordia coglutinarunt.

Doctrinæ Christianæ Sodalitas, hoc anno à Collegio, vt iamdudum optabatur, in domum Professam migrauit.

Dominicis diebus vespere omnes in templo nostro concionem de doctrina Christiana audiunt, ad quam etiam alia pene innumera non sine fructu confluit multitudo: Catechismi pompam de more deducunt, pudorē

ab

ab eleemosyna colligenda refugientibus victum corrogant, cetera que obeunt, quæ omitto vt ad missiones redeam; quæ præter iam dictam tres aliæ hoc anno fuere, inita noua quadam inter Collegium, & professam domum Societate, paribus Sociis euocatis, ex vnoquoque domicilio singulis.

Ex eiusmodi ergo excursionibus vna, quæ anniversaria, & precaria esse solet, suscessit Vtreram, id oppido non infrequenti nomen est. Ibi nostri per tres dies Bacchanaliorum vltimos, tam bene excepti quam desiderati, concionandi, absoluendique munera exercere vix cæperant, cum ea confitentium multitudo concurrit, vt à summo diluculo ad meridiem, à prandio ad noctem ipsam, occuparentur.

Hic doctrinæ Christianæ pompa nunquam tãtò apparatu & celebritate deducta, quippe quæ Episcopi Vicario cum Clero, Pro prætore, cum senatu, equestri ordine, populoque quam plurimo per celebriora compita, maxima crucis gloria processit; & quod admiratione affecit omnes, multosque qui vexillum crucis minime comitari statuerant, vt ingenue ipsi fassi sunt; de sententia desistere coegit; Dominus Matheus Vazquez vir natalibus clarissimis, Carmonæ vrbis Archidiaconus, Hispalensis canonicus, nostræ fidei præcepta, & rudimenta magno ciuibus exemplo gloriabũdus publice concinuit: & quidem quæ tribus illis diebus à nostris gesta sunt; adeo rara & illustria visa sunt, vt non defuerit, qui rei totius historiam excuderit;

excuderit. Exiere bini alij in oppidum Fuetes, vnde, licet consuetas, non modicas messes perceperunt. Sed illa insolita, quæ in oppidis, Alcala del Rio, Burguillis, atque Guillena extiterunt: ex ijs Guillena intestinis odijs, ardentibusque discordiarum facibus flagrabat: primores enim in aduersas quasi acies directi pertinaciter, ingens allaturi malum videbantur. Hoc exulceratum vulnus, ac pene desperatum, non nisi nostrorum accessu sanari posse vir pius & optimus iudicauit: itaque nostros accersit, nostri, singuli ex singulis domicilijs celeres accurrêre; & vt in neutram propendêre partem viderentur, templo pro hospitio vsi sunt; hinc diu noctuque inimicorum domos ambire, rogare hos, supplicare illis, omnes sancta prensatione allectare, pacemque omnibus conciliare modis non desistebant; terque controuersiam omnem transegissent, nisi communis hostis nouas totidem discordiarum faces admouisset: quas tandem nostrorum extinxit diligentia; & discordes in templum conuocati, quò magna populi multitudo, desideratum spectaculum visura confluxerat, audita prius de conseruanda pace concione, sibi mutuò dextras iniecerunt: sequentique die manè illorum plurimi nominis delationes & acta rescissuri, in Curiam Hispalensem, quò fuerant delata, profecti sunt; magna totius populi lætitia, & gratulatione, cuius nomine vir ille pius Præposito, Collegijque Rectori per literas maximas amplissimasque gratias egit, quod tales caduceatores pugnæ tam acriter consertę misissent. Hæc omnia Societatis officia ciuitas Hispalensis vniuersa recognoscens, nostros, & si non quã

alijs consueuit annis, qua potuit tamen quotidiana pecuniæ erogatione sustentauit, & extraordinaria, rem auxit: Aræ Beato Parenti nostro dicatæ frontale, quod mille æstimatur aureis, licet tanti non steterit, è gausapino purpureoque serico mira plumatum arte donauit, & superioris anni comitijs haud grauata, patres qui ad huius anni comitia conuenêre, magnifica liberalitate recepit.

COLLEGIVM HISPALENSE.

IN publica Societatis ignominia, ciuitati vniuersæ clarum tolerantiæ & humilitatis exemplum Collegæ cum professis præbuere. Nam cum aliarum familiarum homines religiosi, in hoc certè minus, prauè erga nos affecti, famosa carmina, plenaque falsitatis in nostræ Societatis ignominiam, & quidem falsò vnius è nostris nomine, Hispali sparsissent; & viæ, plateæque omnes non nisi conuitijs & maledictis in nostros personarent; nostri modestia, & taciturnitate, tantum ea pro se afferentes, quæ opportunitas temporis, & rei veritas postulabat, effecerunt, vt res, non quidem per nostros, sed per viros primarios, ac de Societate bene meritos, ad Catholicum Regem, Apostolicumque Nuntium deferretur; & illi tàm illustrissimo Cardinali Archiepiscopo, quam Hispalis Vrbis Præfecto, serio iniungerent, vt disseminatos libellos colligerent, & sup-

&ſupprimerent, & in autores ſacris, humaniſque pœnis ſeuerè animaduerterent.

Ex quo externi viderunt noſtros interrupto ſtudiorum curſu, cæteriſque curis, ſpiritualibus ſolum exercitijs recaleſcere; cœperunt etiam ipſi noſtros imitari; & maioris ingenij, atque ſpei adoleſcentes, per dies aliquot domum noſtram ſeſe recipere, familiaritatique Dei aſſuefieri; iuſta cæterorum æmulatione, qui ſubitas illorum progreſſiones ad modeſtiam, & pietatem admirabantur.

Annunciatæ Præfectus, cum reſciſſet viculi colonos proprio Parocho Hebdomada maiori deſtitutos, eò ſe contulit, vicinos omnes abſolutione, & Chriſti corpore recreauit; eoſque ad virtutem hortatus domum redijt, nihil propterea lucratus, niſi Dei Gloriam, in quam huiuſmodi opera ſolent à ſodalibus referri. Eiſdem præterea ſodalibus referri debent accepta doctrinæ Chriſtianæ agmina, quæ hoc anno bis Hiſpali, ter Trianæ (is vicus eſt ingens Bethi amne diuiſus, rurſuſq; ponte Hiſpali coniunctus,) Parochi, ſingulis ex Eccleſiis ſibi demandatis, vt noſtri ſolent, exemplo, & vtilitate reipublicæ deduxerunt.

COLLEGIVM ANGLIcanum.

MErcatores quatuor hæreſis infecti veneno, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium rediere, poſthabitis periculis familiæ, vitæ, & rei familiaris, in quæ, neceſſario in Angliam reuerſuri,

certò incurrent: reductique fuissent multo plures, nisi difficultatibus hisce deterriti succubuissent.

Sacerdotes hinc duo litteris, & sanctimonia probati, hoc anno in Britanniam , & si non pari cursu, remearunt: Alter enim, quod rescire potuimus, nauigatione fæliciter confecta, optatum portum occupauit. Sed alter Gallico nauigio concreditus, capta nauicula ab Archipirata Anglico, qui tunc in Hispano mari, contra pacta inter Hispanorum & Anglorum Reges, piraticam exercebat, Alarachen, Africæ littus, ac flumen, prædonumque refugium traiectus est, ibi cum in captos omnes studiosè inquiri cœptum esset ab hæreticis, sacerdos ingenuè professus est, se & Catholicum Sacerdotem esse, & è Seminario Hispalensi propagandæ Romanæ fidei causa, in Britanniam remigrare. Hac confessione audita, in varias hæretici abiere sententias; alijs capite plectendum Sacerdotem, alijs Anglorum Regi tanquam pacificatorium munus, sistendum esse affirmantibus, vt ea ratione propitius Rex crimen violati fœderis facile condonaret; nec defuit impudenti proiectaque audacia miles, qui in sacerdotis necem iuraret, nisi Regi sisteretur; sed Sacerdotis modestia, vitæ integritate, & lenitate Archipirata captus, illi libertatem, libros, res omnes restituit, quadringentosque insuper argenteos pro iactura, quam fecerat, benignè donauit. Hic dum renauigare in Hispaniam meditatur , accurrunt armati malo dolo Mahumetani, atque Iudæi, qui pacti secum prius, Sacerdotem in interiores Africæ Regiones delatum, iure mancipii vendere, fictè paciscuntur se hominem saluum & incolumem ad Hispa-

norum

norum præſidium, vnde facilis eſſet in Hiſpaniam traiectio, deducturos. Id certò ſubodoratus Sacerdos, Archipiratam repetit, qui maiori quàm ante liberalitate vſus, Sacerdoti non ſolum fauens, ſed Socios quoque omnes, quos ceperat, & nauim, qua ſarti tecti Gades pòſt appulêre, donauit. His tãtis beneficiis Sacerdos non ingratus, gratias agit amplißimas, habuitque maiores, & in eo, quod habuit retulit, dũ vitæ & libertatis æternæ cauſa fuit; nãm ægrè ferens tantam munificentiam tanto vitæ cœno demerſam, orauit, obſecrauitque hominem, vt hæreſi, piraticaque repudiata, ſe Catholicis adiungeret: homo, vt erat ad bonum ſua ſponte propenſus, gratia maximè excitante, repromiſit, & paucis pòſt diebus opere præſtitit, vt pro certo ad nos delatum eſt: hoc itaque caſu in ſeminarium regredi coactus Sacerdos, iter Hiſpali in Gallias terra petijt, vt optatum inde Britanniæ portum poſsit celerius tenere.

COLLEGIVM CORdubenſe.

ALuit Cordubenſe Collegium, maiorem anni partem, Socios ſexaginta: ſed rei domeſticæ difficultate ſeptem huic numero detrahente, reſtiterunt tres ſupra quinquaginta. Frequẽtarunt gymnaſia noſtra ſeptingẽtorũ inſtar ſcholaſtici; ex quibus confugerunt in ſacras familias tres ſupra viginti, ita virtutem edocti, ita moribus exculti, vt nouitiorũ magiſtri nobis habeant, agantq; gratias, quod illis veteranos potius, quam tirones remiſerimus.

Sodales parthenij singulis diebus festis per plateas, & vicos excurrunt, baiulos, & errones cogunt in templum, audito sacro, breui conciuncula ad confessionē inflammant. Interdum eos in templum nostrum instructo agmine deducunt, confessosque, & Eucharistia refectos, in valetudinarium aliquod reducunt.

Tempore, quo fruges in horrea conduntur, ipsi quoq; suam, seu potius pauperum, messem facere consueuerunt, ostiatim enim per vrbem, ac vrbi finitima oppida, magnam frumenti vim colligunt, qua mulierum illarum, quæ è turpi vita reuocatæ, in pia domo, quam Recollectarum ideo vocant, clausæ Deo seruiunt, inopiam & egestatem leuant, reditumque intercludunt, quo minus ad vetus vitæ institutum reuertantur. Excurrunt etiā Apostolica æmulatione in toti⁹ diœcesis oppida, pedestres, valetudinarijs vtentes pro hospitio, chamerinijs pro tecto, pro lautis cibis victu paupere & parco; cōcionatorū &, confessariorū partes egregiè sustinēt: confertaq; hominum agmina cōuocant ad doctrinam Christianam publicè decantandam. Pro hisce tamen omnibus, tantum abest, vt mercedem, & stipendium ab oppidanis exigant, vt ipsi potius eleemosynas non paucas egentibus impertiant.

Venio ad sancti Spiritus Sodales; qui, vbi singulis Dominicis pomeridiano tempore domi nostræ, piorum librorum recitatione, nec non concione sese recrearunt, nosocomium petunt, vt in ægrotos officia omnia charitatis exerceant. Ex illis aliquot curam carceris suscipiunt, egenosque tum eleemosynis, tum solicitudine in agendis eorum

causis

causis, componendisque litibus egregiè subleuant. In celebrioribus anni festis Sodales aliquot censu, & natu maiores ad prostibulum sub vesperam contendunt. Ibi postquam contenta voce Spiritualium librorum lectioni satis vacarunt ; Sacerdos è loco superiore ad bonam frugem mulierculas cohortatur. Ex quibus cum ea tempestate resipuisset vna , qua aditus in Recollectarum domum præ egestate omnib. interdictus fuerat ab Episcopo, vnus é nostris impetrauit, vt nihilominus admitteretur : perseueratque hodie magna indies bonorum morum redintegratione.

Tres vltimos Bacchanalium dies nunquam tanto plebeiorum & nobiliũ concursu viderunt sodales. Allexit homines potissimũ Eucharistia, edito & patenti loco collocata, omnigena vocũ ac instrumẽtorũ musicorũ varietas, & cõciones singulis dieb. attributæ, quib. is fruct⁹ perceptus est, vt & bacchãtiũ furor reprimeretur; & alii religiosi cœtus similẽ celebritatem in suis ecclesijs instituerint. Ad hæc domina Mariana Manrique, insignis liberalitate fœmina, casulam nobis donauit argẽteo intextam filo, Phrygianoq; segmento distinctam, quæ pluris triginta aureis indicatur.

COLLEGIVM GRANATENSE.

EX Collegio Granatensi migrauerũt in meliorem vitã, vt speramus, quinq;. Ex hoc numero primus fuit Georgius Personius temporalis coadiutor, natione Anglic⁹, qui in hoc collegio litis causa diuersabatur: homo singulari in sanctissimam Eucharistiam pietate præditus, & is; qui quidquid poterat temporis negotijs subtrahere,

rebus pijs, & sacris impendebat, perennes Deo gratias agens, quod illum ex patria tot tantisq; errorũ tenebris operta, in Catholicæ Ecclesiæ lucem, & in Societatem transtulisset.

Hunc secutus est Augustinus Alarcon, etiam rerum temporalium administer, annos natus septem supra triginta; quorum duodecim in Societate trãsegerat. Vir sane magna in negotiis forensibus tractandis intelligentia, in quibus ante Societatis ingressum sese exercuerat, sed maiore virtute, atque modestia, quippe qua id obtinuerat, vt in eo iudices omnes, iudicumque ministri singulare religionis exemplum intuerentur. Decessit è vita, graui & quinquennali morbo confectus, in quo eam in doloribus tolerantiam fuerat assecutus, vt loco querimoniarũ, ac gemituum, quos educere solent ægroti, cantilenas ille pias, quas ad hunc vsum sibi compararat, in gratiarũ actionem Domino cantitaret. Tertio loco obiit Laurentius Palatius scholasticus, ætatis anno vigesimo primo, emensis felici quidem cursu spatiis Philosophię, sed fœliciore virtutum. Quarto loco discessit Ioanns Seuilla, coadiutor temporalis formatus, iam octogenario maior. Fuerat is vnus è primis illis, qui circa salutis annum. 1555. in Granatensi vrbe se adiunxerunt Societati nostræ: in quam vt adscriberetur, adeo constanter, et serió laborauit, vt tres hyemali tempore noctes ad limina nostræ ianuæ immobilis perstiterit, firmo animi decreto illinc non recedendi, donec esset in Societatem cooptatus. Compósque voti factus, cum supra consilium ac prudentiam, qua præstabat, latini sermonis non esset imperitus,

& sacros

& sacros canones per duos annos delibasset, minoribusque esset initiatus Ordinibus, induci nunquam potuit, vt inchoata studia non desereret: quin potius ita Marthæ sorte contentus semper fuit, vt in eo annis duobus & quinquaginta, quos in Societate vixit, ne minimum quidem vestigium literarum apparuerit, quippe quas ille mira cautione & submissione occultare semper studuit, taciturnitatemque in rebus omnibus perpetuò coluit, cum ea totius corporis modestia sociatam, vt facile moderationem animi, interioresq; virtutes indicaret.

Elucebat in illo inter alia animi ornamenta insatiabile desiderium inseruiendi pro viribus animarū saluti; easq; modis omnibus iuuare, & in meliorem semper frugem reducere conabatur. Hanc tamen in homines charitatem quasi singularem ac planè diuinam exercuit in prosequendis ijs, qui vltimo supplicio erant addicti: vt vel illi soli acceptum referri debeat, quòd Pius Papa quintus, & Philippus secūdus Hispaniarū Rex suis edictis sanciuerint, vt eiusmodi homines moribundi sacro Eucharistiæ viatico prius reficerentur. Quod Fratris solicita obtinuit industria, vsa deprecatore & adiutore optimo D. Domino Petro Guerrero, eo temporis Granatæ Archiepiscopo: cum antea mos ille inualuisset, vt cibus sacer istiusmodi hominibus non administraretur. Solùm ille Euangelicum odium in cognatos & propinquos, quos habuit honesto, & non obscuro loco natos, defixerat; affectionemq; ergà illos ita emortuā, & penitus extinctam habebat, vt ne sororem quidem ægrotantem inuiserit,

 & sacer-

& Sacerdotem, qui sororis cõfessiones excipiebat, comitari vehementer recusarit.

Sed vt viuentium opera prosequamur; in nostris omnibus & ea solicitudo procedendi, progrediendique in virtute, & pietate visa est, quam ratio vitæ nostræ efflagitare poterat. Statuerat quidam proxime nocte laqueo sibi vitam extorquere; consilium communicarat cum amico, eumque rogarat, vt instrumēta sibi tam fędo necessaria actui adduceret: amicus, quòd in eodem fere desperatione esset, facile persuasus, restem deferebat, cum ex inopinato in vnum è nostris, cui cura publicarum custodiarum erat demandata, incurrit imprudēs: exceptus est comiter à nostro, qui subinde sermones immiscens de bonis in laborum tolerantia delitescentibus, in eiusque rei confirmationem pium exemplum commemorans, hominis animum ita mutauit, vt miseram amici deliberationem patefecerit, & ad Patrem adduxerit, cuius industria, consilio mortis deposito vterq; non tranquillatus modò est generali peccatorũ cõfessione facta; sed è carcere etiã vt emitterentur impetratũ.

Christiana doctrina suam quoque obtinuit dignitatem. Coactum est identidem in anno agmen tum nostrorum scholasticorum, tum aliorũ, & eorum maxime, qui duabus Sodalitatibus adscripti sunt; qui summam fidei, cæteraque religionis Christianæ præcepta, tanta pietate per vias publicas decantant, vt eo acroamate, & actione mirentur pariter, & excitentur cæteri, non vulgares solũ, sed etiam optimates. Immò & Archiepiscopus ipse Granatensis voluit quodam die con-

cioni

cioni in doctrina habendæ interesse; discessitq; deinde maxima lætitia, conspicatus crucis vexillum comitatum tanta hominum multitudine. Repertus ipso die scriba non ignobilis, sed qui minus cōmodè audiebat de integritate in officio: hic ter conatus è concione discedere, totidem interiore quodam vi pedem sistere cogebatur. Cessit diuino impulsui, interfuitq; concioni; & sermo auditus penetrabilior omni gladio ancipiti, ita hominis animum affecit, vt recurrentem crucem, cantu, psalmisq; mutuo iūctis ante pectus, domum vsq; deduxerit, magna callentium hominem admiratione. Tum vniuersę vitę confesione vni è nostris facta, ingens pōdus pecuniarum male quæsitarū restituit, quin etiā nunc Eleemosynis & pijs operibus vitę actæ iacturā resarcire desistat. Leges vero æstimandarum scripturarū adeò rigide seruat, nullū vt lucrum anteponat, facitq; Dei liberalitas, & benignitas, vt nunc iure multò maiora faciat lucra, quàm antea faciebat iniuria. Hic fuit huius anni quasi vagus, variusq; fructus: ille quasi status, & certus, qui ex cōgregationib. ꝑuenit duab.; Nobiliū altera SS. Triados, mercatorū altera, mediæq; sortis hominū Spiritus S. inuocatione. Illa Trinitati dicatū diē magna cæremonia, & cultu celebrauit; rē aūt reddidit illustriorem regiæ Cancellariæ præsidis præsentia, qui & sacrū fecit; & SS. Eucharistiæ conuiuio Sodales oēs excepit. Porro Sodales eo pietatis processerūt, vt valetudinaria, & carceres frequētare; pacificare discordes, reliquaq; cōgregationis statuta diligētissimè seruare vulgaris laus videatur. Illa tñ vt singularis prætermitti non debet, Sodales duos de suo bonam pecuniæ partē detraxis-

detraxiſſe, & in Collegium hoc anno à ciuibus inſtitutum, ad pauperes & honeſtas virgines alendas, libentiſſimè contuliſſe.

Incumbunt prætereà toto pectore ad vrbis ſentinam exhauriendam; hoc eſt, diebus feſtis ad lupanar ſe conferunt, vbi ad multam noctem pijs inter ſe colloquiis, ſanctorum librorum lectioni, & precationibus vacant, magna hominum vtilitate, nam præterquam quod multis impedimento ſunt, quo minus prauas libidines expleant, ex ipſis etiam mulierculis decem è cœno illo extraxerunt, & cōiugatas quidem maritis, ſolutas verò matrimonio, vel pio loco addixerunt. Inter eas vna abducta, & marito reſtituta; quę ob eximiam pulchritudinem, ætatem florentem, muliebremq; mundum ſuperbum ac gemmatum, laqueus à Diabolo extenſus ad animas irritiendas videbatur. Affirmabat hæc ſe ea potiſſimum ratione commotam, quòd meretricem ſibi amiciſſimam, & in meretricia vita demortuam, nocte terrifico aſpectu, formidandaq; figura ſæpe conſpexiſſet. Atque vt melius & commodius pias exercitationes caperent Sodales, ad proſtibuli ianuam ſanctiſſimum Crucis lignum ſolemni dedicatione, ſuaui ſymphoniæ, ac vocum harmonia, funalibus quam plurimis accēſis, in decente loco defixerunt, & quò meliori auſpicio res fieret, totam dedicationis veſperam, ſequentemque noctem cōtinua precatione traduxerunt. Spectaculum bonis quidem certè iucundiſſimum, qui haram impuriſſimam, in puriſſimam aram, execrationem in ſacrarium conuerſam oculis vſurpabant; impuris verò pluſquam lupatum frænum, quo à fœdis conatibus

tibus retracti non pauci fuere. Festinabat inter alios libidine furens, animisq; impotens miles gloriosus: hic cum à Sodalibus semel, & iterum dissuaderetur, iracūdia percitus tumultuari, & clamare cœpit, accurrit illico quiritationi militum turma, eodem libidinis œstro correpta, tū vnus, qui in proteruitate, & audacia principatum gerere videbatur, iurare, ac mortem omnibus minitari cœpit, qui sibi ac Sociis ad peccandum aditum obstruerent. Ad hæc turbatus aliquantulum pusillus grex, sed Dei auxilio non destitutus, in genua procumbit ante crucem, & Dominum, vt exurgat, & iudicet causam suam, precatur, nec vana spes, nam gloriosus miles, qui primus huic tumultui dederat occasionem, attonitus Sodalium caritate, abiecto priore consilio, Deo militare inceptauit, qui bellum Deo illaturus advenerat: & pallium vmbonis instar sinistro brachio circundans, dextra gladium stringēs, viam reliquorum libidinibus interclusit; offensarumque Dei propulsator est factus, qui nuper fuerat prouocator. Verum neque his contenti Sodales, precio etiā iniurias in Deū redimere tentarunt. Die namq; qui Sanctæ peccatrici sacer est, eā pecuniæ vim eiusmodi mulierculis contulerunt, quam ipsæ turpi munere lucrari possent, dum modò illo die se prorsus à libidinibus abstinerent.

Præter enumeratas, & stabilitas iam Congregationes, est ingens piorum hominum ex tenuiori sorte cœtus, qui iustam congregationem posset explere, virtute, ac morū integritate non deterior superioribus: horū eæ sunt partes; singulis Dominicis diebus sub vesperam audita domi nostræ

à Sa-

à Sacerdote conciuncula, in valetudinaria ſe conferre, ægrotoſque non verbis ſolum pijs, ſed eleemoſynis etiam ſubleuare; & ter quaq; hebdomada (quod hoc anno inchoarunt) verberationem in templo noſtro ſubire: quorum exemplo & inuitatu multi alij eandem obeunt religionem.

Ex noſtris Pater Fernandus de Alamo, vltimus fuit eorum, qui hoc anno ſunt mortui; veteranus certe miles atque adeo dux, & vnus ex antiquioribus Prouinciæ Patribus, annum quippe agebat ætatis quidem quinquageſimum ſeptimum, Societatis verò quadrageſimum ſecundum; profeſſus quatuor vota annos ab hinc vnum ſupra viginti: ea is fuit ſinceritate, ac ſuauitate morum, ea ſoliditate virtutũ, vt primitiuæ Societatis ſpiritum referret.

Continentem, ac iugem cum Deo habuit coniunctionem, vnde fiebat, vt multas ille horas flexis ſemper genibus, pijs meditationibus daret. Ea enituit obedientia, vt ne minimas quidem res abſq; ſuperioris præſcripto obire vellet, tanta paupertate, vt præter breuiarium, conſtitutionum volumẽ, codiceſq; à ſe conſcriptos; pergamena charta, peruetuſta illa quidem, nihil amplius reliquerit. His addidit in rebus agendis prudentiam, & vigilantiam; Rector Collegia multis annis adminiſtrauit. Magiſtrũ nouitiorum multis alijs egit: quãdiu verò priuatam egit vitã, concionib. & cõfeſſionib. egregiam nauauit induſtriã. Effecit his omnibus ille, vt in terris etiam ab hominibus ſummo fuerit honore habitus; humanduſq; iam ab oppidanis erat in nobiliori templi ſui loco, & ſumptuoſo funere, niſi vi penè abretus à noſtris in Granatenſe Collegium, vt

ille

ille moribundus poſtularat, efferretur. Bini prætereà alij longius proceſſere, in Adulſar, Liturgim olim dictam, miſſi: eſt vrbs illa ad Bætim amnem ſita, opulenta quidem, & ſatis magna, pulcritudine atq; ædificiorũ deſcriptione nõ ignobilis, vbi noſtri ſingulari omniũ beneuolẽtia, incredibiliq; ſtudio sũt excepti: quippe qui Societatis homines ſola ferè fama & auditione cognouerant. Illicò ſtrenui coloni verbũ Dei diſſeminare cœperũt, ijq; cõcurſus multitudinis, ac nobiliũ facti ſunt, quãtos vel ampliſſima, & ea capaciſſima vrbis tẽpla capere nõ poterãt, illa deinde cõfitẽtiũ frequẽtia ſubſecuta, q̃ bini operaij, licet indefeſſi & robuſti, expiare non poſſent.

Non eſt prætermittendus ille, qui tales filios Domino procreauit, B. P. N. Ignatius, cuius Sanctitas & beneficia nouos pietatis ſtimulos Granatenſinm animis admouit, vix vt vllus reperiatur alicuius notæ ciuis, qui Patris imaginem domi ſuæ non colat, & qui illius tutelæ non ſe fidentiſsimè committat. Accidit vt fæminæ difficultate part⁹ laboranti trãſuerſus ipſo in limine fœtus reſideret, qui nulla obſtetricis, medicorumq; arte trudi, aut retrudi poſſet: deficientibus humanis, remedia cæleſtia quęſita fuerant, Sanctorũ reliquiæ applicatæ, pia vota concepta, preces ad Deũ fuſæ; parens Euchariſtiæ viatico refecta, puer brachio dũtaxat edito baptizatus; neq; tamen hæc omnia per vnius lucis ſpatium vllum puerperæ alleuamentũ, aut ſpẽ euadendi periculũ attulerãt: cũ ecce hora noctis nona accedẽs homo, qui nulli ex domo innotuiſſe potuit, iubet B. Ignatii auxiliũ implorare, certò illud affuturũ affirmans. Res mira, vix illi ter Orationẽ Dominicã, & totidem Angelicam recitarant, & fœtus ingens,

mortuus quidem, sed facilitate mirabili expulsus est, quod absque miraculo fieri non potuisse omnes, qui aderant, crediderunt: & ipse pater pueri, diluculo sequēti in altari nostri templi, vbi effigies B. P. collocata colitur, sacrum pro gratiarum actione fieri curauit; prædicans tantum beneficium B. Patri acceptum referri debere.

Mulier altera, cui ingens, multaq; sanie manans vlcus sub sinistra mamma penè repentè excreuerat, ita summo afficiebatur dolore, vt sibi in apertum vitæ discrimen deuenisse videretur. Sed castus pudor, & plusquam virginalis verecundia illam à medico inuisi non patiebatur. Maritus, quem hæc latere non poterant, afflictus, & gemens ad B. P. Ignatium, in quem multa pietate iam pridem afficiebatur, adcurrit; & effigiem papyraceam, quam domi venerabatur, magna cum fiducia vlceri admouit, coniugem, vti B. Patrem precaretur, ab eoque auxilium peteret, exhortatus. Vix illa B. Patrem implorârat, cum subita doloris diminutione facta, & iucundissimo somno vsa, mane absque ullo doloris vestigio, obductam omninò cicatricem deprehendit, & beneficii gratia iussit cereum ad altare Patris accendi, & rem diuinam celebrari.

COL-

COLLEGIVM MONTELLANVM.

IN Montellano Collegio, quod nouitijs ac veteranis habitationem præbet, quod ad Nouitios ſpectat, tam in illis, quàm in Sacerdotibus octo, qui tertium obiere probationis annum, mirum exſtitit victoriæ ſui ipſorum, & abſolutæ virtutis ſtudium.

Excurſum etiam in proxima oppida, pingueſque manipuli reportati: ex Priego præſertim; vbi concionibus aliquot habitis, quamuis oppidani iuſta vindemiarum occupatione poſſent excuſari, tam conferti ad confeſsionem concurrebant, vt noſtri nil laboris de ſolido die detrahentes, ad bonam noctis partem confeſsiones, multaſque vitæ totius, excipere cogerentur, Valetudinaria, carceres, ſcholas, moribundûmque domos (ſi qui erant) omni officio iuuanda ſuſciperent. Hæc & alia munera oppidanorum voluntates eò traxerunt, vt omnes, ac præcipuè optimates Montellanis inuidentes, Societatis Collegium oppido poſtularent ſuo. Nec ſolum id, ſed conſilio inito inter optimates, ad Marchioniſſam, quæ rem in manus ſumeret, certum hominem cum litteris dimiſere, ſolum nobis, domum, ac templum paratum impartientes, annuamque pro tempore trecentorum aureorum pecuniam. Gratæ ſanè amoris ſignificationes. Seruiebat in eo loco Mahumetanus homo; qui noſtrorum comitatu, & colloquijs allectus, Baptiſmũ cœpit ardenter amare :is fidei myſterijs imbutus, magno omnium oppidanorum concurſu, ſolemni pompa, & apparatu, ſalutari aqua tinctus eſt. Hoc

ſpectaculo Mahumetana mulier, quæ per decennium ſuaue Chriſti iugum magna cum pertinacia recuſſerat, tādem emollita, Catechiſmum, ſacrumque lauacrum feruenti animo flagitare cæpit; inſtructaq; fidei elementis non minore plauſu, ac cæremonia fuit baptizata.

COLLEGIVM BÆZAnum, & Malacenſe.

POtuit quidem hoc anno Bæzani Collegij ſumma inopia noſtrorum numerum ad tres tantum Sacerdotes, & ſex Fratres redigere, non tamen potuit ſuperſtitum religionem imminuere: perſtitit enim vnusquiſque, quantum potuit, in exacta regularū cuſtodia, & in quærendis quaqua verſus animarum lucris ſtrenuè laborauit.

Malacæ diem obijt Frater Matthias Guttieretz ſcholaſticus, quadrageſimo ſexto ætatis anno, Societatis trigeſimo primo, qui pene emenſis cum laude ſtudiorum ſpatijs, in amentiam inciderat, ſed paucis abhinc annis menti reſtitutus, quantum ad res ſaluti atque conſcientiæ neceſſarias, quamuis in aliis ſubinde deliraret, piè, ac religioſe vixit, eius tamen vicem alter in Societatem admiſſus expleuit.

Præter doctrinæ Chriſtianæ publicas pompas ſingulis, nullo prorſus excepto, menſibus eductas, quæ binis, terniſve conciunculis non modico animarū lucro ſolent intercipi, ergaſtulis, vincliſq; detentos feruida iuuerunt charitate. Atque vt id melius, exactiuſque præſtetur, vni è Sacerdotibus cura

cura carceris delegatur, qui conciunculis frequentibus, priuatisque colloquiis instruat, ac leuet, ad dies præcipuè Iubilei, & septimanæ maioris, vt Ecclesiæ præcepta, spiritualesque gratias non omittant.

Extendit sese quoque nostrorum industria ad desertas exterorum nationes, Francos præsertim & Anglos, quorum ingens Malacam negotiandi causa multitudo concurrit. Ex iis Catholici concione instruuntur; peccatorum absolutione purgantur. Hæretici attentantur, si fortè tandem expugnati veritati manus, mentemque decussent: nec irriti fuere conatus, nam quaterni ex errorum salo transtulere sese in Catholicam Cymbam.

Data lauta, & elegans cælati argenti supellex, preciosæq; vestes ex bombycino raso, vario tum serico, tum aureo filo plumantes, in Sacerdotis, & altaris ornatum: omnia trecentis, non minoris, aureis æstimantur, qui cum ducenis aliis testamento legatis, ciuium liberalitati debentur.

COLLEGIVM GADITANVM.

ANglicani Patris opera viri sex, qui cum lacte nutricis hæresin suxerant, dedidicerunt. Præclare tamen cum Anglico puero, qui annum decimum agebat ætatis, actum est; postquam ipse præclare egisset cum parente. Fuerat is ex Anglis ad Hispanos à patre mercatore translatus; vt Hispanæ linguæ bene peritus, aptior mercaturis faciendis in Angliam remearet. Puer interim singulari Dei prouidentia in nostros incurrit, à quibus Catholicæ veræque fidei edoctus elementa ita tenaciter

retinuit, vt nec blanditijs, nec minis paternis ab incœpto potuerit deterreri. Cum enim ſeſquianno tranſacto, pater Gades appuliſſet, & ſecum puerũ in Angliam reuocaturus, nauem iam pene cõſcenderet, puer attentè fugam meditatus, patrem mira deluſit arte, & pẽnatis (vt aiunt) pedibus ad noſtros quaſi ad aram confugit, obſecrans, & obteſtans, ne ſe Catholicum eam repetere terram paterentur, vbi nec Sanctorum imagines, nec Miſſæ myſteria colerentur. Noſtri dum puerum, qua par erat, contentione fouent, ac tuẽtur, impius pater prętorem appellat, implorat, lamentatur filium, de noſtrorum iniuria conqueritur, qui contra ius, faſque filium vnicum eripuiſſent, ac domi ſeptum retinerent. Prætor ſui iuris, ac mancipi fieri puerum iubet, patrique poteſtatem facit, filium, ſi ſequi vellet, abducendi. Hic Pater, vti nihil profecit blandimentis, proceſsit ad minas, filio teſtificatur, denuntiat, ſe, nî ſequatur, iam inde patrimonij copioſi, & lauti ſatis, exhęredem ſcribere, nec poſthac illi loco parentis vnquam futurum. Sed puer diuina, qua durabatur, firmitate, in oculis plurimorum ciuium, in ipſo ore parentis, ſe Catholicum profeſſus, magis ſe velle affirmauit inter veros Chriſti aſſeclas orbum, egenumque viuere, quàm cum patre diuitijs affluente, ſed hæretico, renauigare. Hac tam illuſtri profeſsione ita parentis animum debilitauit, ac fregit, vt rem penitus deſperans pater, ſatius duxerit inanem redire ad ſuos, quàm inutili contentione ſuum dedecus augere.

Martinus de Haia Eccleſiæ Gaditanæ portionarius, naturę cedens, bibliothecam ſuam nobis teſtamento

mento reliquit, bonaque alia, ex quibus ducenûm aureorum pecunia redigi queat, quod in noſtros beneficium, vt æterna Deus gloria compenſet, optamus.

MARCENENSE COLLEgium, &c.

INſolitus fructus fuit, extraordinariumque ſpectaculum, quod noſtris ſpectatiſsimus dedit Lunæ Comes Arcobrigenſis Ducis gener; qui omni comitatu repudiato, ſpiritualia Societatis exercitia, bis diuerſis anni temporibus, domi noſtræ capeſſiuit, tanto animi ardore, & ſummiſsione, vt pro ſella magnifica, non niſi cæmentitia imi parietis proiectura vteretur, domum ſcopis vnà cum noſtris mundaret, nec vereretur bonam temporis partem in reſarciendis diſciſsis noſtrorum veſtibus conſumere, non minori animi ſui voluptate, quàm fructu.

Sæpe in anni decurſu Sodalitas SS. Trinitatis dat epulũ: & vt nullus tã p o munere ſe poſsit eximere, ipſe Lunæ Comes S. Trinitatis Sodalitatis Coryphæus præit exemplo, depoſitoque gladio vnà cum pallio, capite aperto, ſcutellas, & lances cibis implet, Sacerdotibus Sodalitatis, qui menſæ propius adſtant, tradit, vt illi diſcumbentibus apponant: nec enim in ſe ſatis dignitatis agnoſcit, vt ipſe per ſeſe fercula poſsit ingerere: dignum profecto exemplum tali Principe, quem vtinam in hoc plures imitarentur.

ASTIGITANVM COLLEGIVM.

ASTIGITANI domicilij angustiæ laxatæ hoc anno sunt, additis proximis ædibus, quæ iam pridem aureis quatuor mille fuerant coemptæ, cubiculisque constructis, quæ non modò assiduè commorantibus sufficiant, sed etiam nostris hospitibus, quos Astigitana vrbs in medio sita Bœthicæ, creberrimos admittit, ac dimittit, Societatis humanitate, & charitate tractatos. Absolutum prę terea compluuium satis laxum, cuius latera aulis benè capacibus cinguntur, proximorũ cõmercio destinatis; vbi & animi sordes eluuntur, & statis temporibus sodalitia conueniunt. Ædes quoque sacra ad exitum perducta est, in amplitudinem patefacta maiorem: in ea autem dedicanda non dubijs signis testata est cuncta ciuitas mirificam erga nostros voluntatem, quippe quæ propensior apparuerit, quam vt possit oratione depingi: nam vt illa prætercam, templi parietes textili stragulo conuestitos, erectas aras auro, argentoque micantes, artificiosoque opere depictas; quibus modò adijceres oculos, tenerere suspēsus: auxit supplicationē (quā claudebat augustum Christi Corpus in recēti templo collocandum) insigne Sacerdotum agmen, religiosæ familiæ, Senatus ciuitatis, totius nobilitatis splēdor, tam insolito populi insequentis concursu, vt quasi ad inusitatum, & nusquam ante visum spectaculum omnis stuperet aspectus. Splēdebant vbique serica veste parietes viarum, viæ ipsæ stratæ floribus miram afflabant odorum suauitatem, triumphales aurati arcus accensis facibus collucebant,

pulcherrimo cultu paſsim erectæ arę omnium ad ſe rapiebant obtutus, mirabatur cuncta ciuitas ſolemnem pompam, nec poſtea reticebat. Pari ſplendore, æquo virorum, mulierumque conuentu proximi octo dies celebrati ſunt, concione fere in ſingulis habita: atque vt huic celebritati coronis accederet, Societaſque publicam grati animi ſignificationē daret ſub idem tempus oſſa Dominæ Franciſcæ de Corduba, huius Collegij fundatricis, é veteri ſarcophago in recens translata ſunt templū, quod vt Domina Beatrix de Monſalue, huius item Collegij fundatrix, ſumma munificētia inchoauerat, ita quoque illud aureorum quatuor millibus in ſumptus abeuntibus, eadem abſoluit liberalitate.

Præ confluente hominum multitudine iam hoc anno ſingulis Dominicis veſpere haberi cœptæ ſunt de Cathechiſmo conciones: Felixque exordium feliciora promittit incrementa. Duarum item congregationum Sodales, quibus etiam de capacibus aulis accommodatum eſt, nouo animi feruorę proceſsiſſe viſi ſunt: nobiles quidē carceres adeundo, miſeros & inualidos fouendo, & ſacramenta crebrò ſuſcipiendo: Clerici verò domum confluentes noſtram octauo quoque die, modò à Patre audituri conciunculam, modò ipſi inter ſeſe conſultaturi de rebus, quibus ipſimet, ac proximi multum in virtute queant promouere.

COLLEGIVM CAZORlanum.

CAzorlæ, quatuor Societate donati ſunt, trāslatuſq; in æternā vitā frater Chriſtophorus de Ribera ſcholaſticus, cum vixiſſet annos viginti ſeptē, in

Societate vndecim: confecto ferè Theologiæ curriculo cum laude atque virtute. Ea Collegij commodis accessere. Focus ferreus precij aureorum viginti supra centum; ac furnus, qui impensas non modicas factas hucusque faciendasque redimunt. Sacro vestiario picturæ textiles nostrorum Martyrum nõ inuenustæ, quæ diebus celebrioribus templum nostrum mirificè exornant: Puero IESV confecta vestis opere plumario, splendida & magnifica.

VBEDANVM COLLEgium.

MAhumetana fœmina sæpe à Dominis in concionem, vt à superstitione recederet, adducta, sæpe etiam concionatores illuserat: sed audita concione, quam Sacerdos noster habuit die B. Mariæ Magdalenæ sacro, ita perculsa est, vt die sequente baptismum ingenti ardore postularit, vidisse se affirmans concionatorem id sibi suadentem: persuasisseque vt cum baptismo nomen etiam assumeret Mariæ. Christianæ itaque fidei imbuta mysterijs, magna omnium lætitia votis potita est. Incidit in morbum vir nobilis, qui publico omnium scandalo longo annorum spatio pellicem domi habuerat, ex qua & filiam, decimum sextum annum agentem, susceperat; nec à tam fœdo scelere, aut aliorum nobilium suasiones, aut iudicum minæ auertere potuerant. Rogatur vt velit acciri aliquem è nostris, cui cõfiteatur. Abnuit ille

ille primum, sed tandem annuit, accersitur noster: & ea perfecit, quæ omnes fieri posse desperarant: nam hominis animum ita inuertit, vt pellicem actutum extruserit, & filiam in monasterium collocarit: mox generali vitæ confessione facta, reliquisque rebus bene compositis, magna caritatis admiratione, & Societatis laude animam exhalarit. Ecclesiastici Iudices, senatusque ciuitatis bis inter se dissidentes, totidem per nostros sunt cõpositi: sed tertio adhuc acrius altercantes de rebus grauissimis, ac molestissimis, sæcularemque senatum excommunicationis fulmine tactum vehementius exardescentem, nostrorum industria sedauit.

Familiæ duæ implacabili odio inter se discordes, & mutuò ter, aut quater ad certamen & arma lacessitæ, nostrorum dexteritate ad pacem rediere. Institutæ hoc anno sunt Sodalitates duæ: altera sub B. Virginis Conceptæ nomine, septem iam & octoginta sodales ex totius ciuitatis primoribus, tum laicis, tum Ecclesiasticis, constat. Eorum illud est institutum; inimicitias pacare, ad quod præcipuè bini singulis mensibus designantur: & carcere detentos omnibus modis iuuare: in quibus muneribus & profecere plurimum, & plus in dies profecturos speramus. Altera opificum sancti Spiritus inuocatione, ingentem numerat multitudinem, in dies numeratura maiorem. Iam multi sunt, qui in illam cooptari desiderant, allecti bono sodalium exemplo, quorum aliqui & subita morum mutatione, & in virtute perseuerantia, Ciuitatem tenent admiratione defixam.

Experti sumus hoc anno ciuium beneuolentiam

liberalitatemq; : nã in caritate frumenti ſexaginta ſupra centum tritici fanecas (vt vocant Hiſpani; ea menſura eſt Medimno Attico par, ſex modios Romanos veteres capiens) corrogauimus, aliaſq; eleemoſynas ad ſacras veſtes, & Collegii inopiam reparandam, egregia voluntate conceſſas.

FREGENALENSE COLlegium.

ERant inter ſe duo intimo, & capitali odio diſſidentes, qui tamen audita vnius è noſtris acri concione de diſcordiarum malo, ita repentè mutati ſunt, vt ibidem ſtatim in templo iniuriis obliteratis omnibus, mutuis ſe ſe exceperint amplexibus. Conciunculæ de Catechiſmo ſingulis huius anni Dominicis haberi cœptę, copioſæ meſſis cauſa fuere, craſſaſq; ignoratium tenebras, quibus offundebatur vulgus, diſiecerunt. Itavêre ſæpe noſtri diebus anni feſtis in vicina oppida, incommodo quidem ſalutis non exiguo, Patris præſertim ſexagenario maioris, qui pedibus iter æſtuoſis, pulueruleutiſq; viis Chriſti amore conficiebat; ſed maximo oppidanorũ commodo, qui noſtros vt ſæpius redirét enixè flagitabãt. Aduenis ſcholaſticis de diuerſorio ꝓſpectũ eſt, obuiamq; itũ multis animi & corporis incõmodis, ortis ex priuatorum hominũ domiciliis, in quæ antea ꝓ arbitrio diuertebant. Sodalis ſumma fraude incluſus in cubile mulieris impudicæ, ibique ab illa modis omnibus pertentatus, ita firmum immobilemque ſe præbuit, vt pude-

Pudefacta mulier liberam iuueni expediendi se ex laqueo fecerit potestatem, & proprii dedecoris oblita, tam præclari facinoris fuerit buccinatrix post adolescentis obitum, qui breui talis contigit, qualis vita fuerat. Moribundus enim adeo dulces plenosque pietate sermones cum Deo habebat, vt multi, qui sanctitatis fama commoti concurrebant, lacrymas cohibere non possent: adfuere vicissim ei nostri ad extremum vsque spiritum ipsius rogatu.

Dignum memoratu est quod euenit homini illàc iter agenti, qui, cum dæmonis non solum occultis suasionibus, sed apertis etiam spectris in salutis desperationem adduceretur, ab vno è nostris confessione purgatus, animo tranquillo repetiit diuersorium. Ibi dæmon de præda sibi erepta valdè dolens, acri reprehensione hominem exagitat, quod planis hominibus (sic nostros appellabat) mentis arcana aperuisset, hortaturque vt saltem facti pœnitens nostris inposterum communicare desistat. Sed homo qua iam erat alacritate ac robore erectus, minime infracto animo respondit, tantum abesse, vt pœniteat, vt etiam hoc ipso sæpius deinde nostros sit aditurus: nè hoc quidem importunus canis latrare desinit, idem rursus homini suadere conatur: sed dum se frustra laborare videt, saltem saltem (inquit) abstineas à colloquio Patris Fernandi de Alamo, quem hostem habemus infensum (erat hic ille Fernandus, qui Granatæ mortuus est, vt ibidē diximus) Homo, ac si

con-

contraria prorſus rogaretur, Patris nomen, vt illum poſt adeat, notare, ſcriptoque mandare, ne excidat memoria, diligentiſſime curat: dæmon è contrario penitus obliterare, & abradere: præſtitit homo, ſcripſit vt potuit, ſequenti luce domum noſtram petit, Patrem antea ſibi prorſus ignotum, qui tunc pro Rectore erat, rogat, nanciſcitur, rei totius ſeriẽ exponit, ſalutaribuſque Patris monitis inſtructus, lætus ac geſtiens proſecuturus iter diſceſsit.

Non minus lætum exitum habuere res familiarum duarum ex totius oppidi nobilioribus, quæ licet arcto quidem inter ſe cognationis vinculo eſſent coniunctæ, inimicitia tamen publica omnium offenſione quatuor iam ipſos annos erant ſeparatæ: donec tota res ad vnum è noſtris eſt deuoluta, qui, cum factionem vnam facile mitigaſſet, alteram nec Sacerdos ipſe, nec emollitæ iam partis anteſignanus, quantumuis in genua prouoluti, ac deprecabundi, expugnare potuerunt. Sacerdos vbi humanas preces nil effeciſſe videt, per Deum potius rem tranſigendam cenſet, diuinis precibus inſiſtit B. P. noſtrum deprecatorem adhibet: nec vana ſpe; nam paucis diebus elapſis, ad obſtinatum inimicitiarum caput ſupplicium venit, ingens morbi vis filium vnicum inuadit: in filio ſuum peti caput Pater non ignorat, ſed inimicitias nihilominus decidere tergiuerſatur. Id Sacerdos inaudiens ægrotum inuiſit, B. Parentis noſtri admouet reliquias, & matrem, (nam pater aberat) de pueri ſalute bonam concipere ſpem iubet, niſi per ipſam aut patrem ſteterit, quo minus puero ſanitas redeat. Vix ea pater ægroti reſciuerat, cum ſubitò excuſſa

men-

mentis nebula , mollitaque duricie domum nostram aduolat, nimiam obstinationem accusat, veniam deprecatur, promptum se inimicitijs deponendis exponit; Sacerdos lætus euentu vtramque in vnum locum cogit familiam ; vbi illæ quidem nullo veterũ simultatum relicto vestigio, in pristinam rediêre cõcordiam, & verò ægrotus puer melius sub idem tempus habere cœpit , donec breui tandem perfecta contingit valetudo , quasi morbum non tam humorum discordia, atque intemperies, quàm voluntatum dissensio domum attulisset.

Ad extremum , tacenda non est populi totius diœcesis erga nostros liberalitas , nam, cum præ summis census angústijs nostri emendicatum exiuissent, tritici fanecas centum magna voluntatis significatione erogatas, domum reportarunt.

COLLEGIVM GVAdixense.

AD vltimos Bacchanalium dies recens hoc anno est inita celebritas, & vario vocum, instrumentique musici apparatu peracta. Iucundum quidem erat , templum sericis stragulis conuestitum videre , aram mirificè ornatam magna funalium copia Eucharistiæ patenti prælucere ; sed maius certe gaudium afferebat dominus ipse D. Ioannes Horozco Couarrubias, illius Ciuitatis Episcopus, diuinis commentationibus vacans, concionique præsens ; magna confitentium & communicantium multitudo , ciuitasque penè con-

fluens

fluens vniuersa, quæ rarum & inusitatum hactenus vsurpans pietatis exemplum, ingentibus lætitiæ, grataeque voluntatis indicijs recedebat: & quamuis ea significatione nostris satis esse factum videri posset, voluit etiã gratiam cumulatissime referre, & vnum ex anniuersarijs sancti Torquati diebus, templi nostri ciuitatisq; patroni, publico & magnifico cultu domi nostræ celebrare: die itaque Dominica, quæ citra D. Torquati Octauam est, stratis vijs, & compitis chiromiis, ac tripudiis varia musices harmonia Episcopus cum Ecclesiæ Capitulo, Prætor cum senatu, cunctoq; populo, ex principe vrbis templo, domum nostram solemni supplicatione sunt deducti; ibique peractis sacris nostrarum scholarum discipuli dialogo latino hospites exceperunt, gratiasque pro tanto beneficio in nostros collato, Episcopo singulariter, tamquam autori, hortatori, administroq; egerunt, quippe qui rem eam totã ipse per se cum Decano, Ecclesiæq; Capitulo egisset, transegisset, & quod caput est, annuas capitulo esset pollicit⁹ pecunias, vt ea celebritas, ac feria non arbitraria in posterum; sed statiua & solemnis haberetur.

Quidam fuerat è Societate, vt minus aptus tiro, expulsus, sed Guadixium appulsus, bonumque amissum tum maxime sentiens, denuo Societati cœpit inhiare; illaque se gerere submissione; vt per quinque menses integros in domo ac rure nostris non secus ac vilissimum mancipium seruiret, nec nisi duro lecto ciboque rustico vteretur, cum alioqui domi suæ mediocri posset victu vitam degere: his ergo exprimentis asperis probatus, dignus,

dignus, qui Societate rurſus donaretur, iudicatus eſt, receptuſque non minore ſui in religione progreſſu, quàm omnium approbatione perſeuerat.

RESIDENTIA ANtequeræ.

ANtequeræ paucitatem numeri noſtrorum compenſauit induſtria, nam præter proprium religionis, ac virtutis augmentum, in quod ſtrenuè incubuerunt; Societatis munia ita induſtriè tractarunt, vt concionantes quidem vbicunque ingentes hominum fecerint concurſus; peccata verò expiantes magna perenniter confitentium agmina ſuſtinuerint: quo & horridas peccatorum ſpinas, quæ omnium oculos offendebant, ſtirpitus auulſerunt, & virtutum ſeuerunt viuas radices. Et vt eæ vtilitates omittantur, quæ ex frequentatione carcerum, ac noſocomiorum perceptæ ſunt; illæ non tacendæ. Acceſſerat homo decem aureis emptus, vt falſum teſtimonium diceret apud ſcribam: ſed aurem vellente cognitore, & ſuggerente concionem ab vno è noſtris pridie habitam, qua grauiſſimis verbis, atq; ſententiis periurii turpitudinem ſugillarat, abiecto conſilio & precio, retroceſſit. Alter quondam quidem mulieroſus, iam caſtus, è domo noſtra diſcedebat nocturna verberatione caſtigatus: repente in perditas fœminas incidit, à quibus blanditiis, ac fallaciis in ſuam ipſarum domum pertrahitur, ibi hominis continentia grauiſsime attentatur,

Homo

Homo quaſi attonitus, & extra ſe poſitus in genua procumbit, Beatæ Virginis auxilium implorans, adfuit illa; nam ad ſe reuerſus, fœminas quaſi quas ſui auſus pœniteret, plorantes deprehendit, & earum alteram genibus pariter innixam, quo & homo præſens periculum euaſit; & mulieres rectam in poſterum vivendi normam instituerunt.

Itum ſemel à noſtris in vicina oppida. Et in explicando Catechiſmo, quâ re maximè indigebant, potiſſimum elaboratum eſt. Deuenere namque in oppidum, in quo ne vnus quidem repertus eſt, qui trino crucis ſigno, conceptis ab Eccleſia verbis ſeſe munire noſſet. Ibidem accidit, vt finita concione, mulier, cuius vir fuerat dudum interfectus, ſurgens è media concione, magna voce fuerit profeſſa, ſe homicidæ omnem iniuriam, & ſupplicium remittere, ac condonare. Qua voce filius mulieris commotus, matri pedes oſculaturus magna charitatis ſignificatione cucurrit, gratulabundus, ac lætus, quòd eam de ſe mater victoriam reportaſſet. Perſeuerarat homo cum pallaca annos aliquot, eam ob cauſam præcipuè, quòd ab amica perſuaderetur aſſiduè, ne noſtris per confeſsionem peccata aperiret: ſed peculiari Dei impulſione adiutus, & generali vitæ confeſſione à Sacerdote noſtro expiatus, ſolum cum mente mutauit, vt omnem mulierculę conuictum prorſus euitaret.

Ex meretricibus publicis abducta vna tanto animi feruore fuit, vt enixè petierit, & obtinuerit, in monaſterium includi, vbi aſperior erat, & rigidior vitæ ratio, in quo honeſtè, ſanctèque viuit. No-

Noſtrorũ labores non ſolum animorum fructus, quos dixi, ſed ciuiũ etiã liberalitas abũde remunerauit. Sacerdos pius ac nobilis, cui. D. Ludouiçus de Figueroa nomen, quingentos aureos nobis teſtamento reliquit, abſque vlla prorſus conditione, aut nexu, tanta animi propenſione, vt vix ab illo noſtri extorquere potuerint, vt pijs alijs operibus legata aliquot ſcriberet, quæ maxime decere iudicabant. Huic proxime acceſſit largitas duarum nobilium matronarum. Altera, quæ Eliſabethæ de Caſtella & Zurriga nomen habet, Prætoris vxor, frontale altari principi donauit albi coloris, phrygiano opere pictum, quod quingentis plus aureis æſtimatur: Altera, quæ nomen ſuum ſupprimi voluit, frontale alterum, & caſulam auro contextam elargita eſt, quæ triginta ſupra centum aureis fuerunt.

ANNVÆ LITERÆ PROVINCIÆ PERVVIANÆ Anno 1607.

CENSVIT hæc Prouincia Peruuiana hoc anno 1607. Socios quatuor & viginti ſupra trecentos; Sacerdotes duos & viginti ſupra centum; ſtudiis addictos quadraginta tres; reliquos, partim coadiutores, partim nouitios. Sunt in Limano Collegio octoginta & octo: quadraginta & octo in Tirocinio: in Diui Martini ſeminario, è noſtro cõmilitio, decem. In Cuſquienſi, viginti quatuor. In Potoſino, ſeni deni. In Cuiquiabenſi vndecim. In Cuiquiſacano viginti & vnus. In Guamanguenſi, nouem. Iulide, decem. In ſanctæ Crucis in Mõtanis, ſeptem. Inter Quiriguanas, duo. In Quitenſi, vndeviginti. In Diui Ludouici ſeminario, non amplius tres. Panamæ, duodecim. In Arequipenſi tredecim. In reſidentia ſanctæ Fidei ſedecim. In Diui Bartholomæi ſeminario, duo tantum. In Nova Cartagine, decem. Vitæ conceſſere hoc anno quinque duntaxat, adſciti quindecim.

GOLLEGIVM LIMAnum.

RES literaria belle procedit; nam auditorum facta acceſſio, tum eorum qui ſacro Theologiæ ſtudent; ſed eorum maxime, qui humaniores

niores literas colunt: quorum gymnasia cum nouus Prorex (is est Marchio, vulgo de Montes claros) per summam humanitatem obiret, tot, tantosque ingeniorum fœtus (puta Hebraica, Græca, latinaque carmina) nostri edidere, quos non secus ac proprios fouit ac sustulit, vt multi insolentis spectaculi stupore defixi, & cum Europœis nonnullis contendentes, nihil simile oculis aliquando vsurpasse contenderent.

Octodialia, quæ augustioris deuotionis causa Sanctissimæ Virgini sine labe conceptæ sunt attributa, quà de Virginis laudibus pegnegyreis, quà, & quod caput est, eximio quodam cultu ac religione sic celebrarunt, vt inde non obscure liceat augurari illis Virginis fauorem (vt qui in clientelam illius fidemque confugerunt) adesse præsentem. Peruuianę gentis Sodalitas bona suapte ingenio petens, nostram domum, infrequentem esse non patitur; eo enim nos amore vnice diligunt, vt ad nos veluti parentes in arduis quibus cunque confugiant.

Æthiops homo ê Sodalitate Deiparæ (cum ad libidines gens hæc facta videatur) præsenti tamen animo importunæ mulieris nefariam libidinem declinauit.

Verum enim vero auet animus anteire, & sanctissimi parentis nostri Ignatii mira quædam referre, vt planum fiat sanctissimi viri nomen & laudes non solum Hispaniæ limitibus circumscribi, sed ad has etiam dissitas pertinere regiones. Quod vt facilius possit intelligi, Patris Roderici de Cabredo Limani Collegij Rectoris, quas ad me, dũ Prouinciam lustrarem, mittendas curauit, describam li-

teras, quibus ego sic acquieui, vt multæ quæ me angebant, curæ conquieuerint.

EXEMPLVM LITERARVM Limani Collegij Rectoris ad Patrem Prouincialem.

EA est, Reuerende Pater, sanctissimi Parentis nostri sanctitas, quæ vigebit memoria seculorum, quã posteritas miraculorum gloria alet, quam ipsa denique æternitas clarissimis oculis intuebitur, vt vbique semper illa appareat, & illustretur. Quod quidem non obscure demonstrat, quod hisce diebus præter omnium spem diuinitus accidit miraculum. Quidam ex his, qui Limæ diui Dominici instituta profitentur (is audit Aluarus de Molina) religiosus sanè vir, quique nî tot afflictaretur infirmitatibus, in Dominicana familia longius honoribus processisset, eumq; semel ac iterũ Prioratus officio functum summæ iam in hac Prouincia rei admouissent. Is ab hinc decem annis adeo paralysi laborabat, vt nulla humana obire munia , nec verba informare valeret; qui cum hoc ancipiti & periculoso, vt medicorum fert opinio, vexaretur morbo, vt iam plane depositus ac desperatus esset, quando nulla medicina tantæ infirmitati reperiebatur, cum ipsa muta ars (vt ingenuè medici fatebanti) verè obmutesceret, & quodammodo ægrotare videretur, diuinum cœpit implorare præsidium, vt suo morbo valida præberet auxilia: nec moram cupitis attulit diuina clementia. Suggerit, vt Sancti Patris Ignatij vitam legeret, quam compẽdiariam

Pater

Pater Petrus de Ribadencira nuper in lucem edidit. Ille vero non procrastinat, sed diuino obsecundans Numini, vitam & miracula legere occœpit, & in eam adduci spem fore, vt quam citissimè secundũ Deum à sancto Parente nostro amissam reciperet valetudinem. Sed cum iam ille ad spem salutis raperetur, Sanctissimi viri virtutes, vt cum maximè cœpit suspicere. Dein nostri parentis peruigilio inedia se dum viueret maceraturum, eiusq; orationem singulis diebus dicturum, vota nuncupans religiosè promisit. Verum octauo die quo Sanctorum omnium memoria recolitur, quarta diei hora quasi quadam interiore properaque Numinis voce accitur, quæ excipiebat, vt è vestigio è cella surgeret, & tandem aliquando inambularet; nec lentas aduersus imperia habuit ille aures, facit imperata, omnibus admiratione stupefactis, cum viderēt hominem, de cuius iam incolumitate actum esse putabant, satis longam pergentem viam; & debitas Deo laudes persoluentem. Sed rogatus à quo tam insigne promeritum accepisset, vni secũdum Deum Ignatio in acceptis dixit referendum. Sed quis Religiosorum omnium gaudium lętitiam, que pro dignitate expresserit? Nemo certè quisquã, nemo vnus inuentus est, cuius animus effuse exultans, & præ lætitia gestiens nõ quodámodo gaudio desipere videretur. Qui quidē omnes iuxta ac si Ignatii filij essent, sanctissimum nuncupabant. Sed ne multis, illud pro comperto habeo, hunc diem non solum nobis, sed omnib. ciuib., qui domum gratulabundi confluebant, omnium longe extitisse gratissimum. Verum cum nescio quîs se miraculo in-
 cessisset

cessisset religio, omnibus fuerunt admirationi; nā religiosorum virorum, & quod caput est, optimorū medicorum in eam sententiam est facta discessio, quæ supra naturæ vim, & ordinem esse perspicuè ac manifestè declarat. Quod non solum verbis, verum etiam descripto nonnulli planum esse probarunt, idque conceptis verbis iurauerunt. Crebrescebat in horas rumor adeò validus, vt de multa nocte ad nostræ religiosæ familiæ candidatos nūcius allatus fuerit, quem vbi primum frater Christophorus à Messa, qui sacro iam perunctus oleo in lecto iacebat audiuit, ijs cœpit gaudijs exultare, vt suis se vestibus induere, & è lecto surgere maturaret, iam tunc aspirare cœpit, & post dies non amplius quinque, non sine admiratione confirmatum medici viderunt, quem iam crederent conclamatum. Hæc Pater Rector Limani Collegij. Sed subinde redditæ mihi sunt literæ nobilis Bartholomæi de Villauicencio, qui Truxillani prætoris partes sustinet, familiæ claritate insignis, ex quibus certior factus vrbem illam pestilentiam inuasisse, adeoq; debacchatam, vt multi extremum spiritum exhalarint, in qua publica ciuitatis pernicie cum egregiam operam nauarent multi, è Diui Dominici disciplina ægrotantes monebant, vt si ad pristinam vellent salutem perduci, sanctissimi Patris Ignatij opem auxiliumque deposcerent, nec fefellit quam de tanto viro imbiberent opinionem, siquidem nobilis fœmina grauiter affecta, firma iam corporis vtitur valetudine. Consulto tamen multis reb. præuertemur, nō n. silentio transittendum Iobelæum quadraginta horarū, q̃ Liberaliū dierū tēpore celebratum

bratũ eſt, tot enim concurſus ad noſtrum templum vndiq; fiebant, vt ét benè mane incredibilis hominũ multitudo ita ſedes occuparit, vt ad ſuperam templi partem, neutiquam aſpirare liceret; neq; id vno & altero die, verum etiam tertio.

COLLEGIVM CHVS-quienſe.

IVbileo promulgato duo millia de tota vita cõfeſſi ſunt. Templũ habent Sodales nõ longè à noſtro, in quo ſanctiſſimo noſtro Parente Ignatio aram erexerunt, & quotidiè Sodalitatis feſtum celebrarunt. Pro opibus quiſque ſuis ſymbolam dedit, vt duæ nubiles virgines ad maritos deducerenter.

Sex antiquæ ſuperſtitionis ſacrificuli cum nondum nefariam opinioné exuiſſent, eos qui reiectis vanarum ſuperſtionum tenebris luce diuinitus immiſſa, ad chriſtianam religionem ſe applicarant, ſui erroris inficiebant prauitate: Hi fædam opinionem dedocti, confeſſionis ſacramento animũ purgarunt, Chriſtianis præceptionibus inſtituti. Duo qui ſuſpendio mori decreuerant; alter qui ſe in flumen dare præcipitem ſtatuerat; noſtrorum ſunt diligentia liberati: Denique eo nos gens amore proſequitur, vt cum temporis anguſtijs excluderemur, nec diutius liceret operiri, nos compendijs viarum bidui, aut tridui itinere inſequebantur, vt vitæ noxas confeſsione delerent.

Hiſpanæ gentis adoleſcens, nec non & puella cum intercluſa iam anima mortalitatem expleuiſſe putarentur, Sanctſsimi Parentis Ignatij

ſyngrapha penè ſunt à mortuis vendicati. Nobilis vir cuius iam cutem aqua ſubierat, morbum ſanctiſsimi Parentis noſtri Ignatii precibus depulit.

Vixit hoc ãno Frater Lazarus Larana adiutor, qui quadrageſimum iam ætatis annum impleuerat, egeratque in Societate decimum ſextum, & præclara nobis virtutis ſolidæ reliquit exempla.

COLLEGIVM CVIQVIabenſe.

JOHANNES Ruizius Coadiutor piè obiit, qui primus in hoc Peruuiano regno noſtræ Societati nomen dedit, in qua ſex & triginta annos habebat, orationi impensè vacabat, & paupertatis adeo fuit ſtudioſus, vt ſemper cubiculo caruerit, & in neſcio quem abditum receſſum ſeſe abdiderit; vbi mira cum paupertate cubabat. Dum in luco qui longe aberat ab hac vrbe, domui contegẽdæ materiam cæderet, mucido dumtaxat pane, & ſale duratis carnibus victitabat. Denique ea qua elatus eſt die, totius ciuitatis honeſtiſsimi qui perſoluerent iuſta, præſtò aderant, eumque (tanta erat Virtutis opinio) Sancti nomine decorabant. Qui dies Aſcendẽti Domino ſacratus eſt, hoc anno celebrari eſt cœptus, nam interdiu haud exigua hominum multitudo in noſtro tẽplo aſcendenti Chriſto debitas laudes concinebant, ad quam non multò pòſt è noſtris vnus ſermonem habuit.

Peruuianæ gentis mulier pœnitentiæ ardens deſiderio, craſſiorem tunicam ad pedes vſq; carnibus appreſſerat, quod cum de die ſine incredibili moleſtia præſtare non poſſet, integris ipſis noctibus facie-

faciebat. Ad hanc proximè accessere duæ aliæ (licet in dispari materia, sed non dissimili virtutis exemplo) quæ cum Christi paupertatem in summa poni laude audissent aliquando, prima (quod in tanta gentis paupertate miraberis) vnam sibi vestem ex duabus tantum fecit reliquam. Altera se voto deuinxit, nullis se dum viueret, nouis vestibus induturam, & iam tum multas pauperibus est liberaliter elargita. Omnes præterea sodales cum nostros eleemosynas pauperib. tribuentes pro Collegij foribus viderent, tantam ciborum & vestium copiam attulere, vt nō solum ijs, qui publice manum ad stipem porrigunt, fuerit alendis, verum etiam ijs, qui cum propter paupertatem aliqua indigeant misericordia, ingenuo pudore à quærendo deterrentur. Sed audi facinus, in quo christianam illam virginū Fortitudinem, quas aurea illa protulit ætas, non requiras. Adiecerat forte oculum eximij decoris adolescentulæ Hispanus homo, quam cum nullis muneribus vincere potuisset, eo furoris deuenit, vt gladium intentarit; quem cum illa inuictæ constantiæ fæmina non timeret, & præ pudicitia reliqua omnia cōtemneret, ille despicatui habitus recessit. Alia vero cum eiusdem periculi aleam subijsset, eandem sibi peperit constantiæ palmam, & se pudorem perpetuum seruaturam voto obstrinxit.

Multa sunt hoc anno eleemosynæ nomine huic Collegio erogata, quorum summa ad decem millia ponderum est. His duæ pretiosissimæ vestes ad sacrarum cultum factæ.

COLLEGIVM CVIQVIſacanum.

OMnium in hoc Collegio ſaluti pro virili ſuccurritur, Sodales tam clerici, & ſeculares, quàm ſcholaſtici & indigenæ nihil ab antiquo feruore & religione receſſerunt. Partheniani præcipue, qui ſanctiſſimæ Virginis Conceptionem per præmia à noſtris eliciti, & Octauam mira nobilium celebritate peregerunt. Neque parua pars laudis indigenis tribuenda, nam Chriſtiana omnia munia tam religioſe obeunt, vt qui dudum nudam Chriſtianæ religionis diſciplinam acceperant, maiorum nunc gentium videantur eſſe Chriſtiani. Multi eorum eleemoſynis, dũ difficultate domeſtica laborarent, victui neceſſaria compararunt, ſed ij præcipue qui publica attinentur cuſtodia, quibus ſemel ac iterum annis ſingulis lautiſſima inſtruxere conuiuia. Sed admirabilius nihil eſt, quam quod Hiſpano accidiſſe cognouimus. Is cum crimina ſæpe ſua apud Sacerdotem accuſaret, tamen ſimulata conſcientia, capitale quoddam crimen ſemper celabat, ſed (quæ eſt Saluatoris noſtri clementia) hominem miris artibus ad ſuam amicitiam ſtudebat adiungere; imago illi ſecundum quietem eſt obuerſata, quæ minitabundi Cerberi ſpeciem referebat. Ille hoc inſolenti aſpectu nihil non polliceri, ſed ſomno ſoluto viſio illa vertit in peius, nam alijs ſe peccatorum vinculis irretiuit. Verum cum Euangelicum noſtrum oratorem ad perſuadẽdum appoſite dicentem audiret, à deprauata illa conſuetudine receſsit.

Hiſpa-

Hiſpanus equeſtris ordinis cum miraculorum paralytici illius quem reſtrinxit ſanctus Pater Ignatius,quod nuper Lima venerat,legeret ſtudiosè,in ſanctiſſimi viri imaginem oculos conijciens, eam de Ignatij mira ſanctitate concepit opinionem, vt præ nimia Sancti reuerentia in genua ſubſidens, & mox terram exoſculans, perpetuam Ignatio, & eius filijs ſeruitutem voto dedicauerit,& mox Patris Rectoris,tunc fortè aduenientis, genua aduolutus idem iterum ſpopondit.

COLLEGIVM GVAMANguenſe.

INciderat in grauiſſimum morbum indigenarũ quidam,conſciẽtiæ iudicẽ iubet accerſi, eſt enim (dicebat ille)quod videã,ille verò non cunctatus rogare conſciẽtiæ labes ac vulnera vellet patefacere: non dudum nihil mihi potius erat, nihil magis habebam in votis,ſed iam non ſolum talem mentem,verum meæ ſalutis exui ſpem, iam enim dæmonibus æternis ignibus tradorexcruciandus, ibi ſecluſus à concilio cœleſtium, in perpetuis miſeriis verſabor,iam aſpiratione, & expiratione grauem, ſulphureumque halitum eructo, nam iam inde à pueritia cum neſcio quibus mea peccata aperirem, ab eis aſpere acceptus noxarum omnium ſordes contraxi. Aſt Sacerdos infracto animo,quo hominis animum emolliret, Redẽptoris noſtri clementiam,miſericordiáq; laudibus cœpit extollere, tum ẽt quanta bonos in cœleſti patria præmia maneãt,quę quidẽ pro magnitudine nulla cogitatione

valeant

valeant depingi:ille verò, quem ex infinita mortalium multitudine Deus selegerat, suadentis verbis obsecundans, è summa caligine ac tenebris in lucem manifestissimæ veritatis erutus, retrò actam vitam cõfessione detergens, ab hominum vita demigrauit.

Nobilis matrona Euphrasia de Valencuela grauiter affecta, instabat enim & vrgebat quotidie febris, in intestino præterea abcessu multum puris coibat; iam plane deposita ac desperata, & extremo oleo delibuta, cum illius vir sanctissimi nostri Parentis imaginem, quam à Patre Rectore acceperat, collo suspendisset, tam cito cœpit confirmare sese, vt ij qui iam pullati aderant, vt extremum spiritum exciperent, acceptam Ignatij precibus valetudinem gratularetur. Puer Vrbanus nomine, qui cibi plurimi erat, adeo se valentibus cibis ingurgitauit (præcocibus inquam pomis & cotoneis) vt nimia cruditate affectus, cum nullus qui eam moueret cibus inueniretur, & sanguinem, quod est sane periculosum, incisa vena misisset, omnes qui aderant iam mortuum putabant: Verum cum sanctissimi Parentis Ignatii imaginẽ deosculatus esset, discussa est statim cruditas, & febris, qua diu detinebatur, penitus quieuit.

(∴)

RESI-

RESIDENTIA IN Iulide.

SOdalitates hoc anno inſtitutæ ſunt duæ, vna paruuli IESV nomini dicata, alterius vero feſtum illo celebrant die, quam auguſtiſsimo ritu Euchariſtiæ anniuerſarium ſacrum colimus; & huic noſtræ fidei myſterio adeò ſunt addicti, vt ſi quando à Sacerdote foras ſit educendum, vbi primum æs campanum auditur, magna vndique confluat Indorum multitudo. Nec leue eſt huius tantæ deuotionis indicium, quod pia præſtitit fæmina, quæ auri libram in ſanctum calicem liberaliter erogauit. Hoc etiam anno expeditionem adornarunt, vt indigenis qui ad argenti fodinas mittuntur, operam noſtri præſtarent, ex his multi æternæ ſalutis fonte tincti, multi à turpi pellicatu abducti, catholico ritu matrimonio coniuncti, alij præterea multi ſuperioris vitæ noxas expiarunt.

MISSIO, ET RESIDENTIA SANctæ Crucis in Montanis.

IN conterminos populos, qui Chani, & Gorgotoqui vtuntur lingua, Pater Andreas Ortizius, & Pater Agnelus Oliua expeditionem adornarunt. Didita per oppida & pagos fama, Indi qui noſtrorum aduentum minime operirentur, nec non & alii plurimi fama exciti, properabant. Gens ad honeſta ſeu praua iuxta facilis, nec ſolum accolæ, verũ etiam, qui bidui, aut tridui aberant, crepera adhuc luce ventitabant, vt confeſſionis Sacramento ani-

mum

mũ perpurgarent, ꝗ cum feciſſent ſe flagris acerti-me ad ſanguinem vſq; cum per oppidum ſolemnẽ pompam ducerent, mulctabãt. Per id tempus cum Pater Agnelus in vrbe ageret, dum quadã die ſacris operaretur, accurrit Indus, mori fæminam, & quó ad ſacram confeſsionem vteretur Patrẽ poſtulare, amabo te, dicebat, ſi te ſtatim in viam dederis: ac-cingebat ſeſe, cũ repẽte audiuit horriſonos debac-chantium ventorum flatus, nigreſcere & cõdẽſari nubes, imbres ruere. Agnelus verò ni Rectoris atti-neretur iuſſu, difficilem viã maturabat: Deſęuit tñ fœda illa tempeſtas; tendit ille viam, ſed primo ab vrbe lapide, vt cum maxime occæpit debacchari Omnia tñ pericula pro ſalute illius animæ leuia du-cens, & ſi tẽpeſtas adhuc teneret, domũ tandẽ per-uenit. Iacebat illa in pauperrimo grabato, q̃ craticius paries, qui à rectis tranſuerſiſq; cannis ſeu arundi-nib. componitur, ab illa temporis inclementia tu-tabatur. Initia Chriſtianæ religionis rogata, & om-niũ à pueritia peccatorũ confeſſione repetita, de vi-tæ huius ſtatione deceſſit. Nõ multò poſt Pater Di-dacus Samaniacus (de cuius in Indorũ ſalute pro-curanda mira diligentia in Peruuianis annalib. ſatis dictũ) & Pater Agnelus Oliua ad Chiriguanas, quæ gens ſitu terrarum late prætenta penitus ad Para-guapos porrigitur, ſunt deſtinati, vt affectum Dei opus conficerent. Saltuoſos tandem locos, nec non paludum vligines tranſeuntes, Guapachin (Chiri-guanarum oppidum eſt) deuenerunt, gentem ſom-no, vinoq; ſepultam offendentes, nulla enim ferè gens eſt, quæ propemodum adeo vinolentię dedita ſit. Obuiam eunt barbari nigro, prupureoq; colore

depi-

depicti præuſtas ſudes, longoſq; contos vibrantes, & horrendum in modum efferati, ſed non diu vaſuit effrænata illa barbarorum licentia, nam noſtrorum aduentu conquieuit. Diuerterunt ad Caciquium, vbi gentis more lautiæ noſtris attributæ. Tẽplum hic exædificãdi cupido inceſſerat, ſed impedimento fuit barbarus, is enim noſtrorum cœpit conatus infringere, cũ ſe eorũ antea conſilijs mirũ inmodum implicaſſet. Sed iã Chriſtianæ fidei abolendæ percupidus nihil non moliri, quod quidẽ adipiſci nõ potuit, nã quæ eſt diuina clemẽtia, prȩſto fuit Caciquius prouectæ iã ætatis, qui rei Chiriguanæ arbitriũ multis annis obtinuerat & quẽ dum in Hiſpanos ducerent Chiriguanæ, nobiliſsimi quiq;, vt maturũ annis ſpectatumq; bello lectica impoſitũ ſucollabãt; is multa tẽplo neceſſaria ſuppeditauit, & ipſe(q, inter barbaros probro & ignominiæ ducitur) materiã humeris aſportabat. Dein fidei myſteriis eruditus & ſacroſancto æternæ ſalutis fonte initiatus, tã lubenti animo Chriſtiana ſacra ſuſcepit, vt nemo vnus ſit, in quo magis innixa res Chriſtiana perſiſtat: tanta eſt ſalutaris lauacri vis, quæ non ſolũ in Caciquio, verum & in deſperata fœmina ſic enituit, vt cũ primũ luſtrali fuit aqua tincta, ex grauiſſimo morbo quo afflictabatur euaſerit. Enim vero ſilẽtio trãſire haud potero, quod ſub hoc ipſos dies meis oculis vſurpaui. Suouetaurilia celebrant, cũ non ſolũ proprios, ſed et atterminos luſtrãt agros, exquirũt ſumma diligẽtia Struthiocameli oua, quæ quadraginta eſſe ſolent, ponunt in medio fori, tũc ipſi lymphata mẽte œſtroque percuſi cum ſe prius cibo, vinoque ingurgitarint, in ſyluas
ſeſe

ſeſe abdunt, dein ex vaſta illa proſiliant ſolitudine, & vt inſanientes Bacchæ ouis aſſultant, circumeunt omnes orantq; , vt morbos, viſos, inuiſoſque, vaſtitudinē, intemperiamq; prohibeat, & auerruncet Deus, vtq; frumenta & fruges grandire beneque creſcere ſinat. Adſtant duo ſtolidè feroces, qui reliquos oēs, fœminas præcipue, & infantes ipſos ſic verberibus male accipiunt, vt præ dolore deficiant. Sed neq; hiſcere, aut mutire audent noui Lacedæmones: iuuenes vero, & qui nimia ſibi arrogant fortitudine, non ſolum brachia, ſuras & femora, verum & linguam acutiſsimis Tygridum oſsib. incidunt, oua aquæ iniiciunt, qua Caciqui filium lauant, vt illis initiatus ſacris fortiſsimus euadat, & contra infenſos ſibi hoſtes bella capeſſat, illa deniq; in ſuis pergræcationib. comedunt. Sed iam miſſis barbarorū moribus, audi mirabile diuinæ præſenſionis teſtimonium. Deſciuerāt ab Hiſpanis Caciqui duo, ſed cū iam vulgus adſtreperet, circumiectaſq; nationes ſeditio inceſſeret, cœptantem Hiſpani oppreſſere coniurationem, illi in carcerem cōiecti, quorum alter cum incidiſſet in morbum, ad Chriſtum adiungi enixe poſtulauit, ipſoq; luſtrico die ipſum vita defecit: alter vero adduci nūquam potuit, vt Chriſto nomen daret, & fauces ſunt illi laqueo vexatæ. Hoc anno 1607. ad Chiriguanas, qui ad Tariſam vergunt, Pater Emmanuel Ortega vetus operis ac laboris, & Guaranicæ linguæ ſciens, & Pater Hieronymus Villarnaus penetrarunt. Oderant multo peius Chriſtianos barbari q̄, ipſum dæmonem, & ni præliū Deus diremiſſet, precariā certè animā inter tot gentes im̄anitate barbaras trahebamus.

mus. Verum barbari diu penſitato, ex ſuis duos ad Chuquiſacanum ſenatum legarunt, qui referrent Chiriguanas gentes, Chriſtiana velle ſacra ſuſpicere. Noſtris eſt de ſenatuſconſulto demandata Prouincia, quem ſit exitum hæc miſsio habitura, nondum compertum. Sortita eſt tamen lætiſsima rerum principia, & ſperamus fore, vt quàm breuiſsime ad ſanam Religionem ab impura ſuperſtitione traducantur. Huius reſidentiæ rebus addendum ſancti Parentis noſtri miraculum. Dyſenteriacus erat Dux Chriſtophorus de Molina Hiſpanorum longe primus, & de noſtra Societate optime meritus, aggraueſcebat indies morbus, cum nullis vnquam medicamentis cederet, ſed vbi primum ſancti Patris ſyngrapham collo ſuſpendit, meliuſculus eſſe cœpit, ac iam pene depoſito non multò pòſt ex toto eſt ſanitas reſtituta.

SEMIPROVINCIA GRANATENSIS Regni.

COLLEGIVM QVITENSE.

PEllicibus maxime aſſueuerant Vrbani Indi, quos cum in tot ſcelera prorumpere noſter Sacerdos animaduerteret, hominibus terrorem incutere, & in Tartaro peccatoribus exquiſitiſſima in omnem æternitatem parata ſupplicia, illi cum adhuc in vitijs vitam prolatarent, tali ſupplicio affecti; Alter cum ſeſe vnà cum pellice vino deuinxiſſet, actutum in viam ſe dat, ſed cum pedes vacillarent, & greſſu miſer titubaret, in altiſsimum

hiatum sese dedit pręcipitem, & comminuto capite mortuus est. Alter in celebri pergræcatione pellicem interfecit, & quatuor quos sustulerat filijs, temulentus & vino plenus vitam eripuit. Sed importuna hæc excipiant læta. Cum flumen quidam traijceret, imbrium vi cœpit immensum attolli, vorticibusq; ex equo deturbatus in pedes desiliuit, & cũ vndis raptaretur, incolumis tamen euasit, equo aquarũ vorticib. oppresso, quod Lauretanæ Virgini acceptum retulit, quòd Annunciationis die Eucharistiam sumpsisset. Haud minor in fæminarũ morbis sanandis Lauretanæ Virginis vis extitit. Quædã omnib. capta membris, & acerbissimis insuper excruciata doloribus, cum sine quibusdam adminiculis reptare nõ posset, Virginis Lauretanę opẽ lachrymabunda postulans, depulso diuinitus morbo, pristinam recuperauit valetudinem. Sed illud est admiratione præcipuum. Repente infans neruorum resolutione adeo laborauit, vt cum subitus ac improuisus morbus accresceret, haud procul exitio abesset, tunc mater in genua venerabunda subsidẽs, damnata medicorum spe, diuinã implorat Lauretanam, & extemplò est incolumitati restitutus. Fæminæ duæ abunde sibi magna præsidia in Virginis ope fore non falsò ratæ, cum animum constantiãq; flectere multi essent aggressi, morituras potius affirmabant, quam castitatem, cuius tenebantur desiderio, exuerent.

SEMI-

SEMINARIVM D. LVDOVICI.

EO præcipuè nomine demandatam ſibi huius ſeminarij curam Societas ſuſcepit, vt multorũ pueritia adhuc malarum artium inſolens, noſtris magiſtris adoleſceret. Nec euanuit ſpes, nam immane dictu quantũ 50. qui in hoc ſunt ſeminariũ cooptati, cæteris omnib. literis & virtute præluceant. Ingeniorum ſuorũ ſpecimen haud obſcurũ præbuere publicis philoſophię Theologiæq; diſputationib. Celebrant ſumma pietate ſingulis mẽſibus Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ diem, q̃ hoc anno maiori deuotione fecere, cũ Epiſcopũ, qui tunc vrbem inibat, varijs carminibus excepere.

RESIDENTIA SANCTÆ Fidei.

ANtea mirus erat erga noſtros amor, nunc verò multò maximus, cũ viderũt Societatẽ, ne iuuenũ diſciplina per deſidiam exoleſceret, humaniorũ literarũ ſcholas aperire, ne ritus ſacrorũ obliterarẽtur, ciuiũ, nec non ẽt indigenarum cõgregationes inſtruere, ac omnia deniq; quæ animarũ ſaluti cõducerẽt, pręſenti animo capeſſere. Sed nihil æque noſtrorũ gloriã intendit, q̃ improb. linguæ Moſcæ addiſcendæ labor, nã multi nullo noſtrorũ merito à nobis diſſidebant, cũ cernerent tanta nos diligẽtia perſtitiſſe, vt Chriſtianæ religionis capita neophytis propria lingua traderẽtur, q̃ à pleriſq; tẽtatũ antea ſecus ceſſerat; ſed quod dedecori futurũ putarunt, mox noſtris in laudem vertit. Archi-

epiſcopus eorum perſecutores inferorum pœnis deuouit, & præſes nobilis Ioannes de Borgia, qui ſe noſtræ Societatis oſtendit eſſe amiciſsimum, aliter facientibus publica præconis voce, mulctam dixit. Inuaſerat adoleſcentulam humani generis hoſtis, à quo cum obſeſſa teneretur, mirum in modum vexabatur, multi nequidquam ſolemnes exorciſmos adhibuerunt. Verum ille qui exire obſtinatè recuſabat, noſtri conſtantia Sacerdotis, cuius vel ipſum aſpectũ pertimeſcebat, licet queribũdus, antiqua tamen eſt poſſeſsione exactus. Luſtrabat circumiecta oppida Sacerdos noſter, quem cum de rebus diuinis ad populum dicentem audiſſet quidam, accurrit extemplò, & quod ſibi euenerat aliquando narrauit. Facinus perpetrari aggreſſo (dicebat ille) ſeſe obtulit Chriſti Domini in Cruce ſpirantis imago, cuius inſolens aſpectus, ſic meos nefarios impetus libidineſque cohibuit, vt è corruptis moribus ad emendatiorem vitam traductus, ſtatim totius vitæ flagitia ſacra confeſsione expiarim.

RESIDENTIA NOVÆ CARthaginis & Panamæ.

OBita à noſtris ſunt circumiecta oppida, in quibus quid euenerit non eſt ſilendũ. Carthagine profecti è noſtris duo Tenerifem peruenerunt: ibi à primoribus obuiam itum, cum ſtudijs certaretur ad quem Patres diuerterent. Dein conciones haberi cœptæ. Conſcendunt hic, vt Diuæ Marthæ (ciuitatis nomen eſt) oram legerent, verum

verum fœda tempestate oborta, cum anchoris adhærere non possent, neque eò nauis aspirare valeret, vbi conscenderant, portum iterum tenuerunt; nec pœnituit (vt diuinam cernas prædestinationem,) obuius enim homo, qui commissorum peccatorum salutari confesſione perpurgatus cœlesti est pane refectus, quod quadraginta ab hinc annis non fecisse affirmabat. Dein terrestri itinere ad amnem (cui Hispani delahacha nomen indidere) penetratum. Sũt altissima flumina, quæ immenso ore in Oeceanum effunduntur, quibus cum montium prominentia resistant, inęqualiter sinuãtur, & frequenti ac portẽtosa traiectione deterrẽt. Cœli solique mira inclementia, viperarum, colubrorum, cyniphum ferax regio, quorum tot sunt examina, vt meridianæ luci non rarò officiant, & solem penitus eripiãt: Cætera omnia partim asperrima & salebrosa, partim limosa ac tenacia graui cœno. Sed quãdo de serpentib. memorauimus, narrabat Hispanus homo vir multa probitate, invsitatæ immanitatis serpentem in his syluis stabulantem offendisse, qui viginti duos pedes habebat, longitudinis, & tantæ magnitudinis, vt ceruum ingenti ore correptum, & caudæ voluminibus elisum voraret. Verum non multò pòst in loca vligine profunda deueniunt, vbi diducta arena iumenta pene hauriebantur. Sed audi miram in nostros Numinis clementiam. Scopulus erat in maris littore excauatus, decumanis semper fluctibus id temporis solebat verberari, adeoque immensum mare attolli, vt cum eadem esset freto ac littori facies, nulla à profundis breuia discerni possent. Cum igitur

noſtris illac tanquam per fornicem iter eſſet faciẽdũ, illud ſicca humo & modice adlabẽte æſtu, quietum habuerunt. Perueniũt tandẽ aliquãdo, vbi Hiſpanis accoliſq; conſultũ. Hic margaritis piſcãdis operam ſuã Hiſpanis locant ſexaginta ferè ęthiopes, qui eas conchilijs incluſas ſubtus aquas ſolertiſſimè rimantur, nocte omnes ergaſtulis attinentur. Si enim rem cum aliqua habuerint, aut caput limarint, aut irritum in mare iactum faciunt, aut ſi in pelagus ſe vt vrinentur, librent, magnam è narib. auribuſq; vim ſanguinis profundentes, vitam deſinunt propagare; miram inde caſtitatis dignitatẽ haud obſcurè licet odorari, vt ſi illam exueris, pretioſam quæ in Chriſti campo margarita deliteſcit, aſſequaris minime. Hic multorum fraudib. quæ in vnionib. vẽdẽdis eſſe ſolent, obuiam itum, & cum quæſtiones de morib. ad chriſtianam vitam conſciẽtiamq; moderandam explicuiſſemus, vetita eſt Hiſpanorum verſura. Saltuoſa loca non longè ab hoc flumine incolit gens duritiæ patientiæq; inſueta, Hiſpanos miro odio proſequitur, cũ quîs ideo ęternum bellũ gerit, vagari ſyluis & incultis ſolitudinibus res eſt his barbaris periucunda, quib. ni anguſtijs temporum excluderemur, euangelij lumen eſſet illatum. Sed nõ omiſerim à ſanctiſſima Virgine in hac noua Cartagine effectum miralum. Quidam Mahometæ ſacris imbutus triremibus ſempiternis erat aſtrictus, huic non ſecundũ quietẽ, ſed interdiu ſeſe Deipara Angelorum ſtipata comitatu vidẽdam obtulit, monet vt ni ſempiternis mactari ſuppliciis velit, & ſi in priſtinam vindicari libertatem deſideret, actutũ Chriſtianæ ſe militię adſcribendum curet. Dein cum per

publi-

publicam viam incederet, nobilis matrona dixit: Ego te in libertatem asseram, & è sacro fonte suscipiam, si Christi instituta susceperis. Paret ille, nunc Christiana catechesi domi nostræ formatur, vt lustrali dein aqua tingatur.

MISSIO IN PARAQVARIOS.

CVm hæc Prouincia à Peruuiana diuisa iá sit, & suos illa Romam annales mittat, labore mihi supersedendum censui. Profecti sunt Lima Patres duo, qui nuper ex Hispania venerant, vt vnà cum Patre, qui in Assumptione eos operiebatur, latissimas illas Prouincias peragrarent, & infinitas nationes obirent. Eorum tñ laborum copiosos fructus melius ex eorũ literis cognosces. Hęc pręstitere hoc annno cIↃ. IↃ. CVII. nostræ Societatis homines, quib. vt multitudinem malis imbutam morib. & in diuersa peccatorũ genera dispalatam ad Christũ adiungant, nullus labor insolitus, non locus vllus asper, nulla deniq; pericula. Verũ in tanta operarũ paucitate, omnib. suppetias ire non possumus, ideò enixe orat hæc Prouincia, vt nouorum operarum supplementa vestra mittat Paternitas, vt dũ fessis succurrunt integri, maiores vberioresq; posthac hic noster ager fæcilissimo prouentu reddat fructus.

ANNVÆ LITERAE MEXICANÆ PROVINCIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1607.

SOcios ducentos, & quinquaginta tres continet Prouincia hæc. In domo Profeſſa viginti quatuor; in Mexicano Collegio ſeptẽ ſupra ſexaginta: duodecim in ſeminario Diui Ildefonſi; in Guatemalenſi domo quatuor: In Collegio Paſquarenſi vndecim: totidem in Guadalaxarano; in Tepozotlano ſeptem ſupra decem: totidem etiam in Guaxacenſi: nouem in VVallisoletano: in Domo veræ Crucis ſeptem: in Zacatecana totidem: in Guadianenſi quatuor: vndecim in Miſſione Cinaloenſi: in Domo ſancti Moyſij tres: ſex in Miſsione lacunæ magnæ: in Tepeguana quatuor: in Topiana nouem: deceſsere quatuor: totidem acceſsere.

Et antequam enarrem, quæ hoc anno noua cõtigere ad Maxicanam Domum ſpectantia, exponam breuiter communem calamitatem, quam vrbs Mexicana perpeſſa eſt, quæ aquis vndique vallata, ſummam omnibus perniciem minabatur. Vrbs hæc in lacu ſita eſt, qui quinquaginta ſupra centum millia paſſuum occupat, in quem flumina licet maxima continuò fluxerint, nunquam tamen poſt hominum memoriam creuit adeò, vt extra ſedem antiquam eruperit aliquando: verum hoc

anno

anno tot nymbi præcipitantes ceciderunt, vt aquæ intra terram irrepentes in ædes omnes penetrauerint, aquæductusq; aquis oppleti illas vndique diffundentes totam vrbem occuparunt ; domus quamplures , quæ ob vetustatem aut infirmam sedem aquis resistere minimè poterant, partim deiectæ, partim vero ruinam minabantur. Verum cũ in superiore vrbis parte maxima vis aquarum coacta fuisset , quo die Sanctisimorũ Petri & Pauli festa recoluntur, eo impetu præcipitauit in vrbem, vt repente templa omnia aquis oppleta fuerint , palatia etiã cum minimè possent in habitari, deserebantur: horti ac viridaria, quæ ciuibus, vel ad vitæ sustentationem prębebant necessaria, vel animi recreandi gratia illis inseruiebant , direpta penitus ac funditus euulsa. Ad ruinas Collegij nostri restaurandas argenti ponderum septem millia insumpta fuere; quare literarum studia , ædium sacrarum frequentiæ , tum etiam genus omne tractandi, quod quæstu lucroque fieret , ea tunc tempore ociabantur, cum vigilantisimus Prorex D. Aloysius de Velasco, qui tunc regna hæc iterum moderari inceperat , coacto nobilium omnium, tum etiam religiosorum cœtu, communem omnium calamitatem proponere, exposcere remedium ac vnicuique lubenti animo præbere aures , qui refugium aliquod tot calamitatibus inueniret , quod etsi repertum est , non tamen tanti ponderis erat, quod vrbem ipsam, aut eo tempore illo infortunio penitus liberaret, aut in posterũ à cõmuni lue tutã seruaret. Quare primo consultum est, vt Dei indignatio in hanc vrbem per religiosorum omnes

Ordines precibus auerteretur; tum commiſſa cura Patri è noſtris, qui prouincia peragrata aliquem locum perveſtigaret, quo flumina, tum verò Mexicanus lacus propellerentur; quod tandem Deo duce factum eſt, vnde breui ſperamus, & vrbis totius ſalutem, & populorum omnium vtilitatem.

MEXICANA DOMVS.

A felici morte exordiar Patris Fernandi Suaretz de la Concha, vrinæ morbo extincti, qui cum haud facile illam redderet, pulueruleuto etiam ſanguine, ac calculis immixtá emittebat; annum ætatis octuageſimum, Societatis vero 50. agebat, quod tempus in proximorũ ſalutem inſumpſit in hac prouincia. Ad vitæ normam in oſtio cubiculi dictũ illud D. Pauli inſcripſerat: Attende tibi, & doctrinæ: nam prius vitæ ſuæ profectum, tũ verò cæterorum quærebat, in tacitas precationes, ac meditationes quotidie ad multas horas ſeſe effũdebat: ſecundaq; noctis vigilia cum prius flagellis acerbè corpus caſtigaſſet, horas canonicas recitabat: quare cũ Deus diuinas illi conſolationes impertiretur, maximum lacrymarũ imbrẽ effundens B. P. Franciſci Xauerij verba ingeminabat. Sat eſt Domine: ſat eſt, atq; hinc fiebat, vt ſemper de Deo verba faceret, qui tanto morborũ pondere, & feruore homines de diuinis alloquebatur, præcipuè verò de Chriſti Domini perpeſſione, vt audientes ad maximũ dolorem flagitiorum impelleret. Cumq; ſupplicationes publicæ eo tempore quo Chriſti patientis tormenta recoluntur, in vrbe haberentur, vbi hominum

viginti

viginti millia flagris ſeſe concidere ſolent, ipſe ad populum conciones habebat eo charitatis ardore, ac fletu, vt nõnunquam ſpinea corona ſibi impoſita ſanguis flueret, quare omnes præterita ſcelera illacrymantes, veniam à Deo poſtulabant. Crucis amantiſſimus erat, cubiculumque ipſum tot crucibus ac oſſibus defunctorum ſemper repletum erat; & cum in ſe nimio cruciatu animaduerteret, hinc fiebat, vt facies, ac corpus attenuatum haberet. Bis vnoquoque die flagris acerbiſſimis ſe concidebat, ſecundaq; noctis vigilia, cum iam ſe diuerberaſſet, cruce humeris impoſita ædẽ ſacram petebat. Omnibus præcipua quadam ſolicitudine obediebat, tũ verò maximè, cum campanula ſigno edito aliquid imperabat; camiſia ſemper vtebatur, quam potius dixiſſes carnificinam, noctesque omnes in tabulis tranſigebat. Atqui antequam ab hominibus demigraret, aliquas corporis afflictationes indagabat, vt magis etiam proficeret. Alia quamplurima omitto, quæ ſanctitatem illius apud omnes illuſtriorẽ effecere, cui dum publice in Eccleſia à noſtris ſacrum funebre celebraretur, ciues omnes veſtium ſurreptione ſanctitatem eius comprobarunt.

Hoc anno in æde ſacra indulgentiæ plenariæ Iubilei inchoatæ Bacchanalium tempore, quæ tanta gratulatione ab omnibus receptæ fuere, vt mirum fuerit: ædes ipſa ſacra pretioſis aulęis ornata, auro, atq; argento contextis: adiectæ modulationes totis dieb. quò ea vis hominum confluxit, vt ſacro Euchariſtię cibo refecti trium dierum ſpatio, decẽ milleni numerati fuerint; nec defuit Prorex ipſe, qui ẽ exemplo ſuo quamplures alios ad pietatẽ illexit.

MEXI-

MEXICANVM COLLEgium.

ALuit hoc Collegium Patres 28. ſcholaſticos ſeptem ſupra decem, adiutores vero totidē, è quibus bini vita functi ſunt; quorum alter Hieronymus Lopetz ſcholaſticus, annos natus viginti tres, quinq; vero ex quibus Societatem ingreſſus fuerat, qui acuta febri interemptus eſt, quo tempore Philoſophiæ dabat operam: hic à primis annis deditus adeo ſemper fuerat pietati, vt illa etiam ætate corpus cilicijs, ac verberibus acerbè caſtigaret; quod & poſtea firmo quodam animo ſemper in Societate præſtitit: cæleſti conſolatione ſæpiſsimè afficiebatur adeo, vt & illam reprimere nullatenus aliquando poſſet, orationi, ac regularum obſeruantiæ ſummopere deditus erat; cum verò graui morbo illo detineretur, omnium à pueritia criminum maculas confeſsione aboleuit; ſanctiſsimoq; Euchariſtiæ ſacramento refectus, ac invnctus oleo, animam expirauit: Alter vero qui diem obiit, frater Ioannes Lopetz ex regione Cantabriæ oriundus, ætatis anno quinquageſimo ſeptimo, Societatis vero trigeſimo octauo: hic vti egregius architectus omnibus Prouinciæ huius operib. præerat, qui tamen cum apprime artem ipſam calleret, humilis adeo erat & ſubmiſſus, vt omnibus qui nouerant illum, eſſet argumento maximæ ſanctitatis, & cum in dies grauaretur morbus, ac ſtomacho marceſceret cibi etiam leuiſsimi onere, peccatis generali confeſſione expiatis, animam Deo, corpus vero virgineum & intactum, ſicuti teſtatus eſt

Pater,

Pater,qui à confeſſionibus audierat eum,terrę reddidit.

At vero literarum ſtudia,quæ in hoc Collegio vti in Societatis cætero quolibet,noſtri profitentur, hoc anno maximopere floruerunt ; nam præterquam quòd ferme quadraginta Baccalaurei dignitatem ſunt aſſecuti , cæteri etiam qui & nobilitate & acumine præſtant ingenij,non tantum intra parietes,verum etiam publicè,Prorege aſtante, ac regio ſenatu,aſſiduì laboris in literarum ſtudia inſumpti præclarum ſpecimen dedere, maxima vrbis totius tum approbatione , tum gratulatione.

Iam vero Paternitas veſtra certior fiet de tẽpeſtate quadam,quæ in Societatem noſtram, præcipue in Patrem Martinum Palaetz,Rectorem huius Collegij,exorta eſt; cuius Author fuit Doctor Landeras,huius regni Regius viſitator. Habuit cõcionem P. Martinus Palaetz in domo Profeſſa, die qua infantis Chriſti Domini Circumciſio celebratur:cum verò quam plurima ad Ieſu nomen ſpectantia Societati etiam oſtendiſſet ratione quadam conuenire, quibus Societas ipſa noſtra maximè Chriſto debebat;vt intelligamus, inquit,nos ſemper Chriſto inſeruire debere, & permultas pati tribulationes,vt animas Deo lucremur. Vti enim D. Dominici Patres religioſi Prædicatores nuncupantur, non eleuatione quadam,aut animi tumore , verum vt intelligat quiſq; illos tanquam nubes volare, vt ferant nomen Dei coram gentibus : Patres religioſi D. Auguſtini Doctores dicuntur, ob ipſorum caput Diuum Auguſtinum,non ficta quadam animi elatio-

elatione, verum quia literas ideo profitentur, vt ſint lux mundi: Patres etiam Religioſi D. Franciſci pauperes appellantur euangelici, non tumore inflati, verum quia illis viuere Chriſtus eſt, omniaq; arbitrantur vt ſtercora, cum mũdana contemnant, mortui mundo, plateis, viſitationibus, palatijs, honoribus, cur js cenſeantur, quod omnes profitemur. Verum his nominibus, vti ſtemmate quodã noſtrum quiſq; id præ ſe fert quod profitetur. Vti cum Rex Hiſpaniarum militem numerat, qui Turcicum debellet imperium. Tunc enim Liguré cogit, Venetũ, Italum, Hiſpanum, qui omnes imperia, ac regiones ſuas prę ſe ferũt: verũ finis vnꝰ, cũ nil prętereà quàm Turcas tradicitus euellere cõtẽdat: non ſane ſecus in hac hominis militia; etenim à Deo numerantur, vt dæmoni communi omnium hoſti bellum inferant acerbum. Hæc ſunt, quæ Pater Martinus protulit, cum ad populum concionem haberet; vbi Prorex ipſe; regius ſenatꝰ, ac Religioſi quàm plures aderant. At verò Viſitator anſa arrepta, quod ſcilicet munus à Rege ſibi cõſtitutum improbaſſet his verbis: negotium id vti Regi obnoxiũ tractare cœpit, adhibitis teſtibus non ſane doctrina præſtantibus, quorum permulti concionem audierant, verum indoctis, ac ignaris à S. Franciſci quibuſdam religioſis oblatis; Patrem Rectorem tandẽ vocauit, ac vti in carcere detentum adſeruauit domi ad noctem; qua aduentante Viſitator cum teſtibus, ac notario illum adit, atque imperat, vt continuo Veræ Crucis portũ petat, adeat Hiſpaniam, vt apud Nuncium Apoſtolicum pænas ſceleris tanti (vt aiebat ipſe) ſoluat, cum in concione maximæ offen-

offenſionis verba, regiamque Maieſtatem contemnentia protuliſſet: tum equo Patrem inſidentem ſatellitibus tradit, qui nocte intempeſta ducant ad portum, claſſiſq; onerariæ duci tradant cuſtodiendum. Hæc Patris Rectoris, ac Societatis noſtræ afflictio nobiles, Religioſos cęteros, regium ſenatum, ac Proregem ipſum permouit adeo, vt quiſq; facile potuiſſet intelligere, hos omnes iniuſtam iudicis indignationem improbare: & licet Societas ipſa eodemmet tempore priuilegiis expetebat vti, quibus fruitur, ſaniori tamen conſilio cautum eſt vt patiētia, animiq; ſummiſſione tempeſtas hæc auerteretur: quod ſane factum eſt, nam cum ſedatiori mente rem perpenderet, ab exilio eum reuocauit, extra vrbem tamen retinuit illum ad menſem ; ne facti pœnitens dignoſceretur, quod tamen cum Rex ipſe intellexiſſet, Societati cumulatiſſimè ipſe ſatisfecit.

SEMINARIVM DIVI GREgorij.

Collegio noſtro Mexicano proximum adiacet ſeminarium D. Gregorij, vbi quàmplures Indorum primatum , ac Chaziquiorum inſtituuntur pueri, qui hoc āno quadraginta numerati ſunt, hic ēt ſcribere, ac legere edocentur; tum verò maxime cantandi arte inſtruuntur, omniaque inſtrumentorum genera callent, adeo vt cęteros regionis huius, ipſos etiam Hiſpanos dexteritate ſuperent. Operæ verò qui hic cōmorantur, fructꝰ vberrimos retulerunt, nam qui graui valetudine detenti peccata Patribus aperuerunt, cenſentur innumeri.

Cæteri etiam Ecclesiæ Sacramenta frequentant, vt operæ tres ad ea ministranda minimè sufficiant, quando vero cælesti pane reficiuntur, ea est omniũ pietas, vt lucem insumant in precibus recitandis, ac vt agni cærei frustulo donentur, etsi ab vrbe absint decem passuum millibus, ędem nostram petũt: frequentissimi etiam ad conciones accessere: nam sæpe diebus festis quator milleni ad conciones cogebantur.

SEMINARIVM DIVI Ildefonsi.

Nostri qui seminarij huius curam gerunt, magna cura insudarunt, vt Scholastici externi, & pietate proficerent, & literis; qui omnes vti maiori solicitudine in literas incumbere possunt in hoc Collegio; ita etiam cæteris omnibus, qui non tantum scholas nostras adeunt, verum etiam regiam academiam frequentant, excelluerunt: nam quam plures actus literarij publicè habiti sunt, quibus adfuere ciues omnes cum Prorege regioque senatu, maxima omnium approbatione: his lectiones adijcias Philosophicas, ac Theologicas, quæ tertio quoq; die habentur in triclinio, vt sæpè palmam referant alumni nostri de externis omnibus.

Pietatem summopere amplexantur adeo, vt permulti octauo quoque die ad sacram synaxim accedant, ac die sabbathi voluntariam de se pænam verberibus sumant.

COL-

COLLEGIVM ANGELOpolitanum.

NOstri qui in Angelopolitano Collegio huiusce anni tempore cõmorati, sunt triginta; Patres 14. Fratres verò sex supra decem, ex quib. sex itidẽ, qui enixè operã insumpserũt in educãda iuuentute, tum in scholis nostris, tũ verò in seminario D. Hieronymi, vbi magnus nobilium adolescentum cœtus ex more ea qua par est cura instituitur, qui ad optimos cum humanioribus literis mores imbibendos confluunt.

Hoc anno præstitum est opus iuxtà arduum ac frugiferum, quod superiori inchoatum; vt tertiarij quadragintadialibus operarijs suppetias ferant in excolẽdis Indis, qui in lanificijs, ac publicis officinis elaborant, cũ eorum omnium salus fere pẽdeat ex nostrorum charitate, quibus etiam præsto sunt; tũ aliqua vel animi, vel corporis ægritudine languent. Quando facultas cõceditur, ædem nostram petũt, vt confessionibus expiati sacrosancto Christi Corpore pascantur; & sane ea est horum miserrimorũ hominum vis, & copia, quæ in his quotidianis quæstibus commoratur; vt minime contemnenda sit fruges, quæ ex laborioso Patrum opere cõparatur: & licet operum præfecti ad nostrorum aduentum antehac mussitarunt; cum tempus in elucidanda conscientia impensum non multum vtilitatis operi publico conferre dicerent; tamen cum pauco pòst interiecto tempore eorum fidelitatem fuissent experti, qui vitæ noxas sæpius confessione delebant, (nam sæpe id perficit diuitiarum libido, quod cha-

ritas non efficit, hortari Patres, obſecrare, vt domos adirent, Indos à confeſsionibus exciperent, ne quid de diurno penſo expilarent. Præcipue vero ea Indorum copia conciones noſtras attigit, vt locum longe ampliſſimum tanta illorum copia peteret, & licet religioſi nonnulli ducti auctoritate noſtra idem exequi cuperent, ſemper tamen vberior frequentia conciones noſtras adijt. Quantum vero profecerint omnes, reliquo anni tempore experientia ipſa teſtata eſt; nam cum non pauci voluptatum libidine vincti quodammodo detinerentur, è corruptis moribus ad emendatiorem vitam traducti ſunt; & cum qui regionem hanc incolunt, prę cęteris ſint ebrioſi, nunc illorum vis naturæ iam antea vino penè obruta ita refloruit, vt mirum dicant, qui anni ſpatio in hominem vnum incidant mero ſopitum.

Die anniuerſario Domini reuiuiſcentis eleemoſyna in quamplurimos erogata eſt pauperes Indorũ liberalitate; qui cibis, argẽto ac veſtibus eorum miſeriam ſubleuauere, quod etiam, vt fido, quotannis præſtabitur.

Inter alias expeditiones, quæ à noſtris fuere confectæ, duo Patres regionem quam dicunt Thaqualtipan, obiere, vbi nullus labor prætermiſſus, quò facilior ad omne genus pietatis adaugendum aditus pateret: hæc enim gens ſuperioribus ante annis in rebus ad fidem pertinentibus à noſtris exculta fuit, mirum facit, ebrietas, furtum, libido, quàm ſint ab his aliena, in quibus Chriſtiana fides inſedit optimè: ter milleni conſcientiæ maculas pœnitentiæ ſacramento diluerunt, noſtros etiam preci-

precibus exorabant, vt ipſorum oppida frequentarent, ac operarum paucitas eorum deſiderio minime poteſt ſatisfacere, nam procul dubio ſi pię hominum petitioni poſſet ſatisfieri; plurimi ad excurſiones tantùm peragendas hoc in Collegio forent opus.

Tertium genus hominum, æthiopes, in quibus excolendis Societas noſtra fructum elicit non tenuiorem, qui cum eximium nil præ ſe ferant. ab omnibus deſtituti iacent; cum in vrbe hac neminem præter Societatem noſtram, matrem experiantur, quæ ea cura elaborat in ijs erudiendis, vt multis vigilijs, ac laboribus ignoſcat: Dominicis diebus campanula coguntur, ac diſpoſitis inter ſe ordinibus, Dei & Sanctorum auxilium precibus implorantes, ædem ſacram petunt; vbi poſt enucleata dilucidè fidei myſteria, Pater concionem facit, qui labor tum quocunque anni tempore, tum vero præcipuè dialibus ſtatis impenditur: ac per tres menſes quatuor ex noſtris in illis à confeſſionibus excipiendis totam lucem inſumunt.

COLLEGIVM GVAXAcenſe.

SEptem ſupra decem ſunt hic è noſtris: Scholaſtici duo, decē adiutores, Patres verò quinq;, quorum ſtudium ad perfectionem conſequendā hoc anno ſingulare in illis conſpectū eſt. Munia in hominum ſalutem impenſa ea fuere, quæ ex tantis Patribus poterant exoptari: nam ob communem quandam ægritudinem, quę omni vrbe debacchata

est, omnes etiam Ecclesiasticis Sacramentis se muniere; hæc enim licet nostros etiam tetigit, ipsorum tamen labor, & assidua solicitudo ab ægrotis nunquam desiderata est, qui omnibus nunc solādo, semimortuis iam tum ad veniam capitalium criminum, tum ad Dei misericordiam consequendā, sermone ac operibus subsidio fuerunt. Quare conceptam omnes de nostris animo virtutē quotidie verbis amplificant, ac singulari beneuolentia prædicāt Patrum charitatem, cum eos ad quamcunq; animi necessitatem proprijs humeris subleuandam reperiant paratissimos; neq; hoc tempore vrbs ad sacramenta suscipienda infrequentior, non eo solū, quo tempore expiationes publicæ à summis Pontificibus condonatæ celebrabantur, verum etiam cum festi occasio se offerebat. Conciones habitæ maximo aduentante cætu populorum; christianæ fidei rudimenta summa gratulatione recepta ab omnibus: quare hæc omnium sententia, nostros (quod ipsi aiunt experientia comprobatum) prius populos opere, deinde verbis edocere; atq; hæc non priuati alicuius, verum primorum hominum opinio, quod & ipse Episcopus, & vrbis prætor testantur, qui nil præterea, vt ita dixerim, cogitatione percipiunt, absq; Patrum sententia.

Tres scholæ superioribus his annis institutæ, & literis, & virtute proficiunt. Puerorum sodalitium nomine Nazaræorum inchoatum, hoc anno maiori pietate, ac nobilium munificentia illustratum, præcipue verò Prætoris ipsius autoritate; qui cum cæteris vrbis nobilibus, ac primatibus pulcherrimo quodam ordine dispositis, facibus ce-

reis accenſis, feſtum exornabant, dum vrbe infantem Nazaræum ſuaui cantionum modulamine inſequebantur.

At verò Indorum opera hoc anno maximè effloruit. Nam in audiendis concionibus, ac Sacramentis percipiendis, ea fuit omnium frequentia, vt facile inſpici poſsit, quoquo anno pietatem ac religionem chriſtianam in illis augeri; qui nullos præterea quàm noſtros exoptant, vt non ita facile diuellantur à Patribus, ac cum noſtrorum charitatem in ſe fuerint experti, ea confidentia ad illos aduolāt, quoties aliqua eos neceſsitas inuadat, vt cōmuni ore Patres illos dicant, qui vni fouent Indos, ac cuſtodiunt. Si expiari criminibus, ſi catechiſmo expoliri, ſi Sacramenta percipere operæ pretium fiat, noſtri omnibus eorum indigentijs ſubſidium parant: concionibus ſemper adſunt frequentiſſimi, præcipue verò diebus pœnitentiæ dictis, quæ tandem ſolemni proceſſione abſoluuntur, ijs etiam diebus is eſt omnium concurſus, & celebritas ad templum noſtrum, ad publicas delictorum expiationes comparandas, vt dici vix poſſit.

Ad domeſtica ſpectantibus liberaliter opem tulit Deus, nam ſeminum fructum vberrimum ita nobis adſeruauit, vt communi lue vndequaq; bacchāte, Seminaria noſtra ab ea vindicauerit. Quam diuinitus in nos collatam opem cum nobiles quidam præſenſiſſent, opportuno aiebant tempore id accidiſſe, quo Collegium ipſum ruinam minitaretur. Nam domo noſtra ob ſpiritus incluſos exitum ſibi molientes, à ſolo euulſa penitus, ciuitas ipſa fundum, ac calceariam fornacem gratiſſima benefi-

cētia nobis elargita eſt, quo ſubſidio paruo negotio erigeretur ipſa domus commodior noſtris, & firmior; quin ædes & ipſa ſacra ſuos progreſſus facit; nam aucta ſupellectili, ac cæteris rebus, quæ Dei cultum, & dignitatem apud populum efficerent illuſtriorem.

Ad extremum anni vita functus eſt frater Sebaſtianus Sanchetz Collegij huius adiutor, qui ac tanta matre dignus, triginta inſumpſerat annos in dāda opera Deo, ac Societati; cuius in non paucis domeſticis muneribus exercendis ea virtus, ac pietas ſemper emicuit, vt nō tātum noſtris, verū & externis omnibus, qui nouerant eum, totius integritatis ſpecimen ediderit, qui cum imbecillo ſtomacho eſſet, quo laborauerat ad annos multos, ex corporis tandem vinculis euolauit.

COLLEGIVM TEPOZOTlanum.

HIc operæ ſex, ſocij quinque, vbi etiam probantur Societatis noſtræ tirones: qui hoc anno nomen dederunt decem, quorum res optimo exemplo acta, cū acriter ſibimet imperent, ac in tacita precatione ſæpius ſe exerceant.

Operæ Indorum Othomitarum ac Mexicanorū ſaluti dant operam, quibus vberrima non foris tantum, verum etiam domi meſſis ſemper paratur; & ſi inter domeſtica contineantur, ne exterorum ſalutis ſpe detenti priuatos deſerant incultos; cum meſſis multa, operarij vero pauci: vrgente tamen apud accolas noſtrorum neceſſitate, exeunt in oppida

pida parochorum precibus adducti, præcipue vero quadraginta diebus ieiunij, ac constitutis hebdomadibus ante Christi Aduentum, qui concionibus, ac cæteris Societatis muneribus omnibus subsidia parant, quod & ipsi sæpius experti, ædes nostras petunt, maxima adeò Indorum frequentia confluente, vt sæpe nostri lucem cum tenebris in pietatis operibus exercendis transigant.

Hoc anno eorum patientiam communi afflictione probauit Deus, quæ vbique ita irrepsit, vt in omnes penè hui⁹ generis homines acerbè debacchata fuerit, iterum tamen maiori iactura in Othomitas. Quæ cum gens inculta sit, ac subsidiis omnibus destituta, innumeros penè vita spoliauit; nec nostrorum cura illis defuit vnquam, nam prætet quam quòd dies, ac noctes in sacramentis ægrotis conferendis transigebant, tum etiam medicamenta adhibuere, quæ morbum è corporibus depellerent, etsi is breuis adeò erat, & acutus, vt breui temporis spatio, vel homines è medio tolleret, vel ipsi citò finirentur. Prouisum etiam vt nostri corpora profluentia, ac penè resoluta cibis reficerent; quapropter nunc sacerdotum cura fungebantur Patres, nunc verò coquorum, ac infirmariorum munere detinebantur; quorum adminiculo non tot mortem obiere, quot obiissent, si Patrum labor illis defuisset, cum morbus ipse etiāsi multos è medio tollebat, quam plures inedia, & fames sustulisset.

Ex his non pauci, cum graui valetudine correpti haberentur in destitutis, præcipuo quodam cultu ac fide, Beati Patris Ignatii opem

implorabant, qui breui numen eius cognouerunt; nam repentè è mortis faucibus erepti vitæ donati sunt, cum tamen prius de illorum salute omnes desperassent.

Ac vt vexatio dat intellectum; multi ex ijs, qui de sua salute parum, aut nihil quærebant, morbi calamitate percussi, totius vitæ flagitia sacra confessione expiarunt, ac ad bonam redacti sanitatem, ab improba peccandi consuetudine se reuocarunt.

Quibus etiam vti cæteris qui vita functi sunt, scelerum omnium expiationis ansa oblata est, nam eo tunc tempore Indulgentiæ plenarij Iubilei omnibus oblatæ fuêre in æde nostra; quo pagorum agmina confluxêre quàm plura, quæ non pulcherrimo tantum apparatu, verum etiam multiplici symphoniarum sono illustratæ sunt; quo facilius & subleuaretur tædium, si quod esset, & commodius Confessarios peterent; apud quos consciertiæ sordes abstergerent: quod idem penitus in Iubilei Sáctissimi Patris Pauli V. publicatione effectum est, quæ omnia pietatem maximam, ac religionem non in Indis solum exacuerunt, verum etiam quàm pluribus in Hispanis; qui ruri inhabitantes hæc oppidula incolunt, qui expiata conscientia è corruptis moribus ad vitam emendatiorem traducti sunt.

Collegium ipsum quoad priuata proficit indies, nam licet adhuc eiusdem aleremur sumptib. adiecta tamen hoc tempore Domus Probationis fundatione, res nostræ meliori modo se habent.

COL-

COLLEGIVM GVADALASCIA-ranum.

ADiutores ſex aluit hoc Collegium, Scholaſticum vnum, ac Patres quatuor, qui in Hiſpanis, Indis ac Æthiopibus excolendis inſudāt egregiè, ex quib. fructus elicitur maximus, adhortationib. Sacramentorū adminiſtratione, ac reconciliationibus; quibus fit, vt permulti poſitis iurgijs, ac contētionibus, redeant in mutuam gratiam; alij reiectis cupiditatum tenebris, luce diuinitus immiſſa, ad Chriſtianè viuendi normam ſeſe applicent.

Indis meliuſculè prouiſum eſt hoc anno, cum illis ædem ſacram noſtri commiſerint, quò facilius Sacramenta frequentare, virtutem amplecti poſſint, ac Chriſtiana rudimenta perfectè imbibere, quod idem in Æthiopibus non minori labore præſtatur.

Fructus non exiguus apparuit adhuc & in Hiſpanis ipſis, quorum pietas maximè ad ægrotos, ac valetudinaria inuiſenda emicuit. Nam Dominicis diebus noſtros aſſociantes Xenedochia petunt, in quibus & his miſericordiæ operibus ſummo conatu dant operam, qui B. Virginis Sodalitio aſcripti ſunt, quorum haud exiguus numerus eſt: Præceptoris etiam noſtri labor aſsiduus in Scholaſticos felices partus edidit, nam præterquam quòd partim ad maiora prouecti, maxima Patrū approbatione, quàm plures etiam ad varios Religioſorum Ordines animum, & corpus appulere.

Puerorum etiam schola, & numero quotidie & pietate augetur, cum adhuc tenelli primis & pietatis, & lectionis rudimentis informentur, à quibus hebdomada maiori publica supplicatio pulcherrimo ordine, ac magna pōpa proponitur, de qua nil peculiare, cū alias Paternitas vestra certior facta fuerit.

Qui sanctissimæ Virgini Annunciatæ nomina dedere, sacellum illustrauerant pulcherrimis, ac preciosis ornatibus, nam iconem, eamque argenti ponderibus mille comparatam, collocarunt, maximo nobilium hominum cętu aduentante, præclara etiam quam plurima vasa argentea, quæ ad altaris, ac diuinorum mysteriorum amplitudinem maximè conducunt, Beatiss. Virgini sunt elargita.

Missi etiam hoc anno operæ ad pagos Indorum ac Hispanorum, vbi non paucos reperere qui esurientes, & famelici non haberēt qui frangeret illis panem; atque ideo tanta repente voluptas & gaudium incessit illos ex nostrorum aduentu, vt nihil præterea videretur ab illis expetendum in hac vita: ex cōcionibus vberrimum fructum cōsequuti sunt, nam vitæ noxas omnes confessione expiarunt, tū sacrosanctum percepere mysterium, eiecta dein cupiditatum omnium prole: quare tanto amore ac beneuolentia in Societatē fuerunt, vt nulla ratione assererent cōcedendum, à nostris ne minimo quidem temporis puncto se destitui, quod tamen cum nullatenus potuissent efficere, exorare Patres, ac obsecrare, vt stato tempore illos inuiserent, & excolerent.

COL-

COLLEGIVM PASQVARENSE.

QVo ad nostrorum in Indos exercitium, quod hic assiduum est, licet aliquorum opera illi obstitum sit, qui totis enitebantur virib. ob priua talucra, ne Patres falcem mitterent in messem illorum, ac eos non exigerent fructus, qui quotannis comparantur: tamen nostri Indorum beneuolentiam ita promeriti fuerant ob beneficia in illos collata, vt certatim confluerent è multis locis, ad ędem nostram, neq; pollicitationibus, aut minis vlla ratione se à nobis diuelli vnquam passi fuerint, quo minus ad nostros accederent, ac christianæ doctrinæ præcepta haurirent ab illis, qui singulis diebus festis ædem nostram frequentantes conciones audiebant, sacramentis expiabantur, ac fructum eliciebant minimè contemnendum. Verum quod parochus ipsę aspernabatur, cęteri libentissimè sunt amplexati, nam Patres ad oppida quam plura excolenda inuitarunt, quibus tamen omnibus operarum paucitas nullatenus satisfacere potuit. Etenim hoc anno ea nobis cogenda parabatur fruges, vt quatuor toto hoc tempore in innumeris prope instituendis insudarint: quibus etiam laboribus optatus subsecutus est fructus. Nam vti regio illa æstibus maximè fatigetur, nullus erat qui eos auderet attentare, Patres vero his posthabitis fatigationibus, oblatam arripientes ansam, in accolas illos incursiones fecere, ac vt plenior esset omnibus profectus, explicata scelerum condonatione à Sanctissimo Papa Paulo V. concessa, omnes concionibus, con-

confeſsionibus, ac altaris Sacramento ſcelerum remiſſionem lucrati ſunt.

Ac inter cæteras regionem noſtri petiere Sole adeo efferueſcentem, & aduerſam, vt vix credi poſſit; ibi ad menſes quatuor bini ex Patribus Societatis munia exercuerunt, ac tandem fructum duplicem conſequuti ſunt: primum ex gentibus illis, quę refectæ Sacramentis Chriſti Domini cultui ardentius, quàm antea ſe conſecrauerunt: alterum verò patiẽtiæ vim magnã, nã ob furẽtes æſtus madebant ſudore continuo; vbi etiam muſcæ importunæ adeo, vt non prius quem tetigerint, quam hauriant ſanguinem; alatæ cimices, ac ſcorpiones, ex quorum ictibus tumefacta corpora obſtupeſcere videantur. Hic tamen quater milleni, qui peccata cõfeſſione depoſuere, præterquam quòd permulti retroactam vitam omnem apud Patres detexerũt; gentilicæ ſuperſtitiones aliquæ radicitus euulſæ, quæ ob Indorum inſcitiam denuò refloreſcebant. Atq; etiam Deus noſtrorum ſtudia ijs in regionibus proprio labore parta compenſauit, nam ſubito graui morbo correpti, ad quatuor menſes lecto detenti ſunt.

Quædam accolarum capita lingua difficilima vtebantur, quare nullus reperiebatur, qui aut calleret eam, aut ediſcere vellet: ac multi ex ijs operarum egeſtate delicta non expiabant, vel ſi parochum adijſſent, confeſsionem ſumma obturbabãt confuſione: atque indies Chriſtiana pietas in illis refrigeſcebat: nunc è noſtris quidam linguam edidicit, qui in illis edocendis inſudat acerrimè.

COL-

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

NOuem è nostris hic numerantur, Patres terni, seni verò Fratres: Scholæ eum quem superioribus annis, progressum faciunt: composita est inter Ecclesiasticos, & Seculares illa pax sæpius à nostris intentata, & cum hoc anno sacer vrbis huius Antistes è viuis excesserit, ciues omnes, ac Clerici quoties aliqua occasio dubitandi se obtulit, nostros primùm consuluêre; quorum prudētiam, religionem, ac scientiam adeò magni faciebant, vt eorum dicto semper audientes essent. Indulgentiæ Iubilei, quæ magna pietate, ac pompa propositæ fuerunt, eos dies quibus hominum effrenata licentia bacchatur, immutauit adeò, vt sacri ab omnibus censerentur, quo etiam quam plurimis prouisum est, qui conscientiam multo antè tempore inuolutam enodarent, vt elutis animi sordibus, ab improba peccandi consuetudine se reuocarent.

Indorum Minister nostros inuitat, qui ferant opem laboribus nimijs penè succumbenti, cum illorum numerus non sit perexiguus, quod & Patres maxima gentis illius vtilitate exequuntur.

Missi Patres aliquot ad Indorum pagos, qui fructum maximum retulere; atque vt maiori profectu quàm plures insudarent in illis instituendis, adiecta cæteris in hoc Collegio lectio linguæ Taraschæ, quæ populos hos omnes communiter attingit.

DOMVS ZACATHECANA.

SEptem hoc anno in Zacathecana domo egregiè nauarunt operam, adiutores bini, ſcholaſticus etiam qui pueris grammatices rudimenta tradidit; reliqui vero Patres; & cum vndique Hiſpanorum vis ingens huc confluat, ac Indorum, non parum elaborant, vt eos ad vberiorem profectum inuitent, & alliciant, hos vero excolant & erudiant: quibus erectum domi noſtræ ſodalitium, vbi ſacramenta adminiſtrantur, ſtatis diebus conciones fiunt, ac eorum numerus longe amplior quàm antea, qui peccatorum ſordes expiarunt, qui è prauis moribus ad rectum viuendi normam traducti ſunt, alij etiam corporis afflictionibus Numini propitiando dederunt operam, animorum acerbitates depoſitæ, paces initæ quam plurimorum, communione iuncta.

Et licet domus hæc redditus laboret inopia, ciuium tamen munificentia, quæ ſane ſingularis eſt, noſtri aluntur.

De Veræ Crucis D. Aloyſij, ac Guadianæ ſedibus hæc breuiter dicta ſint, non tenuiores fructus quàm ſuperioribus annis, imo & vberiores fuiſſe conſequutos; qui tamen cum ſæpius iterati fuerint, ne faſtidium pariant, reticebuntur.

MIS-

MISSIO AD LACVNAM MAGNAM.

FRuctus vberrimos breui complectens, qui ab lenis Societatis Patribus hic commorantibus lecti fuere, assidua Patrum solicitudine, ac corporis afflictatione, quam in excolendis barbarorum his millibus experiuntur, ab ijs exordiar, qui sacro ablutionis fonte initiati, centum & viginti numerantur, si vnum, aut alterum demas; alij etiam quã plures sacramento ritè obito matrimonio iuncti.

Pleriq; non defuere qui nemoribus, ac montiũ cacuminibus relictis, pagos incolunt ac communi societate delectantur, non pauci vero deprehensi more ferarum viuentes, quos breui futurum speramus, dæmonum abiecto cultu, vnius Christi Domini cultui consecrandos.

Et licet nationes hæ barbaræ sint, & incultæ; tamen cum indies à Patribus expoliantur & percipiant quæ edocentur, morum feritatem lenitate quadam, & humanitate permutant; quapropter ecclesiasticos ritus percallere cœperunt, supplicationes publicas adeunt, voluntariam de se verberibus pænam sumentes; quibus etiam antiquus iuxta, ac pius ille mos erigendi faces cereas in loca defunctorum, arrisit eo tempore, quo sacra piacularia, ac diuina mysteria in templis Patres obeũt.

Hoc etiam anno inchoatum, vt sacrum die Sabbathi publice decantandũ Beatissimæ Virgini celebraretur suaui vocum, ac symphoniarum modulatione; quę res agrestes animos ita demulcet, vt magna pietate, ac voluptate sacro semper intersint.

Militũ Dux Indorũ cætu coacto, quosdam insequi volebat perditos homines, vt de illis scelerum

pœnas

pœnas expeteret, quos cum Parer admonuiſſet ob euentus incertitudinem, vt primùm confeſsionis Sacramento expurgarent animum, omnes admirabili quadam pietate conſcientiæ ſordes confeſsione abſterſerunt.

Elaboratum maximoperè in patrijs, ac gentilitijs quibuſdam moribus euellendis, qui caput tollebant; nam more iam receptum erat apud illos, vt cum Sabbathum adueſperaſceret, in ſaltando noctem inſumerent, nam in orbem diſpoſiti, altero pede nunc ſuſpenſo, iam depreſſo humi; impari numero mouentes corpus, proauorum facinora lugubri, ac barbaro quodam ſono repetebant; cucurbitulis ſæpius perſtrepentes; quare Dominico die, cum defeſsi ſaltationibus humi procumberẽt, ſacro non intererãt. Cautum etiam, ne cerui caput dũ ſaltabant, proferrent in mediũ, quod domi poſtea cæca quadam religione aſſeruabant, ad diuturnum conſanguineorum monimentum; qui ceruum illum occiderant, cuius etiam oſſa redacta in cinerem, potanda pręebebant affinibus, vt antiquorum vires ac ceruorum celeritatẽ (quod ipſi ſomniabant) conſequerentur, quos cultus, ac ſimulacra improbauerunt adeò noſtri, vt é veſtigio Indorum agmine ſuccedente, tecta ingredientes, ſuperſtitionum reliquias inde penitus amouerint, ac domos orationibus expiantes, Crucibus ornarint, & ſanctiſsimis imaginib. Si aliquando increpantur à Patre, aut verbis caſtigantur aſperius, redarguentem colunt, & venerantur. Indus enim quidam familiaritatem inierat maximè periculoſam cum mulier-cula, hunc Pater in crimen vocauit, ac ob plurium

offen-

offenſionem acerbè redarguit, at homo cumPatrẽ ſuſpicaretur iratum,inſequitur eum,orat, vt delicti condonet veniam,ſe iam ab illa peccandi conſuetudine reuocatum,quod & factum eſt.

Ac vt intelligas communem hoſtem ad id diſſoluendum ſemper paratum,quod Patres et labore & aſſidua mentis contentione inſerunt, iuuenis quidam ſatis expertus,ac etiam callidus, dũ Pater aliò cõtulerat iter, prima noctis vigilia omniũ coacto cœtu,qui commorabantur in villula, illos nil præterea ſuſpicantes alloqui cœpit; ac magno verborum pondere(quod communis hoſtis ſuggerebat)attentionem lucrari exorſus eſt, nam ego, inquit, non prælior in ſomnis, neque inania effingo verba;verum ea vos ſpectant, quæ veriſſima ſunt; teſtem appello dæmonem ipſum, qui hæc omnia mihi indicauit,cum vobis fauere is cupiat,ac præſtò ſit opitulari. Hæc ille,tum eos hortari inſtituit ad ſcelera quamplurima perpetranda, tum ad omne genus turpitudinis,ac libidinis, & eos ſubita morte mulctandos, qui propoſita non exequerẽtur;prę cipuè verò natu grandioribus acerbiſſimorum tormentorum metum iniecit, ſi Patrem his de rebus commonefacerent;attamen quidam ſpretis minis eum fecit certiorem de concepto flagitio, qui accitum gubernatorem,ac ſeniores grauiſſimo ſermone redarguit:ij verò cum antehac Patris dicto ſemper fuiſſent audientes, tumore iam inflati,aſpera ac barbara illi dedêre reſpõſa, at neminem minus quã eorum vnumquemq; Patris obiurgatio permouit: Tũ noſter ab incœpto deſiſtens inde diſceſſit. Verum Dei ope paulò pòſt reſipiſcentes, is apud om-

nes ex perpetrato flagitio ſuſceptus dolor, vt turpem culpam publica corporis caſtigatione redemerint, nam agmine cõpoſito ſupplicium non leue de ſe voluntaria diuerberatione ſumentes, acerbiſſimis flagris corpus diuerberarunt, adeo, vt terra ſanguine maderet, qui Eccleſiam petentes Patrem enixè exorarunt, vt ſcelus condonaret, quod lubẽti animo fecit, eorum permultos confeſſionibus excipiendo, omnibus corporis afflictatione emendatiorem vitam teſtantibus.

Nonnunquam etiam Chriſtus Dominus quorundam diuinam præſenſionem argumento publico comprobauit. Quidam enim tenebris gentilitatis adhuc oppreſſus, ante Patris oculos paleas comburebat, qui cum erumpentes flammas tacitus agitaret mente, tandem, inquit, inferorũ ignes, quibus ſceleſti pœnas luunt, genus id eſſe dicũtur? cui cum Pater ignem hunc penè fictũ diceret, ac funeſtarum flammarum veſtigia ſolum præ ſe ferẽtem, ſubiecit is, num illę breui tempore conſumerentur? quarum æternitatem, ac vigorem cum didiciſſet à Patre, remedium aliquod obſecrabat ab eo, quo ab æternis cruciatibus illis vindicaretur, ne in perpetuis ſemper verſaretur miſerijs, & cum ſalutari lauacro homines eximi ab ea morte didiciſſet, ſacroſancto æternæ ſalutis fonte voluit initiari.

Alter etiam decrepitate iam penè conſumptus, dum valetudine ſatis bona vteretur, baptiſmate luſtrari aſpernabatur, tum incidit in morbum vſq; adeo ingraueſcentem, vt ad ſanitatem medicamenta nullatenus proficerẽt, accedit Pater, hortatur eum, vt tãdem ſacro ſe tingi lauacro patiatur, reſpuit ipſe, oẽs inquiens aqua luſtrali ablutos breuiſſimo correptos

ptos morbo animam tandem efflasse, verum paucis post dieb. cũ in perditis iã haberetur, Pater firmam corporis valetudinem spondet, si cõsulat mẽti, quo añuẽte, baptismũ Pater, Deus sanitatẽ impertit⁹ est.

Quod magis eos à baptismo reuocat, creditur dæmonis fallacia; qui certò admonet, sacro fonte initiatis q̃ plurima pericula, ac vitæ, maizij, filiorumq; discrimina imĩnere. Hoc ẽt tẽpore nõ paucos morb. quidã inuasit, qui cũ imparatos illos adoriatur, vitã breui tẽporis spatio amittunt. Nec metus minor, q̃ nũc perculit eos, nã cũ in aẽre crinita stella cõspecta fuerit, quæ crispãtes comas bicubitales cõmõstrat, aiũt Indi veteri more seruatũ, eo signo existẽte nõ paucos è vita discedere, quare mirandũ satis q̀ efficiũt ij, qui tenebris gẽtilitatis oppressi dęmoni maleficijs deuinciũtur ac artib., nã primis tenebris, cũ iã cometes inspicitur, vt illã munusculis alliciãt & vt ipsi aiũt, vt imĩnens vitæ malũ auertat, pisciculos offerũt illi ac syluestres fruct⁹, quos igne cõsumũt, & vt fum⁹ recto cursu signũ cæleste pertigat, neq; deflectat aliò, qdã (q̀ sanè ridiculũ) scuticis feriẽtes aẽrẽ, fumũ rectà cælũ petere cõpellunt; q̀ si flante vẽto vt sępe accidit, subitò dispergatur, de seipsis actũ penit⁹ fatẽtur, ac tũc oẽs vlulatib. implẽtes aera, aculeis cruorẽ extrahũt è corpore, quo vase asseruato aqua imĩxto, maiores natu puellæ capillis abrasis cælũ sanguine respergũt, vlulatuq; barbaro edito domos petũt; cũ vero fum⁹ nullibi deflectit, saltationẽ de more instituunt, ac vt signũ illud crinitũ cernitur, ipsi etiam, ne quicq̃ desit, q̀ speciẽ in illis præse ferat belluæ, vulpis aut lupi cauda sibi alligata, in saltationibus noctem insumunt. Faxit Deus vt excæcata eorum mens inani religione reiecta,

in lucem Christianæ veritatis eruatur. Nec defuere ex ijs barbaris, ac agrestibus hominibus, qui Patris equos telis confixerint, sessorem ab eorum manibus vindicauit Deus.

Verum in tot, ac tantis laboribus hauriendis, sæpenumero cœlestes voluptates immiscentur, ac solatia; quibus sanè opus est, cum in regionibus illis gentibus inditum sit à natura, vt moribus agrestres sint, immanes, ac barbari adeò, vt vix rationis compotes videantur, quorum voluptas summa pendet à cibo, qui cum nil præterea quàm ingurgitari cupiant, æternis ideo cruciatibus non excitantur; quod si aliquando de cælesti gloria sermo incidat, num ibi ciborum copia splendeat, perquirunt subitò. Quòd si Pater stato tépore alia petat oppida, relicta cultione antra vetusta ipsi repetunt; non tamen nostrorum labor vel deficit, aut minuitur, nam semper labori labor, ac vigilijs succedunt vigiliæ, vnde fit vt agrestium hominum perfracta duritie in dies expoliantur.

TEPEGVANA MISSIO.

SVperiori anno scriptum est, ob innumeras Tepeguanorum nationes missionem hanc in quatuor partes distributam, ac vnamquamq; Sacerdoti proprio assignatam; verum cum hoc anno frequentior Indorum cœtus huc aduenerit, ob gétes Ocotlan, quæ Christo Domino ceruices nunc subiecere, nec non desint operæ, prioribus in villulas tres distributis, quibus tres etiam Patres præsunt; quartus in nouissimorum salutem incumbit, qui

qui distant ab hac regione octuaginta passuum millibus.

Natio hæc humana, abhorrens à barbarie, ac mãsueta, neq; superba adeò, vt quæ nuda incedit, fascijs tãtum ad corpus alligatis, maizio, pisce, & phaseolis victitant, communi oblectantur consortio, ac præcepta naturalia colunt incorruptè, vt mirum dicas, si mulierem aliquam intelligas honestatis suæ obliuiosam: quòd si id accidat, nullus est, qui cũ ea matrimonio iungatur: nobiles tamen vxores duas domi retinent, à furtis, rei alienæ expilatione, ac mendacijs valde abhorrent. Verum tamen potu quodam obruuntur adeo, vt sæpissimè euadant temulenti, cæca etiam dæmonis religione ita deuinciuntur, vt nil prius aggrediantur, quàm ludicris quibusdam sacrificijs futura præcognoscant. Data à nostris opera nonnunquam in harum gentium religione elucidãda. Verùm licet perceperimus, Deũ aliquem ipsos aliquando coluisse, non tamen diu vana eorum pietas in illum aucta est; vel ferè nunquam coluerũt. Quatuor antè annis Ocotlanenses hi nostros sæpius obsecrabant, vt illorum peterent regionem, quo tamen tempore eorum petitionib. nullatenus satisfacere potuerunt, nunc verò Pater illos adiit, qui magna voluptate affecti Patri ipsorũ oppida petenti occurrêre ad sex mille passus, quo iam proprius aduentante, maiores natu, qui triceni numerabantur, caput offerentes Patri, manuum impositionem expectabant, in pagis sacras ędes cõstruxerant, erecto salutis nostræ trophæo: hoc enim vsu receptum apud Patres nostros, vt cum primum aliqui simulacrorũ abiecto cultu, vnius Christi Do-

mini cultui se consecrare velint, selectis quibusdã oppidanis, qui & pietate, & Christianorũ mysteriorum religione cęteros antecellant, eò mittuntur, vt illos res edoceant ad Christianam fidem spectantes, tum templa ædificant, ac cruces excitant, & hinc fit, vt cum iam morẽ nostrũ regiones hæ percalleant, vndiq; hilari animo nos excipiant.

Cum ergo Pater apud hos indos Ocotlanenses adhortationes quamplures habuisset, omnes aquã salutarẽ petiere, quare septimo Calend. Septembr. catechisticam doctrinam omnib. exorsus est tradere Pater, qui breui temporis spatio illam memoriæ mandarunt.

In vico sancta Crux, qui ad Ocotlanenses populos ét spectat, idolum quoddam insigne asseruabatur, Vicamart apellatũ; apud q̧ oblata munuscula etiam inspiciebantur, & licet Pater ab eo quo primũ tẽpore illuc profectus erat, id inde diuellere facile potuisset, ac confringere, ignorantia tñ simulata eousq; distulit, quò publicè oẽs sacro æternæ salutis fonte initiati sũt, atq; tũc Gubernator ipse, adstãte magna Indorum caterua, cõfractum idolum in flumen proiecit, vbi erecta cruce pulcherrima pagus etiam sanctę Crucis nomine nuncupatur.

Diebus solemnis ieiunij tertio quoq; Indi omnes acerbissimis flagris corpus castigauerunt, & licet peccata Sacerdoti lubenter exponant, mulieres tamen ea ducuntur verecundia (quæ tamen ab hoc sacramento nunquam desistunt) vt aliquando calore euanescente cadant semimortuæ.

Hoc etiam anno in Indos omnes morbus quidã irrepsit, qui aduersa valetudine eos detinuit, quib. opem

opem nostri tulere: optata etiam diu pax composita est inter has gentes, & Hispanos: ac iam cum nostri aliquò proficiscuntur, militibus auxiliariis non indigent, cum summa ab omnibus reuerentia excipiantur.

Hæc latissima Indorum regio euangelicam doctrinam amplectitur lubenti animo, quæ tam latè patet, vt nesciant Hispani quibus terminis circumscribatur, oẽs tamẽ vna lingua vtuntur, quo facilior patet aditus ad catholicæ veritatis semina iacienda.

TOPIÆ AC S. ANDREÆ MISSIO.

PAtres nouem qui regionẽ hanc excolunt, assidua tũ animi, tũ corporis contentione in erudiendis Indorum vndecim millib. ad Christi Domini Ecclesiam aggregatis elaborant. Nationes hæ Achaxees dicũtur, humaniores satis, ac facilioris ingenii, miserrimæ tñ, ac nudæ incedentes, præter subligaculum, quo corporis partes operiuntur, quę aspiciũtur indecorè, multis ante añis bellis acerbissimis exagitatæ, at nunc non ita malè habẽtur. Nam in dies argenti fodinæ deteguntur, ideo ab Hispanis pluribus regio incolitur, qui vindicant eós ab infestis hostibus, atq; inita pax ipsorum causa cum quãplurimis aliis nationibus.

Indigenæ omnes perniciosis dæmonum erroribus implicabantur adeo, vt nõ minus furta, ebrietates, ac homicidia, quàm dæmonũ innumerorumque Deorum apud illos vigeret cultus; quod sanè compertum est. Nam quod de Romanis aliquando percipiebamus, publico cuique & priuato muneri Deus destinatus erat, ac è nostris quidam ab vna tantum domo, octuaginta idola sustulit;

quibus ſemper res maioris ponderis offerebant, at ſi fruges ſemina iacta non ſuperaſſet, iracundia exardeſcentes arbori ſuſpẽdebãt illa: Verum idololatriam ſummis viribus fouebant ſeniores ipſi, qui ne adoleſcentum animos aquæ ſacramento expiatos peruerterent, diem vltimum obiere, atque cæteri vanarum ſuperſtitionum cultu reiecto, ad ſanctiſſimam Chriſti Domini fidem redacti ſunt, ita firmiter, vt duorum annorum ſpatio nullus in antiqua flagitia prolapſus ſit.

EXPEDITIO DIVI GREgorij.

HÆc in quatuor capita ſeiungitur, quibus ſingulis duo è noſtris conſtituuntur. Gentes hæ fluminum accolæ ſunt, quæ nudæ incedunt, nonnullæ tamen goſſipino vtuntur amiculo; proximę ſunt populis nobis adhuc ferè ignotis, qui Xiximes nuncupantur, bellatores acerrimi, ac humani ſanguinis auidi: illę ſtatis temporibus erudiũtur à noſtris, licet maximis emenſis laborib. Nam adeò concreſcunt flumina, vt cum nulla ratione illa præterire poſſint, itinera petant deuia, ac difficillima, vt ſæpe non paruo vitæ diſcrimine domum repetant. Ac eodem die, quo Sanctiſſimæ Virginis Conceptio celebratur, cum flumẽ inflatum aquis, & furens campos occupaſſet; Patres bini vado decepti, cum iam magno vitæ diſcrimine pertranſirent, illorum alter labente veſtigio ad ima cum equo deferebatur, ac cum Indus quidam Patris periculum cerneret, delatus in flumen eum à morte libera-

liberauit, à quo Pater auribus captus eſt; tum denuo imbrium vi in illos ingruente, ad duos dies detenti ſunt, qui abſq; dubio fame defeciſſent, ni oppidani de eorũ periculo facti certiores, pane ſubueniſſent illis, qui ſummam Dei beneficentiá cõmendantes, ad tecta rediere: ibi quamplures exceperunt confeſſiones, cum prius habita adhortatione percepiſſent, cur Deus humanam veſtem induiſſet; cẽtum ſacro fonte abluerunt, qui noſtris oppidis finitimi erant. Nam hoc tempore ij, de quibus cura nobis eſt demandata, omnes, ſi duos excipias, aqua luſtrali ſunt expiati, qui ædem ſacram, conciones, ac confeſſiones frequentant, vitam viuunt honeſtã, & pacatam, qui ſi cum Hiſpanis aut Indis quibuſdã callidioribus nunquam tractaſſent, mirum eſſet, ſi nonnunquam in fornicationem, mendacium, aut furtum illaberentur: atque quo magis admirere; ſuſpicio de muliere aliqua minus honeſta, adeo vexat illos, vt nullus ſibi matrimonio eam velit adiungere.

Hoc anno ædes ſacra extructa pulcherrima, in qua cum primum ſacrum celebrandum eſſet, vt nationes hæ maieſtatem Dei, ac eius amplitudinem animo comprehenderent, atq; reuererẽtur; Hiſpanos Patres inuitarunt, qui vndique confluentes feſtum illuſtrarunt egregie. Octo dierum ſpatio ſacra celebrata cantibus, ac ſymphonijs, cæteris Patribus ſacris veſtibus indutis inſeruientibus, tres ſingulis diebus conciones habitæ, ac canentium agmina per oppidum incedentia; his igneæ adiectæ machinæ quamplures, ac variæ, quo etiam tempore noſtri Indorum corpora cibis refecere, qui barbaris ſalta-

tionib. festũ ornarunt; his diebus adfuere Xiximes; gens vt antea dixi barbara, ac semper ad bellum paratissima, qui nõ mediocri capti admiratione, in suis oppidis templa statuerunt erigere.

Frequentissimi ad ædem nostram accedunt oppidani nostri, & si Pater absit, ad sacra Christi mysteria imbibenda, statis diebus se conferunt. Cum aliquis ex vita discedit, defertur ad templũ, cunctis comitantib⁹; tum precib⁹, ac ligneis accensis facibus animæ salutem à Deo precantur, quod idem præstant ipsa nocte, qua tota Christiana Resp. de defunctorum absolutione Deo vota facit; quod si fortè accidat, in oppidis Gubernatorum, ipsum, quem Caziquẽ vocãt, pietati, ac religioni maximè deditum esse, ea tunc omnium pietas singularis, vt sæpissimè Hispani obstupescant. Atque euenit aliquandò, quam plures Hispanos Indorum reuerentiã in æde sacra cõtẽplãtes, diuinit⁹ ita fuisse permotos, vt toti⁹ vitæ flagitia sacra cõfessione expiarint.

Populi Xiximes, qui superioribus annis cum oppidanis nostris acerbum bellum gerebant, nostrorum consortio ita immutati sunt, vt sæpè Indos nostros adeant, vt Catechisticam Doctrinam illos videant addiscentes, qui etiam cum militum Ducem in scelestos castigatione animaduertentem conspiciunt, illũ cõmendãt sũmoperè. Etenim superioribus dieb. cum Adolescentem ob acceptã occasionem minus honestæ familiaritatis Ducis mandato publicè flagris cæderent, Xiximes iustitiam comprobantes, optimè id aiebant iudicem in illum exequi, qui alienum expilaret, adeò enim barbaros, ac syluestres homines virtus permouet.

Hi

Hi Xiximes ſummoperè Patres venerantur, ac diligunt; quorum nonnulli baptiſmum iam expetunt; faxit Deus vt omnes Chriſtianis ſe ſacris addicant. Iuſtitiam ipſi ſummoperè expetunt, ac cum quidam ex illis, qui humanas carnes ad eſum quærebant, quoſdam oppidanos noſtros vita ſpoliaſſet, cæteri Xiximes de hoc certiores facti, facinoroſos militum Duci tradiderunt; qui de illis pœnas ſumeret: ac cum adoleſcentulus, qui conſors ſceleris detinebatur in carcere, noſtrorũ precibus à morte vĩdicand⁹ eſſet, Xiximes id aiebant minimè decere, hoc ſæpi⁹ ingeminantes, nullam aut Adoleſcentis, vel affinitatis rationẽ habendam eſſe, verũ quemcumq; morte mulctandũ, qui mortẽ alijs cõſciuiſſet. Hæ Xiximorũ nationes cenſẽtur innumerę, tenebris gentilitatis omnes oppreſſæ, quas Deus ad Chriſtianam breui aggregabit Eccleſiam.

Vaimoani etiam, qui non longè diſtant ab oppidanis noſtris, reiecto Idolorum cultu, ad veram fidem ſe reducere cupientes, ſummo conatu efflagitarunt, vt è noſtris quidam illuc concenderet, quorum precibus ſatisfacere nullatenus potuerãt; cum eorum, quos Patres iam inſtituunt, copia ſumma cernatur, quod cum percepiſſent Vaimoani, ipſi patrijs relictis oppidis Indorum noſtrorum pagis habitarunt, qui in Chriſtianis præceptionib⁹ optimè inſtituti, ſacro tandem baptiſmate abluti ſunt, nonnulli etiam aqua luſtrali expiati continuò vitam poſuerunt.

Præter has nationes, aliæ denuò cernuntur; quæ vtuntur ignota nobis lingua, quorum permulti Patres inuiſerunt beneuolentiæ, & amoris gra-

gratia, etſi neminem antea cognouerant ex Societate: hæ omnes chriſtianæ doctrinæ rudimentis cupiunt inſtitui, ac ideò Patrem præſtolantur magno gaudio, & voluptate: quod tamen ob paucitatem operarum haud fieri poterit, præcipuè verò, cum quamplures externi accolæ noſtris oppidis ſe adiũxerint; quò facilius Chriſtianis inſtructi præceptis, ſacro fonte initientur. Gẽs hæc millenum attingit numerum; quapropter hi quibus P. Fernandus Santaretz dat operam, bis milleni cenſentur, ac quingenti; qui maximo licet ſemper emenſo labore excolantur, cum accolarum capita inter ſe ſpatio triginta paſſuum millibus ſeiuncta ſint, necnon difficillimis, & periculoſis; non tamen elaborant adeo noſtri, vt annis ſuperioribus, in quibus centũ millibus paſſuum plus, aut minus aberant oppida à domo Patrum.

Hoc eodem anno mille, & ducenti ſacro ablutionis ſacramento initiati ſunt, qui matrimonio iũcti, octingenti, omnes in chriſtiana fide perſiſtunt, ac virtutum officia præſtant. Cum catholicam doctrinam edocerentur, is erat omnium ardor ad illã imbibendam, & ſtudium, vt ex animo ſæpe omnis edendi cupiditas illis excideret, ac ne, quod ediſcerent, memoria dilaberetur, coacta lapidum vi, quẽcunque aliquo ediſcẽdæ orationis verbo ſignabãt; tum notis iuſto ordine diſpoſitis, omnes lapidum nomina repetebant, vſque eò quòd preces optimæ percallerent.

Atque hoc ediſcendi genere vtuntur non domi ſolum, verum etiam in æde ſacra, & licet ratio perdifficilis videatur, iam tamen compertum eſt, illos breuiſ-

breuiſſimo temporis ſpatio preces omnes, ac Chriſtiana rudimenta memoriæ mandare.

Verum priuſquam baptiſmo initientur, omnes idola aſſeruata domi Patri offerunt comburenda, quod eo lubentiore præſtant animo; quo nobilis quidam, dum flumen præteriret, ſpiritu aquis intercluſo, ſuffocatus fuerat, in cuius domo non paucas imagines ligneas, ac lapideas repererant; quare vno fatebantur ore, mortem occulti ſceleris ſupplicium expetiuiſſe, atq; hoc eodem tempore idola pluſquam ducenta flammis data.

Conſueuerāt hi totidem oſſa, quot homines bello ceperant, labijs appendere: quorum aliqui permultis oſſibus carnificinam hominum oſtentabant, abluti tamen baptiſmate reiecerunt illa, capillos etiā, quos longos, incomptos, ac horridos nullo ſtudio nutriebant, proſcindunt omnes, antequam baptiſma ſacrum accipiant.

Prouiſum etiam, ne aſſuetis compotationibus dent operam, qui antea temulenti, ac potu obruti mortem ſibi cōſciſcebant; cuius rei occaſione grauiſſima orta contentione cum Tepeguanis, quibuſdam mulieribus manum intulerant, ac ſæpius necem Patri, Eccleſiæque ruinam crudeliter minabantur.

Hiſpanis etiam data impensè opera, qui caſtra faciunt in locis hoſtibus finitimis, nam confeſſionibus omnes expiati cæleſti pabulo refecti ſunt, ac in maiori hebdomada voluntario cruciatu flagris ſeſe conciderunt; noſtros ipſi ferunt in oculis, cum optimè intelligant, nil Patres prætermittere, quod ad ſalutem ipſorum conſequendam aptiſſimum

cen-

censeatur: Pax etiam composita inter militum Ducem & Prætorem, qui offensionibus ac dissidijs incitati ad arma se conferebant, cum etiam eò prolaberetur indignatio, vt militem publicè numerarent; at nostrorum religione, & prudentia præstitum est, vt reiectis offensionibus in mutuam gratiam redirent.

Quidam salutem animi ita in desperatis habebat, ob acceptam familiaritatis periculosæ occasionem, vt nil eum minus, quàm salus ipsa permoueret; in morbum tandem incidit, ac cum grauissimo languore detineretur, imminente iã salutis animæ periculo, cum peccandi ansam domo non reijceret, Pater primum eius saluti prouidere voluit, nam illius valetudinis cura suscepta, aures cõfitenti commodauit, breuique spatio morbo soluto ad sanitatem profecit scelerũ expiatio; qui ex eorum gurgite penitus extractus, Monasticæ Religionis arctissimo se Sacramento obligauit. Idem prorsus contigit alteri, qui ad pristinam sanitatem reductus, nostrorum suasu in Religiosorum familia ascriptus est, vbi humanarum rerum cura solutus vacaret Deo liberius.

Indi nonnulli, qui omninò abhorrebant à diuino cultu, cum ædem sacram aspernarentur, & à Patre alieni essent; compulsi morbo ad vltimumque redacti Patrem efflagitarunt cupidè, qui baptismate eos initiaret, tum restituta ex toto sanitate diuinitus immutati, Ecclesiæ Sacramenta colunt, & venerantur.

Et sanè non desunt aliqui, qui Christianam licet disciplinam nouissimi professi fuerint, sacris exercita-

citationibus expoliuntur, atque in ſuperarum rerum cœleſtiumque contemplatione ita exercent animum, vt humanorum cupiditate nullo modo ducantur. Nobilem quendam Indum hortabatur Pater, vt ramorum vmbraculo ardentis ſolis radios auerteret à domo propria, qui grauiter reſpondit, cœleſtia magis quàm humana illi cordi eſſe, cuius etiam puella natu minima, cum ab hac vita demigraſſet; non ſolum in mœrore nō fuit, verumetiam lætè ferens ipſius mortem, quam vnicè diligebat, dixit, ex corporis vinculis tanquam ex carcere ad Deum euolaſſe.

Qui oppidum Otitlan incolunt, à Patre Didaco Gonzaletz inſtituti, remotiſque diſſenſionibus ad pacem cum Xiximis ſæpius expetitam redacti, tecta repetentes, Eccleſiæ Sacramenta frequentant; ſexaginta etiam Sacramento ritè obito matrimonio iuncti; hi cum iam multis abhinc annis ſacro fonte abluti fuerint, quinque, & viginti infantes tantum nunc baptiſmo initiati ſunt, quorum etiam pleriq; ad Superos emigrarunt.

Gens hæc pacata eſt, Religionique noſtræ valdè dedita; qui omnes ſacram ædem, ac Sacramēta frequentant lubenti animo, ſemper interſunt ſacro, etiam ſi graui morbo laborent, Dominicis etiam diebus omnes aduolant, vt fidei noſtræ myſterijs erudiantur, conciones adeunt, ſingulari quadam diuini verbi auiditate, & cum Regio hæc, ſi oppidum Otitlan excipias, maxima rerum omnium egeſtate ac penuria laborauerit, Patris adhortationibus incitati Otitlanenſes, Maizio egenis omnibus ſubſidio fuerunt; vitæ noxas confeſsione

delent

delent ea pietate, quæ in quouis alio Christi fideli summa commendaretur; multi etiam peccata omnia confessario aperuerunt. Hebdomada maiori cum mulier Inda apud Patrem sordes culparum expiaret, lacrymis ingruentibus, Hispanum permouit adeò, vt dolore maximo ex propriorum scelerum memoria suscepto, continuò crimina apud sacerdotem accusarit. Eadem hebdomada concione à Patre habita de Christi Domini præcepto maximo, cum postea pedes lauaret Indis duodecim egenis, repentè in omnes orta est ea vis lacrymarum, vt Hispani quidam opem tulerint Patri, in subiectione illa, ac etiam ad emendatiorem vitam allecti fuerint.

His qui oppidum Tamasulam inhabitant, egregiam nauat operam P. Hieronymus Sandemente, qui cum Superiorem harum missionum de ijs certiorem faciat, quæ in Tamasulæ oppido accidere, hanc ipse conscribit epistolam.

Solemni, inquit, quadraginta dierum ineunte ieiunio, Societatis nostræ Sacerdos, vt eos Indos, qui sibi curæ erant, ad Confessionis Sacramentum excitaret, perbreuem orationem habuit de nimia quam habet necessitate salutare pœnitentiæ Sacramentum, vniuersis animæ vulneribus medicamentum singulare: cum Deus optimus, cui immortales sunt gratię referẽdæ, manum illam aperuit suam, qua in adiuuandis hominibus semper occupatur. Itaq; in Confessionis affecti Sacramentum, non maiores natu modò, sed paruuli ét ipsi alacriter pieq; ad Patrẽ se receperũt, quare Dei beneficio mille fere cõfessiones auditę sunt,

turpemq;

turpemque degentes vitam , meliora polliciti eò tendunt, quod fuit equidem laborum nostrorum non mediocre lenimen. Sacrosanctæ maioris hebdomadæ anniuersaria hactenus nunquam hic apud Indos habita, hoc tandem anno Dei clementia sumus aggressi, idque non minori spectantium oblectatione, quã emolumẽto; quî enim fieri potest, vt videntes duo fere hominum millium conuenisse frequentiam, quingentorum flagris se cædentium agmina præclarè disposita, monumentum non mediocri opere elaboratum, simulacra dolorum Christi Domini, nec non & mortis indicibile genus præ se ferentia, & quod caput est ipsam rei nouitatem circumspectantes, gaudijs nõ gestirent infinitis? Emolumenti etiam quantum hinc ipsimet hauserint, nemo est qui non perspiciat. Testis irriguus lacrymarum imber, qui eorum ora medefecit; testes verberum crudelium vibices, quamplurimos post dies ipsorum in humeris apparentes: quid plura? ipsa quæ mutuo habebantur colloquia in cognitione tam eximij salutis nostræ Sacramenti, non mediocriter eos profecisse testabantur. Et quoniam de progressibus sermo est, non videtur incongruum hic adijcere, quod eodem tempore nobis accidit, ad hoc enim idem comprobandum idoneum valde censetur. Cum auditum esset ex quodam Patris sermone, quàm malum sit idololatriæ flagitium, inter Indos vnus, qui virtutum præstantia facilè alios antecessit, sibique persuasit, nefarium scelus hoc omnino delendum esse; non multos post dies nescio quis rumor ad huius peruenit aures, de muliercula quadam, quæ in secretioribus

domus penetralibus idolum celabat; vbi primum hoc ille accepit, illius domũ adit, vt extorqueat dæmonis monimentum, at mulier inquit, quinam fieri poteſt, vt lapis iſte contemptui mihi ſit, altero enim, & vigeſimo anno ab obitu patris mei, huius idoli hæres relicta ſum; quare abi hinc, dare namq; non poſſum, quod dando vitæ procul dubio functione deſtituar; hæc ipſa dæmonis furijs agitata, ſed deinde bonis viri monitis idolum tandem pedibus terit, ſacerdotem adire maturat, veniam poſcit, & ab ęternę mortis periculo ſe fatetur liberatam. Hæc etiam paucis recenſebo: numerus Indorum, qui mihi ſunt demandati, nongenteſimum fere attingit, paruuli octoginta Dei benignitate baptiſmo initiati ſunt, vxorem duxere viri quinquaginta. Hæc ille.

Ex Othothonilci accolis, qui duobus ab hinc annis Chriſtiana lege inſtructi fuere, coacti ſunt fruct⁹ vberrimi, nã cũ Pater, cui indigenæ demandati ſũt, excoluiſſet eos, fideiq; rudimentis inſtituiſſet, etſi tanto tamq; aſſiduo labori aduerſa valetudo ei minimè ſuffragaretur, paucis tamen pòſt menſib. homines mille ſacroſancto baptiſmate initiauit.

Gẽtes hæ incultæ ſunt, ac barbaræ, homines nullo vtuntur indumento, tenui verò mulieres, ac minus honeſto; quorũ victus guſtatu minime percipitur: cauernas mõtiũ incolũt, permulti tñ baptiſmo nunc initiati, qui ẽt oppida inhabitant, in quib. cõmuni hominum conſortio perfruuntur. Alij gentilitatis ſuperſtitionib. adhuc oppreſsi, agreſtẽ, bellui namq; in caueis vitã viuunt, non pauci tñ veritatis luce afflati, Chriſti Domini iugo ceruices

ſubii-

ſubijciunt. Atq; hoc anno 400. baptiſmũ ſuſceperet huc aduolant ex varijs regionibus, barbari tamẽ & inculti; qui cum Pater aliò ſe contuliſſet, obruti vino ad ſaltus ſe cõtulerunt; deſertoreſq; religionis ad caſtra dæmonũ transfugêre, at veritatis luce cognita, Patrũ ſuaſu, & precib⁹ ad ſanã mẽtẽ redierũt.

Ac inter cætera flagitia, quib. cõmunis omnium hoſtis gentes has obſtringit, comũni⁹ omniũ ſcelus maleficis artib., carminibuſq; deuinci, quo dæmoni ita ſe paratos præſtant, vt ſæpe ſponſione publica eidẽ audientes fore polliceantur; qui ſuadet illis corporis & animi bona, vti rerũ omnium conditorẽ, hylariter omnib. impertiri, cuius etiam opẽ egeni, ac ægroti ſæpius implorant. Horum in eo patrãdo ſcelere mos eſt, vt domunculam ſubobſcuram ingreſſi, tintinnabulis perſtrepentes, ac dira quædã carmina repetentes, illũ nomine cõpellent; qui corpore indutus hominis, vel belluæ ſpeciẽ præ ſe ferẽs, illis reſponſa dat: verum his etiã obuiam itum eſt.

Cæteri fluminis accolæ baptiſmũ iam ſuſcepere, quos noſtri in ſacris inſtituunt præceptionib.; oppidani alij eodẽ anno ſacro fonte abluti, qui quotidie Chriſti diſciplinam profitentur ſumma pietate.

Aliud etiam accolarum caput à Patribus fide ſacra imbuitur, qui etiam homines ſunt acerrimi, ac ſemper ad necem paratiſſimi, neque multis antè diebus vino temulenti, duos accolas trucidauere: hi terras inuias inhabitant, & incertas: quarum difficultate, ac periculis ſcelera tutantes, quodcunq; facinus audacter aggrediuntur; ac inter alios Caciques quidam alienæ vxoris

libidine irretitus, illam abſtulerat è propria domo, maximaque plurimorum offenſione turpiter eam ſibi iunxerat ad explendam cupiditatem: hic cum primum à Patribus rogaretur, vt & externorum offenſioni & ſaluti propriæ prouideret, nil præſtabat, paucis autem pòſt diebus concione à Patre habita commotus eſt adeò, vt conſcientiæ maculas apud Sacerdotem Sacramento eluens, alienam ex flagitio dolore ſuſcepto reſtituerit.

Vetula quædam, cum baptiſmum reijceret, tandem in morbum grauem incidens, cum inferorum pœnas expaueret; ſalutare lauacrum poſtulauit, quo abluta euolauit ad Superos.

At verò quæ Patri Floriano de Arirbe hoc eodem anno contigere, hæc ſtrictim habeas. Peracto Patrum cœtu in oppido ſancti Gregorij, quo ipſi confluxerant, ad Colutæ accolas profectus eſt: qui dicuntur Acaxees, vbi pluuiæ ea tunc tempeſtate erũpentes ad tot dies cogebantur, vt nullus diſcedẽdi locus omnino illi concederetur; cuius occaſione extra maximos imbres, quibus domus ſtratæ paleis vndique natabant, aſsiduis etiam laboribus, obſtinata fame, cibiq; inopia ſumopere afflictus eſt; ibi gentes plurimas reperit, periculoſo morbo occupatas; nonnullæ quarum confeſsione continuò ex-expiatę, migrarunt è vita; aliæ morte perterritę iam aduentante, idola quamplurima Patri obtulere comburenda, innumeris inanis religionis ſuperſtitionibus radicitus euulſis.

At priuſquam hæc oppida pertingeret, flumina quæ itinera occupabant, aquarum vi, ac impetu ita deferebantur, vt certò fatearis, Deum à vitę diſcrimine illum ſæpius vindicaſſe. Alia

Alia præterea oppida inuisit, quæ Sancti Iosephi Chian maioris, Platacomiti, ac Noianquiti nomine nuncupantur, cui Indorum agmina pulcherrimam Crucem gestantium occurrêre ad aliquot mille passus, vbi sacro fonte baptismatis trecentos abluit, quo etiam tempore barbari duodecim nudi, ac telis armati summis precibus exorarunt Patrem, qui nouam eorum Regionem peteret, vt erudiret oppida fidei nostrę mysterijs, ac Indos omnes, quod summopere expetebant, sacro ablutionis Sacramento initiaret. Et licet difficillimum iter cerneretur, maximeque periculosum ob ingruentes aquas, quæ terras longè lateque occupabant; non tamen fractus itineris difficultate, illi se dedit alacri animo; stratoque herbis contexto, quod ab Indis quatuor aquis natantibus capite deferebatur, insidens, non paruo licet capitis discrimine, flumen pertransijt, ibi per multos reperit Indos regionem illam incolentes, quos cum doctrinæ Christianæ rudimentis instituisset, æde sacra extructa, quadringentos duosque supra octoginta tinxit lauacro. Postero die cum incidisset in humanum caput, ac summopere miraretur, Indi, qui illud sibi asseruabant, hostes esse dixerunt, atque ideo noctu eius necem saltationibus gratulantes, miserrimum caput omnibus propalam ostentabant, quibus cum prius crudelitatem, tum verò gentilicæ superstitionis simulacrum præ se ferre Pater ostendisset, suasit tandem ne tale flagitium iterum susciperent.

Cæterorum etiam oppidorum incolas, quos lege Christiana instituerat, quadringentos baptismate initiauit.

Barbarus quidam tenebris gentilitiis oppressus, infantes duos statuerat è medio tollere, quòd dum ederentur in lucem, vxor eius acerbissimo dolore affecta, vitam expirasset: cui sceleris atrocitatẽ ante oculos Pater constituens, ab incœpto retinuit.

Verum vt intelligas communem hostem Patribus semper aduersari, cum partã prædã ab eius vnguibus semper extrahant, aduentante maiori hebdomada, in qua Christi D. patientis recoluntur cruciatus, Pater eos inuitauit, qui Ecclesiæ nomina nouissimè dederant, vt eo tunc tempore astarent mysteriis, ac iã ad caput oppidorũ confluebant, cũ dæmon fructum reformidans, qui postea vberrimus ab ipsis consecutus est, iuuenis speciem indutus, Indis occurrit in itinere, illos admonere, atq; hortari, vt desistant ab incœpto; tectaque repetentes dent operã catechisticæ doctrinæ, quod cũ ad Patrẽ deferretur; dum oppidani eũ vincire conantur, ex omnium oculis euanescit.

Per alia cucurrit oppida, vbi senes quamplures inuenit, qui decrepitate iam penè consumpti properabant ad mortem, baptismoque abluti continuò expirarunt.

Et licet regiones has incolant Hispani perpauci, ij tamen cæterorum exemplo perterriti, patefactis conscientiæ vulneribus, crimina sua apud Patrem accusarunt, cum verò sermonem apud eos haberet de fallaci spe humanæ vitæ, ac tandem mortem ominaretur astantium nonnullorum capitibus ingruentem, constituto ante tempore quatuor expirarunt, bini quorum non prius detectis animæ vulneribus, miserrimè vita expulsi sunt. Hoc cæ-

teros

teros permouit adeò; vt ab improba peccandi consuetudine reuocati, emendatioris vitæ normã continuò sibi parauerint.

Qui salutari baptismatis lauacro eodem hoc anno à Patre Floriano abluti fuere, mille & quadringenti numerantur.

SEDES CINALOENSIS.

HIC vndecim commorantur, operæ octo, Socij vero tres, quibus diuturni, grauesque labores acerbas inualetudines pepererunt, quisq; in Prouincia sibi constituta optimè elaborat, nam Indorum copia maxima: statis temporib. omnes simul confluunt, vt vacantes à diuturnis molestijs, sacris exercitationibus dent operam. Pagus hic Sanctissimorũ Apostolorum Philippi, & Iacobi nomine nuncupatur, vbi in Hispanis, ac Indis excolendis magna contentione insudatum, quò vndique regionis illius nationes confluunt, quæ omnes conscientiæ maculas pœnitentiæ sacramẽto eluentes, sæpius in anno cœlesti panè reficiũtur, arrepta Indulgentiarum occasione.

Antequam se flagris concidant, quod verni Ieiunij diebus quadraginta sæpissimè exequũtur, lectiones sacrę habentur, ac adhortationes; & cum maiori hebdomada Christi Domini patientis mysteria recolerentur, maximus fuit omnium cœtus ac frequentia, qui peccatis apud nostros expiatis, diuino pane potiti sunt; & cum simulacra quædam acerbissimam Christi mortem pro nobis obitã

commonſtrantia magno hominum cœtu ducerentur, omnes adeò permouere, vt ſe continere à lacrymis minimè poſſent. Præterea etiam Hiſpanus quidam pulcherrimum donum imagini ſacræ Beatæ Virginis Mariæ obtulit, quod ducentis fiebat argenti ponderibus ab omnibus, cum tamen illius fortunæ bis ducenis auri ponderibus ducerentur.

Indi regionis huius in pagos octo diſtinguuntur, quorum primi antiquiores, cæteri verò ad fidei veritatem nouiſsimè redacti; illi recta quadam ratione viuendi plurimum proficiunt in pietate, ac religione; quorum fidem afflictionibus aliquando Deus comprobauit. Nam flumine quodam ingruente, latè vagantes aquæ oppidum penitus abſorbuerũt; cuius incolæ amiſſa fruge, aliò ſe receperũt; horum tamen inopiam non parua maizij copia ſubleuauit Deus, quæ vberrima eodem tempore ſubſecuta eſt.

Accolarum illorum oppida, qui baptiſmate nuper abluti ſunt, ea ratione diſpoſita fuere, vt cuique è noſtris conſtituta aſsignentur, quæ excolat, ac catechiſmo expoliat.

Plurimæ gentes quæ flumini Amba aſsident, poſt paucos menſes Chriſti myſterijs inſtitutæ, ſacro baptiſmate expiabuntur, cum ad illas nationes iter nondum pateat, etſi ſuperiori anno noſtris certioribus factis, eorum quamplures increſcente morbo corporis, & animi iacturam facere, militum Ducis ſententiâ, Patres quidam illic excurrentes valetudine detentos baptizarunt, quod noſtri eò libentius præſtiterunt, quò Proregis facultatem aduentare iam cognouiſſent: ibi tres ex noſtris commorati

morati ſummo labore id exequuti ſunt, quòd maximè expetendum erat.

Quare Pater Mendetz hæc ipſe ſcribit. Perhumaniter nos excêpere indigenæ, qui maxima lætitia ad nos confluentes, infantes hilariter afferebant, ſacro fonte initiãdos; & licet vaſtiſsimum flumen periculoſo impetu raperetur, parentes pueris capiti alligatis tranabant illud: in oppidis nulla ſaltatio, aut ebrietas, vt non mediocri admiratione afficerer; diebus feſtis gentes innumeræ confluebant, vt longè lata planicies breui tempore impleretur.

B. Chriſtophorus de Viglialta idem ferè & ipſe ait: Aduentus meus gratiſsimus, inquit, fuit omnibus, qui ex oppidis frequentiſsimi accurrebant erectis Crucibus; Chriſtianæ fidei præceptis eos inſtitui, ac in fantes laui ſacro baptiſmate, qui cenſentur quingenti, ex quibus quatuor non prius efflarunt animam, quam baptiſmum ſuſceperunt.

Et ſane mirum, gentes incultas adeo tanta hominum communione, ac pace delectari, quæ etiam maiores natu, & parentes ita venerantur, vt non minus ſenes omnes colant, quam genitores ipſos: Cõcionibus, adhortationibus, cæteriſque myſterijs aſtant maxima religione; poſthabito victu, vt ſæpius experiantur hominem de omni verbo viuere, quod procedit de ore Dei: facillimè etiam in precibus memoriæ mandandis, ac ſacris fidei myſterijs inſtruuntur.

Nouiſsimè Nationes quædam Thaes nuncupatę, idolorum deuinctę ſuperſtitionibus, ſacrum baptiſma ſummo ſtudio expetunt, quæ etiam lingua differunt à Cinaloenſibus, has quotidie magna baptiſ-

mi ſpe Patres nutriunt, cum hoc tempore ad illas difficilis concedatur acceſſus, ob ſummam tempeſtate hac inopiam operarum.

Pater Andreas Peretz Quagueorum precibus, & ſuaſu; quæ gens etiam noua, veritatiſque luce minimè nondum afflata, ipſorum oppida inuiſit, vbi ſexcentos ac ſeptuaginta infantes, ſenes verò ſeptem ſupra viginti baptiſmo expiauit; qui cum eſſent ſumma ſenectute, & caduco vel morbo laborauerāt, vel ſenſuum expertes eſſent, ac memoriæ; ſtudium maximum, & aſsiduum operæ pretium factum eſt, ac tandem Chriſtianis initiamentis imbuti, reiecto Idolorum cultu, ad Eccleſiam noſtram ſe aggregarunt.

Hæ regiones Cruces pulcherrimas vbiq; ſumma erexêre lætitia, quas mira quadam Religione colunt, ac venerantur; Patribuſque hoc ſacro æternæ ſalutis noſtræ monimento ſemper obuiam fiunt.

Quamplures etiam alij baptiſmum breui ſuſcipient, cum ſint in maximo illius deſiderio. Ad alia etiam oppida iter contendit; quæ nouis Chriſtianarum rerum inſtitutionibus excoluit, confeſsionibus expiauit, ac refecit cœleſti pane; tum verò etiam miſerrimam permultorum egeſtatem Maizio ſubleuauit, ac pecunia, vt facilè intelligerent homines, nil prætereanoſtros, quàm vnam illorum ſalutem proprio vel damno partam expetere.

Hæc noſtrorum excurſio non parui facienda

vi-

videtur, tum ob incredibilem infantum copiam, qui absque lustrali aqua vitæ punctum cum morte commutabant, ac vt eodemmet tempore omnes accolæ, qui baptismum summopere expetebant, christiana catechesi firmarentur, sacroque initiarentur ablutionis sacramento: tum vero etiam, vt pace cum Hispanis inita, concordia fruerentur, ociique tranquillitate.

Verum cum Patres nationes has strictim attigissent, etsi fructum minimè sanè contemnendum retulerant, tamen quòd tanta hominum copia stationem vel diuturnam expeteret, oblato denuo tempore, populos illos obiere, vbi sacras ædes extruxeunt, Christianæque legis exposuerũt initia: omnes tandem adscripti sunt militiæ Christi fidelium.

Accolæ fluminis, quos Maias dicunt, idolorum deuincti superstitionibus, Christianorum oppida petiere, ac ne ad indicendum bellum, vti superioribus annis, putarent oppidani illos accedere, arma, antiquaque iurgia deposuere, qui omnes fidei mysteriis erudiuntur, ac cum operarum maior copia conuersa fuerit, catechismo penitus expoliti, baptismate inficientur: horum etiam suasu Populi Aquimi pacem cum Hispanis composuere, superioribus antè annis sæpius optatam, qui etiam innumeri sunt; bellatores acerrimi, oppida tamen incolunt, communi oblectantur societate, acutoque ingenio præstant: ac patientes cuiuscunq; vel grauissimi laboris.

Regionis sancti Philippi indigenas excolit Pater Petrus Velascus, qui cum ad indos Chioraras

raras profectus esset, octingentos Barbaros reperit, quos militum Dux coegerat, vt Catechismi disciplina erudirentur; qui domos sibi parabant. Huc confluũt Hispani, ac Indi, qui iam fidem Christianã profitentur, quorum familiaritate, ac consortio feritatem facile abijciunt, Christianaque rudimenta degustantes, fidei nostræ mysterijs erudiuntur. Qui cum Patrem intelligerent aduentare, incredibili voluptate perfusi facti sunt obuiam illi, qui cõcione ad populum habita, ad fidem amplectendam eum inuitauit, pueros trecentos lauacro salutari adiunxit ad Christum; ex quibus nonnulli ad cœlum illico euolarunt.

Guacamæi populi lingua differunt à cæteris Indis, hi Patrem communi lætitia suscepere, qui ducentos infantes, ac natu grandiores nonaginta sacrosancto Christianorum ritu abluit; omnes Christi Domini mysterijs enixè dant operã, nudi incedunt, etsi pacis amantes, & arcu sibi victum quæritant; superstitionibus summoperè dediti, etsi postquam baptismum suscêpere, qui ter milleni cẽsentur, flagitium hoc reiecerint.

Quare qui hoc anno in Cinaloensi Regione sacrosancto æternæ salutis fonte initiati sunt, quater milleni, ac nongenti; qui verò in reliquis missionibus, bis milleni ac sexcenti numerantur,

MISSIO GVATIMALÆ.

ET quoniam adhuc de Guatimalæ Missione nullatenus per litteras annuas certiores facti fuimus, nil prætereа scribimus; quàm quod ex qui-

ex quibuſdam litteris percepimus, ob maximos terræ motus, qui Regioné illam occuparũt, domos multas corruiſſe, aliaſque quamplures quaſſatas, cuius calamitate permoti omnes, animos peccatorum ſordibus eluerunt, omniumque annorum confeſsione expiati ſunt; vt noſtri in ijs audiendis, dies inſumerent ac noctes. Quare non pauci ab improba peccandi conſuetudine ſe reuocarunt. Hoc tamen certè ſcimus, eam Patribus noſtris ſemper frugem paratam, vt Socios ſummis precibus expetant, qui ferant opem oneri penè ſuccumbentibus, qui nunc bini adiecti ſunt.

LIT-

ANNVÆ LITERAE PROVINCIÆ PHILIPPINÆ SOCIETATIS IESV Anno M.DC.VII.

NVmerat hæc Prouincia duos denonaginta ſocios : ex his quadraginta duo Sacerdotes ſunt, è quibus tres adhuc in vltimo Tirocinio verſantur, vnus Philoſophiæ auditor, vndeuiginti ſcholaſtici, reliqui ſunt adiutores. Habet Prouincia Collegia duo, tria Seminaria, Hiſpanorum adoleſcentum vnum, Indorum duo. Sedes continet ſex, quarum duæ Manilenſi Collegio ſubſunt, quatuor verò Rectorali nomine inſignitæ nulli adiunctæ ſunt Collegio. His porro ſedibus nouem ſupra ſexaginta Eccleſiæ adiacent, totidem annexæ Oppidis. Sed & alia ſuperſunt adhuc noſtris loca, ad quæ frequenter excurrunt. Octoniēſis Miſſio ad Zebuanum Collegiū ſpectat.

Sunt in Manilano Collegio Sacerdotes ſexdecim, (ſi illis Prouincialem cum Socio adnumeres) Tres Theologiæ Profeſſores, vnus Philoſophiam docet, tres tertio Probationis anno vacant, Theologiæ ſtudent ſex, ſeptem Philoſophiæ, quatuor Humanioribus literis dant operam, Coadiutores decem, è quibus vnus adhuc Tiro. In Seminario Diui Ioſephi Sacerdos vnus, duoque fratres ex numeratis. In Collegio Sebuano Sacerdotes tres totidemque; Fratres:

In

In Octoniensi Missione Sacerdos cum Fratre. In Boholensi sede tres Patres, Fratresque duo. In Carigarensi quatuor Sacerdotes, duobus adiunctis Fratribus. Totidem in Dulachiensi. In Tinagonensi quinque Sacerdotes, Fratresque tres. In Antipolana tres Fratres, cum tribus Sacerdotibus. In Silanensi Sacerdotes duo, cum Fratre Adiutore.

Illud in vniuersum de nostris hoc præcipue anno asseri potest, solidas in illis stetisse virtutes, viguisse animarum Zelum, spirituales exercitationes floruisse, ad quas sese accinxere vniuersi. In his præsertim scholastici vacationum tempore, Deo ipsi vacare leuaminis loco habuere, quippe qui studiis quotidianis fatigati, hoc cœlesti solamine illis intermissis iucundati sunt.

Quæ verò præcipua fuerint nostræ munia Societatis, externorum progressus, fructus singulorum; hæc è singulis quibusque Collegiis sedibusque colligere licebit. Nunc ad illa descendamus.

(∴)

COL-

COLLEGIVM MANILense.

NOstrorum numerus in hoc Collegio ſupra relatus eſt: labores nunc referam. Sed illud prius: Manilenſem vrbem, ſi ad reliqua Regna, quæ circumſtant, referas, punctum eſſe dices: ſi enim ex vna parte continentem ſpectes, illi adiacet Sinenſe Regnum maximum, Champanenſe, Camoboxanum, Sianenſe, Paranicum aromaticis Cariophyllis celebre: His adde Malucenſes Inſulas innumerabilibus alijs adiunctas, quibus Sincapurenſe fretum nomen dedit, quo per anguſtum mare iter apertum eſt, ad vtriuſque Indiæ merces ampliſſimas aſportandas. Quod ſi ad Inſulas, quæ ex alia parte nos ambiunt, oculos conuertas, ſuperioribus facile adnumerabis Iaponenſes, Burneicas, Xoloenſes; ſed nec prætermittes viciniores Mindanaenſes piratas, Caraganos, Sanguilenſes, Pietos, alioſq; quamplurimos Indos, qui belluarum more vel per montes curſitant, vel ſyluas incolunt noſtris nondum ſignis ſubiugatas.

Quare cum tot Regna, totq; vel efferatæ, vel nondum edomitæ gentes, exiguam hanc Manilenſem Vrbem quodammodo circumuallent, adiunctiſque ſibi Hollandis hęreticis, prædonibuſque, aſſiduis ferè timoribus perturbent: ipſa ſola & exigua, Hiſpanico auxilio ob ſummã diſtantiã ſæpius deſtituta; cæleſti tantummodo præſidio gaudet, alioquin caſura: quo quidem munere, quæ pũctum eſt reliquis vrbibus comparata, facta eſt plurium Prouinciarum centrum, quæ vndique quæſtus

ſtus cauſa huc confluunt, concurruntque. Porro ex Sinenſibus tantum, quibuſcum maior eſt noſtrorum vſus; quindecim mille Sangleies (recens aduectos intellige ex eorũ patriæ particula SANG recens, & LES aduectum ſignificante) huc adnauigarunt hoc anno triginta vectrinauibus; quorum tum mercatura, tum Hiſpanorum viribus magna quotidie diuitiarum, temporariæq; poteſtatis acceſſio fieri ſolet: nec tamen minor extat ſpes ſpiritualis progreſſus indies augẽdi, Religioſorum hominum diligentia, in ſacroſancto Chriſti Domini Euangelio propagando, errores abolendo, diſſeminando virtutes, Chriſtianamq; perfectionẽ ſtabiliendo. Hinc fit, vt qui in hoc noſtro Collegio commorantur, non tantum operam ſuam præſtent Hiſpanis aut Indis, ijſque incolis, verum & alijs etiam vel accolis vel aduenis, vel diuerſarum Nationum gentibus, quæ huc quotidie commeant, idq; adeò præſtant noſtri, vt labori fructus reſpondeat vberrimus.

Nonnulla curſim attingam, quæ ad Hiſpanos pertinent. Frequens extitit toto hoc anno eorundem ad noſtrum Collegium concurſus, ſed frequentior fuit totius Vrbis ad noſtrum Templum conuentus tribus Bacchanalium diebus. Indictum porro eſt primo Sanctiſ. D. N. Pauli V. Iubilæum, recens per Paternitatem Veſtram ad nos ex Vrbe trãſmiſſum, ad quod conſequendũ, ea ſe diligentia per Confeſſionem, ſacramq; Communionem præpararunt, vt ſolemnes Maioris hebdomadæ dies imitari viſi ſint vniuerſi.

Regiæ militum copiæ, quæ (vti mos eſt in Propu-

gnaculis) ſingulis ſibi ſuccedunt diebus; ſuas hoc tempore ſtationes habuere in Templo noſtro, vbi diſploſis ſæpius ad lætitiam ſclopis ante Auguſtiſſimam illius præſentiam, qui ſe nobis non minus obtulit in cibum, quàm tutamen; in officio perſtiterunt. Vidiſſes eorum phalanges, apparatu bellico inſtructas, collucentibus armis inſignitas, per Vrbem ad pompam gradientes, rectoque ordine præuiis Ducibus incedentes, Eccleſiæ noſtræ limina petere: dein vbi primum prior cohors à ſtatione ſacra recedebat, quaſi petita venia, exploſis ſclopis, vexillum hàc illàcque paululum agitatum ſternebat coram Sacroſancto Domini Corpore; ſenis mox hinc inde haſtatis militibus ante Altare ad Cuſtodiam cuſtodientes omnia, deuo è adſtantibus: quo facto prioris cohortis locum occupabat alia, quæ ſigno prius ad terram vſque demiſſo (obſeruantiæ indicium eſt, quo Regia Maieſtas coli à militibus ſolet) pòſt verò paululum circumducto, in ſtatione ad noctem vſque perſeuerabat, non aleis occupata ſeu maledictis, ſed Domino lætabunda deſeruiens ad Templi fores conſtans aſſiſtebat. Sed haud minus quidem extitit officioſa Præſidis Philippini pietas, ſummique Inſularum Ducis cultus, qui cano venerabilis æuo, profuſis lachrymis, ſuæ ipſius tenuitatis conſcius, toto ibi corpore pronus, vultuque ad terram demiſſo ante Diuinam illam, tremendamq; Maieſtatem diu procubuit; nec prius erexit oculos, quã ſacro Domini ferculo paſtus ſit, magno totius Vrbis exemplo, adſtantiumque admiratione, cum non prius acceſſerit ad ſacram ſynaxim, quàm veniam

veniam etiam ſupplex ab offenſo quodam Duce poſtulauerit ipſe innocens. Porrò ex adoleſcentibus ciuibuſque Partheniani Sodales accenſis cæreis, flexiſque genibus ante Altare viciſſim vnà cum noſtris; toto illo tempore perſeuerarunt. Habitæ ibi ſunt ad populum ſpirituales exhortationes, exhibita lætitiæ ſigna, nec non & vocum cantus, variuſque muſici concentus ſonus editus, ad Dominicas laudes rite decantandas, promendaſque.

Hac ergo diuini ſeminis ſatione in Bacchanalibus, quadrageſimalis meſſis nunquam antea vberior, maiorque apparuit: ſui ſiquidem gregis haud immemor eſt Deus, cuius ſumma prouidentia factum ſemper eſt, vt ſi qui defuerint aliquando ouium cuſtodes, alios ipſe piorum loco ſuppeditet diligentiores; eòque minus timendos, quò ſibi magis timidos; eoque digniores, quô ſibi minus dignos.

Non pauci obtemperarunt doctrinæ: plures probè vſi ſunt eius laboribus; nec defuere qui ob grati animi ſignificationem, exhibita ſponte pecunia, nobis fuerint adiumento ad eam Collegiis partem conſtruendam, qua Templum antiquæ domui ad Aquilonem nectitur; quod & factum eſt non ad ædificii firmitatem magis, quàm ad decorem: ſiquidem inferior eius pars perpulchrè efformata externorum ſodalitio deſeruit Dominicis feſtis, reliquis verò diebus Theologiæ Claſſis nomen obtinet, ac officium. Nec ſolum noſtris antea noti adfuere egeſtatè

laborantibus, verum & auersi haud auersa quidem voluntate nos sunt peramanter prosecuti. Ex his Ciuis quidam nobilis immemor quidem dum viueret, nostrorum vero memor moriens; trecenta argenti pondera huic Collegio in annuos reditus testamento reliquit. Neque minoris fuit ponderis adolescentis externi animam agentis legatum, afflictæ Matri nobili matronæ datum; hic ex Alumnis Parthenianis erat, filius vnicus viduæ parentis, cui iam iam moriturus, impensè iniunxit, vt nostrã frequentaret Ecclesiam, ad quam se prius rarissimè conferebat, sibique fore cordi dixit, vt Societatem nostram toto etiam corde prosequeretur, haud parum illi pridem aliena: fouet nos nunc nobilis mulier, filioque verè obsequens, Collegij nostri facta est quodammodo Mater.

Superioribus facile adiungam nobilem Ducem Petrum de Brito, qui Deo duce, serò quidem, sed tempestiuè in nostram se amicitiam recepit, ita vt publico instrumento sese obstrinxerit (reluctantibus filiis) fabricandam à se nostris Tirocinij Domũ, ex qua capi possint annui coronati mille, quod haud quaquam exiguum est in hisce Insulis vectigal. Nec isthæc tantum exædificatio nobis oblata est hoc anno: signifer namque quidam Petrus Aquilarius, cui plurimum prius debebat Societas, dum se Hispanicæ nauigationi parabat, ingruente morbo coactus est de sepultura decernere. Moriẽs itaque Zebuano Collegio mille argenti in singulos annos volens lubensque mandauit.

Hæc Domi, nec minora foris. Regiam stationem octauo quoque die inuisunt nostri, præuiis pueris, ijsque

ijſque de more Chriſtiana elementa cantantibus: hinc concio habetur ad milites, ex qua vitæ correctio, virtutis ſtudium, flores deſideriorum, fructus etiam Religioſæ vitæ promanarunt. Idem præſtitum in carcere detentis, è quibus qui Chriſtiani erant, peccata rite expiarunt omnes. Detinebatur inter hos quidam Patria Sinenſis, Religione Gentilis, voluntate verò Chriſtianus, qui perſuaſus à Patre, vt noſtris ſeſe adiungeret vexillis, non renuit ille, quin & addidit, ſe ſacras Deiparæ Virgini recitare ſæpe corollas, Deumque ſæpius deprecari, vt certum ſibi ad ſalutem patefaceret iter, quò factum eſt vt de ſacro Baptiſmate cogitaret, Chriſtianis ſtudens elementis, Chriſtianus aliquãdo futurus. Quæ res haud parui quidem eſt momenti: nam (quod certe dolorem incutit maximum) ſummæ vtique admirationis eſt, audire hos in tribulatione poſitos Sanctiſsimum Ieſu Nomen inclamare gentiles adhuc; dumque aliquid, vel in iudicio, vel extra, pro vero aſſeuerant, illud Sacroſanctæ Crucis iureiurando confirmare; ſacris Sanctorum Imaginibus reuerentiam exhibere; genua in Templis flectere, aliiaque Chriſtianis propria munia obire, in infidelitate tamen perſeuerare, non vt incredulos (credunt ſiquidem vt plurimum) ſeu Idolorum cultores: ſed quia ſi Chriſto nomen dederint, ſibi ſtatim adimunt reuertendi ad ſuos facultatem, vnde vxores, vnde liberi, vnde domus, reſq; familiares, habituſque corporis, (Patria vrgente lege) haud quaquam transferri aut immutari licet: & quidem capillos ne cædant Chriſtianorum more, dæmoni victi cædunt, Chriſto nun-

cium remittentes: capillos namque alunt oblongos ad genua vſque protenſos, quos fœminarum more complicant, talariq; veſte fœminas omnino imitantes induti per vias incedunt.

Non contemnendus noſtrorum labor in Noſodochio inuiſendo collocatus. Infirmos cœleſti medicamine curant, nec tamen terrenis deſtituunt cibis, delatis per externos ſcholaſticoſque ſodales bellariis. Piæ hortationes habitæ ſunt ad triremes, expiatique omnes remiges, triremiumque vectores: porrò ex damnatis ſeptem ſacro baptiſmate abluti ſunt. Magnus factus eſt ad noſtrum Templũ mancipiorum concurſus ex Orientali India huc aduectorum: his explicata ſunt noſtræ fidei primordia ſermone Malaco, (horum vernacula lingua eſt) quo non ſemel vſus eſt vnus è noſtris Sacerdotibus, nec mancipiis tantũ, ſed & Regibus atq; dynaſtis, è quibus pluries Malucenſis Rex Xedanus Arephius, (qui duobus abhinc annis ab Hiſpanis deuictus, in cuſtodiamq; detentus Hiſpani Regis expectat ſententiam) per Patrem noſtrum edoctus eſt, ſed fruſtra, quippe qui Mahometo deditus, nullatenus ſe Doctore indigere ſuperbientis more reſpondit, ſua ſe eaq; falſiſſima lege contentum eſſe. Nepos eſt hic Rex Ayerij Regis Terrenatenſis, cui vt adularentur Malucenſes, eiuſq; inirent gratiam, Beato Patri Illefonſo à Caſtro mortem olim attulerunt. Videtur hic Rex quaſi hæreditario iure vna cũ Regno ferream cordis duritiem ſibi comparaſſe. Quòd ſi paternus eius Auus blando innocentis Martyris cruore haud mollitus eſt, nullatenus videtur ſperandum Nepotem non martyris, ſed humanis ratio-

nibus

nibus fore molliendum. Sed nihil Deo impossibile: cor namq; Regis in manu Domini est.

Reliqua quæ ad exemplum spectant varia sunt, sicuti & varius est Domini modus, quo homines à se persæpe longe auersos, ad se sui pertæsos dulcissimè trahit. Nobilis quidam Ciuis iam iam moriturus Sacerdotem accersijt, quo tutior sibi fieret ex hac vita discessus, interrogatus à Patre Medicus, quidnam in causa esset, cur insolito, vt videbatur, morbo absumeretur infirmus, nullaque alia reperta est præter illam, quam moriens ipse Patri patefecerat, absumi siquidem se intimo præteritorum scelerum dolore, quibus omni amore dignissimum Deum improbè læserat. Hinc ex hoc vno colligi facile poterit, quantus sit pœnitentium fructus, qui sæpius vel exanimes, vel manantibus præ tristitia lachrymis è Confessariorum præsentia expiati recedunt. Ex his quidam oculos lachrymis madentes habens, monitus est vt se à fletu temperaret, amissurus alioquin breui tempore lumen oculorum. Faxit vtinam Deus, inquit, ne meæ miseriæ aspectum subterfugiam, in qua tanquam in speculo diuinæ misericordiæ lucem aspicio, quòd si oculorum vsum perdiderim, facilè mihi erit diuini Numinis irritandi ansam omninò subterfugere. Sed hæc doloris indicia; illa timoris.

Perterruit Deus hominem media Sacerdotis nostri concione adeo terrificis dæmonum spectris, vt singulis quibusque noctibus in eorum se potestatem deuenisse sibi timens videretur; aiebat etiam sibi per quietē visam amici vita functi animā

illum monentis, vt ſibi caueret in poſterum, ne illuc tandem deueniret, vbi præteritorum ſcelerum pœnas vnà ſecum apud inferos lueret. His adactus timoribus ſibi conſuluit, vitamque aliquando mutauit in melius eiuſdem Sacerdotis conſilio, cuius concione fuerat permotus. Quod ſi purus Dei timor peccata per pœnitentiam fugat ex animo, fructus quidem timoris huius extitit Sodalis cuiuſdã conſtantia, qui Deipara Virgine duce, quas dæmon prauæ cupidinis tædas incenderat per fallacem mulierculam, has facile ſibi proſpiciens fœlix extinxit. Nec diſsimilis fuit alterius fortitudo, qui pari iaculo petitus non ſolum obſtitit, ſed quaſi retorto ictu ſolicitantem fœminam non verbis, ſed verberibus à ſe quàm facilime abegit, tale nunquam facinus auſuram in poſterum.

Debitam parentibus pietatem Deo cordi ſemper fuiſſe nemini eſt ignotum, eam verò denegatam Deo ipſi diſplicuiſſe probat hoc exemplum. Ingenuum quendam hominem læſerat filia nupta iam, prægnanſque: (male namque de patre cum aliis oblocutam pater ipſe non ſine cauſa ſuſpicabatur, ob eius de noſtra Societate benemerendi animum) qua re parens permotus eam pro munere de obtrectatione reprehendit, illique exprobrat quod ipſa glorioſum duxerat, male precaturus filiæ ac fœtui, niſi Pater Rector ibi tum præſens iamiam maledicentem interpellaſſet. Ipſa vero ſeu animi perturbatione, ſeu audacia ipſa culpam inſimulans, maledictionemque deprecatione confirmans; diſrumpar, inquit, fœtu quo grauor, ſi quid hac de detractione noui. Hæc illa; nec mora, infra menſem

partu

partu ipſo compreſſa crepuit, extracto poſtmodũ per partes ipſo fœtu. Sed pœnam hanc ſumma Dei clementia comitata eſt: errorem namq; agnoſcens, miſericordiam à Deo, à Patre veniam, benedictionemq; pœnitens flagitauit.

Sed iam ad exteras Nationes tranſeamus. Etſi Iaponenſes, qui in hiſce Inſulis mercaturam exercent, pacem vt amicam colunt: ſunt tamen ex ijs nonnulli, qui bello potius dediti, pacem vt inimicam execrantur, quæque tranquilla ſunt ſæpe ſæpius perturbare conantur. Per hos ſuperiore anno (vti iam ſcripſimus) tota hæc Philippenſis Regio in diſcrimen adducta eſt: conſtructa namque acie noſtra iam mœnia irrumpebant, cum Hiſpano exercitu extra Vrbem collocato, in Iaponios irruptio fieri cœpta eſt, quæ tandem noſtrorum precibus ſtetit. Quare breui Iaponẽſes arma deponere coacti ſunt; quia tamen qui Remp. turbauerant, impunes abiere; factum eſt, vt coniuratione inita, idem facinus hoc anno tentarent: ac quamuis coniurati pauciores eſſent pacificis, qui tamen ex illis illos noſtris tradere nequierunt, ij omnes pro inimicis habiti ſunt. Irrumpunt ergo iterum noſtri pedites in Iaponios, qui primo obſtitere quidem, dein terga vertere compulſi ſunt. Trucidati ex illis ſupra ſexaginta, ex Hiſpanis verò duo, nonnullis vulneratis ceciderunt. Audiere noſtri tum militum, tum vulneratorum Confeſſiones non ſine periculo; ex quibus vnus duce Sacerdote primo expiatus, dein delatus ad Vrbem, ibi facile animi, corporiſq; incolumitatem adeptus eſt.

Illud accidit vere pium. Oblitus cœno Iaponius

quidam iacebat malè habitus in bello, mortemque socijs illatam expectabat miser: eum forte intuita mulier (quæ vxor eius erat) per medios cita ruit hostes sui tantum oblita, maritumque complexa humeris imponit celer, nullum pertimescens, sed nec arma aut sclopos verita, Ducem militum caro pondere haud fatigata, in acie perquirit, in quem vbi primum incidit, supplex prouoluta vitam mariti gemebunda implorat, quam non solum bis fœlix consecuta est, verum & acceptis ad præsidium aliquot militibus, tuta hostium acies euasit, nacta talem Ducem, qui ea est mente, vt pietatem cum Christianis moribus coniunctam, illam menstruis apud nostros Confessionibus conseruare non desinat.

Quæ hoc anno obita sunt nostræ Societatis munia erga Indos tam in hac Vrbe, quàm in suburbanis locis degentes, ac præcipue in Oppido Diui Michaelis; ea parem sortita sunt fructum ac ædificationem non absque labore nostrorum, qui illis in omnibus adfuere. Sancti Michaelis Oppidani institutam iam sodalitatem statutis diebus de more frequentant: sacellum ad hoc instructum adeunt, ibique non Christianam tantum fidem, verum & perfectionem edocentur, in qua ducem habent ac Magistram Virginem Sanctissimam, ad cuius honorem Sabbatis quibusque diebus eius solemni sacro intersunt mane cereis insigniti luminibus, quod & pari deuotione sub vesperum exequuntur, dum rithmicè Salue Regina decantatur in Templo. Concioni intersunt à prandio Dominicis diebus, non solum

qui

qui huius Oppidi ſunt incolæ, verum & plurium Oppidorum oppidani, vbiſque Manilenſis aduenæ, qui eo numero ſunt, vt illos aliquando Templum, quod prægrande eſt, vix capere queat. Adſunt præterea aliis Romanæ Eccleſiæ ſolemnitatibus etiam non iuſſi, verum & ſacras cæremonias piè vſurpant: feria præcipuè quarta cinerum adeo celebris eorum concurſus eſt ad ſacros pulueres ſuis frontibus imponendos, vt quatuor, quinqueue Sacerdotes illis haudquaquam ſint ſatis: quare coguntur ſæpe ferreis cancellis incluſi illis cineres imponere, ne irruentum multitudine comprimantur.

Maximus tamen factus eſt ad noſtrum Templum concurſus maximi ieiunij tempore: ſingulis namque diebus (exceptis Dominicis) ſub noctem voluntariæ corporum verberationes habitæ: Confitentium numero haud fuere ſatis Auditores; è Silanenſi ſede aduocatus eſt Sacerdos, qui illis eſſet adiumento. Porrò maxima hebdomada Chriſti Domini Paſſioni, funerique interfuere maiori frequentia, nec minori pietate. Hanc autem perdere ſtuduit, qui cuncta perdere tentat Dæmon ſuo aſtu: vt Feria quinta Dominicæ Cœnæ in labro Aquæ Benedictæ Maximi Templi repertæ fuerint duæ Epiſtolæ, quarum altera monebatur harum Inſularum Præſes; in altera quæ reconditis iiſque Burneicis characteribus erat conſcripta; latere venenum: quippe quæ per Burneienſem Regem (vti fatebatur) exarata ſuadebat Principibus Indis Philippinis, vt à noſtris Hiſpanis, ſeditione facta, deſciſcerent,

ſinque

inque eos inſurgerent,velut in communes hoſtes, adfuturos Burneienſes, adiuturoſq; in omnibus ipſos Indos. Incuſſit quidem primo timorem epiſtola, dein in ſuſpicionem deuentum alicuius excogitatæ coniurationis: at Præſes vere prudens fidem nullam fictæ præbens Epiſtolæ, Domum noſtram adijt , vbi plurium rerum cum noſtris facta collatione,ſibi(vti erat)omninò perſuaſit, hæc ab aliquo ſeditioſo in vulgus iactata, inſigni cacodæmonis calliditate. Tribunus tamen vnâ cum Decurionibus armatorum militum manus duplicant ad fores Vrbis;vigilibus adiungunt ſocios , nec paſſi ſunt , plures Indos Vrbem intrare ad ſacras ſacræ hebdomadæ ſtationes de more obeundas, ſimulq; decreuere nullo pacto permiſſuros ſeſe , vt ſuburbani Indi die ipſo Paſchatis,vti antea conſueuerant, ſupplicationem inſtituerent ad maximum Vrbis Templum,in qua ſupra octo mille tunicati Indi incedere ſolent,cereis accenſis,ad Dominicæ Reſurrectionis lætitiam.Sed noſtrorum interceſſione facta illis facultas eſt ingrediendi in vrbem , à cuius iugreſſu ſolemni pompa Eccleſiam etiam noſtram inuiſerunt vniuerſi. Profuit quidem non parum Indis in hac altercatione, quaſi verè fidelib. fidere, quam fidem ni præſtitiſſent Hiſpani,haud dolorem tantum,ſed & falſum rumorem auxiſſent, futurũ aliquando non exigui detrimenti fomitem.

Inſeram nunc duo exempla non exigui futura prouentus.Litigabant inter ſe Indi aliquot de iuſta cuiuſdam Mancipij venditione, quam iniuſtam eſſe probauit euentus. Horum primus teſtem pro ſe adduxit mulierem , quæ etiam in ſeruitute manebat:

nebat : Hæc iuramento obſtricta per ſcribam (vt pro Domino ſtaret) conceptis verbis peierauit; ſed haud diu ſtetit iuſta Dei vindicta, quin tantum facinus debito ſupplicio compenſaret: vix namque pedes extulerat ex ipſa Regij ſcribæ domo, cum infœlix mulier in ipſo limine repentina morte oppreſſa, pœnas patrati facinoris nullo vnquam tempore liberanda dedit. Audi aliud mitius. Indus quidam nulla alioquin infirmitate præpeditus, languebat ſæpius ſumpto cibo, idque adeò, vt vbi primum comederat, cibum ipſum euomere cogeretur: accidit hoc non ſemel aut iterum; porro illum nulla repentini illius morbi cauſa mouebat angebatue: nam nec cibi qualitas, nec ſtomachi temperamentum, nec corporis conſtitutio morbum ſuadebat adeò celerem, aſſiduumque. Sæpius itaque intra ſe euoluit, quid nam rei hoc eſſet? vexatio tamen intellectum tandem dedit, nullamque aliam cauſam reperit, quàm quod vbi primum menſæ aſſidebat, ſe cibumue nulla benedictione præmuniret: probat ergo experimento, quod cogitatione probauerat, benedicit menſæ antequam cibum ſumat, nec mora, euanuit morbus, nunquamq; amplius ſtomacho laborauit.

Seminario D. Ioſephi præeſt Sacerdos duobus adiutus Fratribus, magno Collegarum emolumẽto, qui reliquis ſcholaſticis exemplo ſunt non exiguo, tum in ſtudijs, tum in moribus. Datum eſt ab illis Drama ſub Dominicæ Natiuitatis noctem ad tantæ rei lætitiam excitandam intra domeſticos tãtum parietes, præſentibus nonnullis amicis Ciuibus, Religioſiſque viris, nullo excitato rumore.

Verum

Verum ea animi alacritate ſuas quiſque partes peregit, eoque pietatis ſenſu recitatum ab illis eſt, vt percrebeſcente fama, coacti ſint noſtri illud iterum dare in Aula maxima ſub veſperum renaſcentis Anni, Regio inſpectante ſenatu, Religioſis Ordinibus, totaq; adſtante Republica, non ſine Alumnorum laude, audiẽtiumq; prouentu atq; lætitia. Sed hæc de Manilano Collegio.

ANTIPOLANA SEDES.

INcolunt hanc Sedem tres Sacerdotes cum trib. fratrib. (ſi duos ex illis numeres, quib. Collegii Manilenſis Armenti cura demandata eſt) his adiunctus eſt Hiſpanus homo, qui multis ab hinc annis noſtris adiumento eſt & exemplo.

In hac ſede ſuperiore anno primi Tirones per aliquot menſes ſuo muneri vacarunt; nunc verò huc etiam ſe contulere è noſtris quatuor, qui tertio Probationis anno operam nauant adhuc, adiuncto eorum Inſtitutore. In cauſa eſt, ſedem hanc ab Vrbe, ac proinde à ſtrepitu eſſe remotiorẽ: Quia tamẽ diuturniori tempore in Manilaño Collegio Tirocinium exercere ſolent noſtri, ideo illuc recenſendi videntur.

Quod Deo cedat in honorem, fræno potius egent Antipolani, quàm calcaribus in his quæ ad pietatem pertinent, frequentemque ſacramentorum vſurpationem. Singulis ſextis ferijs toto anno (quod & Taitaiani faciunt) ſub noctem vltrò ſe verberant in Eccleſia noſtra viri, præuio quinquageſi-

geſi-

gesimo Psalmo concinnè, ac piè decantato, mulieres verò idem in suis quibusque domibus peragunt diligenter. Quadragesimali verò tempore voluntariam hanc verberationem frequentius exercent : Diebus vero ijs, quibus Dominicæ recolitur memoria Passionis, supplicationem ducunt vniuersi præuia concione, non sine fructu aduenarumque admiratione, quibus hic pius vsus haud etiam notus est. His Christianis exercitationibus instituti, præcipuisque aliorum exemplis edocti facile cedunt iræ, iniuriosè habiti non respõdent, dissidentes inter se conciliant, lapsis præsidio sunt, sibique viam ad omnem pietatem sternunt lubenter, castimoniam tutantur egregie, illud in ore habentes, quæ ab aliis solicitantur mulieres. Memorare nouissima: Memorare iussa Patris.

Per mensem alia, dæmone instigante vexata, vicit tandem victa spontaneis verberibus, quibus se volens eo tempore afflixerat cædens. Duos Indos, eosque aliàs pios, in desperationem adduxerat desperatorum Pater : Alteri desecto prius laqueo factus est pœnitentiæ locus : Alter verò cum sibi violentas manus iniecisset vitæ pertæsus, seque venia indignum iudicans, quater desperauit, sed quater etiam per Sacerdotem nostrum confirmatus, mortem quam sibi consciuerat, verè tandem contritus obiuit. Fœliciorem tamen sibi comparauit exitum certioremque recens natus infans, qui matre barbara huc forte aduectus, sacro tinctus baptismate, cœlitibus adnumeratus est, flos è spinis ortus, nec tamen solus: siquidem alij etiam hoc potiti sunt exitu à Gentilibus parentibus huc vecti,

cœlo-

cœloque post baptiſmum euecti. His additi ſunt (quæ ſunt cœleſtis indicia fati) ſenes aliquot, qui licet inueterati dierum malorum eſſent, ſingulari tamen Dei beneficio inter electos, vti credere dignum eſt, adnumerati per ſacrum hoc lauacrú, cœlitibus ſunt adſcripti.

Senex quidã belluarum more per montes curſitans potius quàm incolens, morbo adactus, huc adductus eſt, in Hoſpitali domo inſtructus, ſacro baptiſmate luſtratus lætiſſimè ex hac vita migrauit, illud filijs teſtamenti loco legans, vt quàm primum Chriſto D. nomen darent. Eundem ſortita eſt exitum alia mulier ætate grandior, ſed baptiſmate ipſo fœlicior, morteque ſubſequente fœliciſſima, per quam ſibi ad Cœleſtes epulas aditum patefecit. Hos ſecuti ſunt alij duo, quorum alter ſenex centũ fere annorum, alter verò dœmonis Sacerdos (patria lingua Catolonan) erat; vterque à Deo ſupremo vitæ tempore vocati, prior tamen ſuſcepto batiſmate vitam peregit, poſterior morbo oppreſſus, in Chriſtianos vocatus Chriſtianorum vitam imitatur.

Indus ille Dalos nomine, de quo anno ſuperiore ſcripſeram, duabus noctibus, tribuſque diebus ſub Papaienſi arbore (à qua miraculoſe radicitus euulſa ob factam Cruci iniuriam, quæ ad arboris cuſtodiã erecta fuerat, oppreſſus ac ferè necatus eſt) iacuiſſe nullo potu aut cibo, aut ſocio recreatum, quin exeſo veſtitu, tergoque decorticato, ſeu formicis ſcatentibus obroſo: Ille, inquam, aliquãdo ſapiens, vt ſtaret promiſſis Deo ſub arbore factis; huc ſe cõtulit hoc anno, vt Chriſtianis præceptis imbutus

inter

inter Christianos tandem adscribatur. Discit nunc fœlix, fœlicior postmodum futurus: mirumque est quam ingenue suam fateatur audaciam in Cruce reuellenda, quamque probe perpendat Christianorum fidem, qua vel vnico ligno aut arundine in Crucis formam erecto, tuti securiq; res suas omnes illi custoditas relinquunt.

Iam frequenti vsu communia facta sunt Dei Optimi Maximi collata per Ignatium prægnantibus beneficia. Hinc aucta est in reliquos etiam Sanctos reuerentia, quos singulis quibusque mensibus (hoc præcipue anno) sortiri solent adiuncti sodalibus Oppidani. Hinc etiam percrebuit religio illa, qua festos colunt dies eosque venerantur, hoc forte docti exemplo.

Indus quidam festo die paleas in fasciculos adactas congregat in campo, petita quidem, non tamen obtenta facultate, (has super aratam terram sternunt, aptoque tempore si crementur agros fœcundant) Porro Indus parui pendens Dei mandatum, perseuerat in cœpto: interim obnubilato Cœlo, factoque tonitruo, grandis decidit imber, moxque fulmen subsecutum congestas paleas, haud renitente pluuia absumit, nulla alia re læsa. Hunc perterruit fulmine Deus; sed sequentem morte confecit. Concubinatum exercuerat Indus, pluribus annis nullo remedio, licet sæpius adhibito, nec loco pulsus locum pœnitentiæ dedit, quin potius certum sibi tempus selegerat, quo nullo arbitro, nulloque teste, vetitam sibi domum frequentaret ad luxum: Tenuis illum tandem aggressus est morbus, quem & miser contempsit, interrogatus

tamen à domesticis, num vellet confessione sacra peccatorum maculas eluere; abnuit ille, morbum pro nihilo putans: sed breui is fuit, vt absque vllo sacramento interierit infœlix occulta Dei iudicia manifestans.

Placuit Domino sedem hanc miraculosa Cruce (de qua anno præterito scripseram) ditare, cuius virtute ea omnia patrata sunt, quæ de Dominica ipsa Cruce Diuus enarrat Chrysostomus. Idolorum nempe illam esse perniciem, malorum interitũ, infirmorum salutem, solamen bonorum, sitientiũ deniq; saturitatem, refrigerationemque. Itæ plurimi (Barbarorum genus est) Crucis huius mirabilibus euentis allecti Christianam fidem amplexati sunt, qua antiquus Idolorum cultus paulatim euanescit. Scripsimus iam, Barbarum quendam Botaum nomine odio in Christianam Religionem percitum, dum Crucem hanc loco mouere, alioque transferre tentaret, cœlesti supplicio lingua introrsum acta insaniuisse: Verum pœnitentia deinde abductum, sano iudicio, linguaque haud male vsum conspeximus; hinc dato illi agro ad seminandum, domoque ad habitandum ei à nostris exhibita in Oppido Diui Iacobi, profecit aliquantulum: sed montes tandem appetens magis ac syluas quam Oppidum ac veram Religionem, sui ipsius iterum oblitus aufugit. Illum tamen Deus balbutienti lingua punitum reliquit, quo veluti assiduo supplicio edoctus aliquando resipiscat, quiq; Crucem contempsit maledictis, eam tandẽ fidelis benedictis prosequatur & colat. Haud tamen ita qui sequuntur, munerati sunt.

Laborabat tertiana febri Laurentius Indorum pue-

puerorum præceptor: inuaſerat enim illum frigus ea die præcipue, quo ſacra Crux in noſtram Eccleſia populo inſpectanda dabatur, audit companarũ pulſum, cupienſq; Crucem adorare; è ſtrato ſurgit, Eccleſiam vt poteſt adit, Dominicum ſignũ colit, adorat, exoſculatur, extemplo febris abſceſsit, ipſeque ſanus domum redit. In Taytayenſi Oppido oculari morbo affligebatur Inda quędam Catharina nomine, quæ ſuperponẽs oculis exiguum Crucis fruſtulum ſanata eſt. Maria Dini Antipolana ſanguinis fluxu languida decumbebat, ſed eam imitata mulierem, quæ Chriſti Domini fimbriam tetigerat; huius attactu Crucis ſanitatem recepit. Sed & altera Maria Lingẽſis periculoſo ſanguinis vomitu laborans eodem medio ac remedio priſtinæ valetudinĩ reſtituta eſt.

At nec Crux tantum ſalutaris eſt, quin & terra ipſa, in qua Crux alte effoſſa prius fuerat, ſalutem præſtat aſsidue. Effluxerat è naribus ſanguis longo tempore cuidam è Sancto Iacobo, nullumque ei profuerat remedium: adhibita eſt Terra hæc vni narium foramini è quo ſcatebat ſanguis, qui ſtatim ſtetit: ſed vt probaretur miraculum, idem ex altero foramine proſiliit; applicatur Terra alteri, moxque ceſſauit vtrinque profluuium, periculumque. Auriculari morbo afflictabatur Manilæ Hiſpanus quidam Ciuis: altera namque eius auricula oppleta vermibus ſcatebat, æquo periculo ac dolore. Vbi primum audiuit diuina hæc per Crucem Indis medicamina concedi; exiguam Terræ particulam immittit in aurem: mox vermes quaſi Dei voce audita à corroſione ceſſant, nec ta-

men abſcedunt. Verũ Hiſpanus pollicetur, ſe Crucem ipſam (quæ ab Vrbe Manila ſeptem leucis aberat) inuiſurum, cereoſq; ante altare accenſurum, quo facto emortui cecidere vermes, dolorq; omnino cum ægritudine abſceſsit. Puer duodecim annorum ex Oppido Sancti Matthæi altera manu exulcerata angebatur, Terra tamen hac ſuperpoſita, ſtatim hulcus reſolutum eſt, cicatrice tantum teſte relicta. Hucuſq; hæc alma Crux infirmitatum remedium fuit aptiſsimum; in his vero quæ ſubdam, fons ſalutaris extitit ad nocuam extinguendam ſitim.

Ægrotos duos domus vna habebat: Confecerat alterum (huic nomen erat Laurentius Banalius) ſtruma ſtomacho hærens, pernicioſam illi afferens ſitim; nullo potitus remedio humano, diuinum hoc ſibi applicuit: epota namque aqua puluere immixta Crucis, ſubitoque ſtruma deficiente ceſſauit ſitis. Huius vxor vulnere in poplite accepto, inceſſu prohibebatur, ſed viſa mariti ſanitate, eundem imitata, ebibit eodem modo ſacram Terram, nulloque alio medicamine conualeſcens, incedere potuit. Moribundus iacebat alius nulla vitæ ſpe, potat hanc aquam terræ permixtam, ſtatimque ſanus euaſit. Diu ſtomacho laborauerat mulier, hac tamen potione ſalutari ſanitati reſtituta eſt. Verum his ſimilia plurima ſilentio obuoluimus. Sed nec dum epota Terra profuit adhuc. Afflictabatur mulier ob inſtantem infantis nati mortem, quam nullo pacto effugere illum poſſe perſentiebat dolens, immiſcet aquæ Terram Deo fiſa, natumque abluit, qui ſingulari matris lætitia integer ſanuſque paulo

poſt

poſt apparuit: at mater grata huc ex Oppido haud parum diſſito ſe contulit beneficium relatura, daturaque gratias. Alia mulier ex eodem quo ſuperior Oppido, tumore lippa, alteraque corporis parte emortua, eodem lota lauacro conualuit. Simili etiam lippitudinis morbo curatus eſt Indus è Sancto Iacobo non diſſimili remedio.

Iam vero qui Crucem ſuperioribus ſæculis mũdo celebrem, æſtimabilem Angelis, Dœmonibuſq; formidabilem dederat Deus; idem eandem nunc decorat quotidie, ac extollit: nec illa de qua huc vſque egimus, decorata contentus; plures alias nouo huic Orbi, Inſuliſque vltimis conceſſit, de quibus Deo dante anno ſequenti ſcribemus. Secundam tamen huic adnectam, cuius hæc accipe initia.

Gentilis quidam barbarus Paricus nomine, gente Ita, ſub noctem, hoc anno vna cum vxore, tugurio relicto ad agrum ſe contulit ibi dormiturus, cũque ligna ad exiguam cœnam coquendam in ipſo itinere quæritaret; forte incidit in Crucem arundineam, quæ ob diuturnitatem eam præferebat ſiccitatem, quæ igni aptiſſima cenſebatur (Sunt in his Inſulis prægrandes arundines longitudinis ac craſſitudinis longe quam credi in Europa poſſit, quippe quæ domos ipſas columnarum vice ſuſtinent, atque ad quæcunque leuanda pondera trabes ſuperant ligneas) Hanc barbarus Crucem vetuſtate pene dirutam proſternit, mox arripit vt raptet, ſentit vim Cruci hærentem, ſed vim vi repellere nititur: attamen fruſtra bis terque contendit, nec mouetur Crux, ſtupet arundinem aridam facile à ſe effoſſam, raptatu faciliorem loco dimoueri à ſe

non posse: adhibet iam quater quadruplicem vim; stat tamen Crux, nec desistit ille, omnia circum lustrat, inspicit solum, scrutaturque diligenter, num ibi res aliqua sit, quæ leuem Crucem vel retardet,, vel aggrauet magis, sed nil reperit: hinc audacior factus, sibique probro ducens ab arundine vinci; vim quinto adhibet maximam: at miser labentibus manibus, retrorsumq; cadens, in foueam non longe dissitam sibique ignotam cadit. Accessit vxor testis facinoris ac supplicii, extractumq; vti potest manu ducit hac illacq; amentis more gradientem. Peruenere tandem ambo ad agrum quo tendebant: Barbarus verò insaniens magis per quinque fere horas ad summam vsque noctem obuias quasq; siue herbas seu arbores, plantasué euellebat furens (Hac etiam pœna damnauerat Deus Botaum barbarum, qui vt dictum est, priorem effoderat Crucem) Haud longe aberat mulier quædam Christiana, quæ de re facta certior, Gentilem de temerario ausu reprehendit, dein timorem incutit, suadetque vt veniam postulet de tanto patrato crimine, placandumque fore Deum, cuius summa misericordia reliqua eius opera longissime antecellit. Paret dictis barbarus, moxque quasi è somno euigilans pudore suffunditur, & pœnitudine ducitur; quiescit paululum reliqua noctis parte, mane tamẽ facto, dum surgere è stramine potius quam è strato contendit, nequit. Sed facta pollicitatione, sacro, vbi primum poterit, baptismate lustrandum; extemplo surgit incolumis: nec multo post ad nostrum Oppidum se contulit cum vxore, remque vti se habebat, enarrat. Pater indicta supplicatione

Crucem

Crucem adiit cum vniuerſa incolarum multitudine, quam facile ſuſceptam, humeriſque deportatam, in noſtro Templo ad prioris Crucis Leuam collocauit. Indus verò ſapiens aliquando, ſuoque periculo edoctus, Chriſtiana inſtituta edocetur lubens: Crucem verò Deus miraculis coruſcantem, veluti filii nobile ſignum, decorat, illuſtratque quotidie. Ex his Clara Bingotia acerrimo colli dolore vexabatur, dum cæteris remediis nullatenus proficientibus, paululum Terræ, in qua Crux fuerat erecta, à ſe ſumptum dolori applicat, liberam ſe ſtatim omni infirmitate ſenſit. Vnde factum eſt, vt vtraque Crux ab Indis pari deuotione venerari cœpta ſit.

Ad Antipolum ſpectat Taytayana Domus. Quare quæ ad virtutem faciunt, haud minori animi ardore alacritateque perficiuntur in hoc Oppido; quod ſicut Manilæ propinquius eſt, ita etiam vrbanitatem, humanitatemque amplectitur facilius: Pietas tamen quæ Antipolanæ genti inſidet, hucuſque etiam ſe, tanquam è capite manans, protendit. Vnde nec caruit hæc Domus Cruce (de qua ſequenti anno,) nec Crucis beneficiis orbata eſt.

Zaytayenſis Indus graui oppreſſus morbo periclitabatur: auxit periculum ſecta ſupra auriculam capitis vena, è qua per nouem dies noctesq; ſanguis tum in ſtillæ morem, tum celerius effluxit ea quantitate, quam vix duæ caperent ollæ; exanguis iam videbatur & abſque remedio: expiatis ergo criminibus, ſacroque percepto oleo (vis n. morbi cœleſti

pabulo locum denegauit) animam agebat: delata est ei Crucis prioris particula, venæque applicita, substitit sanguis, pauloq; post præter omnium spē conualuit sanusq; factus est.

Ea sunt quæ de hac admiranda Cruce euulgantur, vt quæ prætermittenda vellem, ea huc adiungere cogar: finem iam imposueram his quæ ad Antipolum attinent, cum ecce de Taytayana domo scribentem me interpellant tres Indi ex Oppido Diui Matthæi (pertinent hi ad Patres Augustiniani Ordinis) quorum prior sequentes duos adhibet huius miraculi testes oculatos. Acuta, inquit, laborauveram febri, sensusque iam pene defecerat, altera corporis parte emortua: iam me loquendi vis deseruerat, nullumque penitus agnoscebam. Sed ecce dum emortuæ parti apponitur Terræ sacræ particula, ipse quasi è somno euigilans, reuiuiscente corpore, cunctis admirantibus surgens steti, non minori domesticorum lætitia, quam mei ipsius stupore; quippe cui paulo ante extra sensus facto, funebre linteum parauerant propinqui. Hæc ille, qui tum integris omnino viribus Crucem inuiserat, oblatis in gratiarum actionem quatuor cereis. His nuper adiuncta sunt decem alia miracula, quæ breuitati studens prætermitto. Sed ad Taytayum regrediamur.

Ex his, quæ de sacra Cruce & audierant & experti fuerant Taytayenses; iniectus est illis animus Crucem pro viribus extollere. Vnde quo magis Gentiles illas tentarant effodere; eo magis hi Cruces alias atque alias erigere curarunt: sicque prægrandes passim in ipsis publicis itineribus fixere,

quas

quas varijs circumornarunt in cancelli morem arundinibus, vel ſaltem plantis circum ſatis cohoneſtarunt. Idem præſtitere in Oppido ipſo, nocturno dæmonum ſpectrorumque terrore perterriti, qui nunquam hactenus incuſſus eſt ab eo tempore, quo Crux in foro præuia ſupplicatione, apparatuque ſolemni erecta eſt. Sed haud minor eos terror inuaſit mors inopina cuiuſdam (ex inimicis ſiquidem Crucis Chriſti erat) inter eos noti, non tamen oppidani. Hic pridem ante legitimum Iudicem peierauerat in damnum alterius innocui Indi, malo eorum qui aderant exemplo: ſed breui luit criminis pœnas: ſequenti namque die, proximum huic Oppido lacum piſcaturus ingreditur parua cimba vectus, dumque piſces periurus expiſcatur, repente fit Crocodili illac enatantis præda, nullo penitus opem ferente. Hos Crocodilos vocant Dei ſatellites: ſed qui ranis ipſis Vrbes antiquitus terrebat ac regna, haud quidem Crocodilis eget. Exiguo piſciculo vſus eſt paucis ante diebus ad pœnam vnius, qui altero Reſurrectionis Dominicę die piſcatum iuerat ad flumen ſuo Oppido propinquum. Hic proiecto ſæpius hamo piſces ceperat aliquot, inter quos vnus exiguus quidem ſed ſpinoſo (vnde Matini, hoc eſt, ſpinoſus vocatur) illacque ſaltitabat viuus ſed vulneratus, ad fluminis ripam. Verum ne iterum flumen ſaltando peteret, illum altera captum manu (arundine occupabatur altera) ori approximat Indus, quo eius caput dentibus terat, ne iterum effugiat. Vix illum applicuerat ori, cum è manibus elabens piſciculus, fauces vſque penetrat piſcatoris, ibique hærens moritur mortem afferens

conterenti. Vere quidem illud dictum: Nescit homo finem suum, sed sicut capiuntur pisces hamo, ita peccatores in die malo. Malum siquidem ei fuerat aut diem festum non coluisse, aut peracto Paschali die nondum crimina per Confessionem expiasse. Quicquid tamen fuerit in causa, haud quidem nobis certum est: illud sine dubio firmum, eos qui Dominico famulatui deseruiunt, Dominum sibi in rebus arduis semper habere propitium; quod sequens probat exemplum.

Hoc Quadragesimali tempore, peracta sub noctem consueta corporum verberatione; placuit Primariis Indis, (deuotionis, ac humilitatis ergo) Duci præcipue ac Congregationis Præfecto, reliquos Indos inuitare, vt lapidem quisque pro viribus ad superiora Templi construenda, humeris deferret. Placuit hoc cunctis: primus itaque Dux cum Præfecto onerati lapidibus, (inscio Patre) locum conscendunt. Verum ne obscuritas esset offendiculo, Dux nato puero imperat, vt cum lumine in infimo scalarum gradu scandentibus profuturus præstoletur: idem imperatum est alteri puero in superiori parte stanti. En statim oneratus alius Indus prægrandi lapide (trium erat longitudine ac latitudine palmorum, crassitudine vnius) solus scandit: peruenerat iam ad vltimum gradum, cum excedens cum homine lapis Ianuæ exiguitatem, superiusque eius limen offendens, Indum retrorsum impulit, qui cum curuo corpore sese inclinasset aliquantulum, grauitate ponderis onustus cedit lapidi, quo per scalas ruente ipse etiam corruit. Hinc pueri ad scalas edito clamore, mortuum vociferantur hominem,

nem, per ſcalas præcipitem datum, quemque lapide percuſſum, iacentem conſpexerant in ſolo. Accurrunt cum Patre de caſu monito Dux, quique ibi aderant Primarii, ſodalesque, & quem iam vere mortuum putabant, hunc ſtantem conſpiciunt inter vtrumque lapidem, (lapis namque caſu ipſo in duas partes confractus medium habebat Indum) nullo vulnere, nullo damno accepto incolumen ac pene ridentem. Miraculum inclamat, hominem tot gradibus agitatum, ſupino corpore præcipitatum, mox præcedente lapide, mox ſubſequente, non modo non confectum, ſed nec tantillo vulnere tactum. Auxit rem, nullum alium Indum tunc temporis eoſdem gradus ſcandiſſe, cui quidem nihil boni accidiſſet, poſt hunc ſcandenti: Diuina etiam prouidentia factum eſt, vt puer qui in inferiori ſcalarum parte lumen geſtabat, inde prius recederet, lapide ipſo ruente, percutiendus ſi ad fuiſſet.

Diui Iacobi (cui à Cruce nomen eſt) Domus Antipolanæ adnexa eſt. De hac hæc accipe. Itârum gens barbara, quæ nullo veſtitu, nulla domo, nullaque lege tenetur, abdita ſyluarum penetralia tantummodo luſtrans; Cum cerneret, noſtros nō-nullorum Patrum morte abſumptorum haud quaquam terreri, quin & Societatem ipſam velle Chriſtianos eo in Oppido (quod non longe ab Itarum tuguriis, antriſue diſtabat) commorantes in ſemel arrepta Religione perſiſtere. Quare licet conſtans fama eſſet Indorum veneno è medio ſublatos è noſtris nonnullos, haud quidem deſtitimus ab incepto, ſed Domum noſtris priore firmiorem diuturni-

turnioremq; parabamus, Ecclesiam postmodũ instauraturi, non exiguo Christianorum incolarum gaudio. Porro Itæ Christi fidelium incrementis inuidentes, dolentes Idolorum casum, furore perciti ineunt inter se fœdus, factoq; multiplici Anitis (dæmonibus videlicet ac spectris) sacrificio, iureiurãdo se astringunt, quo Ecclesiam Domũq; nostram flammis sese tradituros fore promittunt, mortemque si fieri possit Patri se allaturos pollicentur, quod si concremata aliquando à nostris iterarẽtur, iteraturos se conceptum facinus spondent, licet decies Ecclesia cum Domo construeretur ab Indis: nolle se, aiebant, Christianorum Deum apud suos Deos sedem habere; nolle Christianos Indos ibi habitare; nolleque Patres, qui vel Christianis aderant, vel Gentiles instruebant, ibi commorari: pœnitere se maxime asseuerabant, suos olim natos sacerdotibus nostris tradidisse, vt baptizarentur. In huius autem odii confirmationem Indos aliquot Christianos occiderant, combustis eorum domibus: alium sagittis confoderant in agro solum : alium etiam iugularunt, caputque in sepultura demortui infantis baptismo recens lustrati (tanquam in mortis vindictam) condiderant: pluresque alios Christianos tum vi, tũ precibus secum abductos à Christianis sacris, Oppidoquoque amouerant; è nostra tandem potestate filios abstulerant; hæcque omnia aliaque similia nec semel nec soli exercuerant iam: nec tamen contenti, in nostræ etiam fidei contemptum non semel Crucem Sanctam eluserant, licet suo damno : nam eorum vnus væsanus factus est, lingua in fauces recepta; alter Cocles altero oculo caruit;

caruit; tertius cum tota familia graui & oblongo morbo absumptus fere est, dilectoque filio eoque gentili orbatus, aliique alia experti sunt diuinæ supplicia vindictæ, de quibus latius egimus supra, superioribus annis: Iam verò haud meliores effecti Itæ alieno exemplo, cumulum suæ impietati addiderũt vnico facto, quo Ecclesiam, quo Christianos, quo Patrem, religionemque nostram omnino perdere decreuerunt. Porro res tota (vti ex litteris P. Angeli Armanii ibi tunc degentis accepi) sic se habet.

Ad me nudiustertius venerunt Itæ aliquot ex primoribus huius montis, quorum filii iam olim Christiani à nostris Patribus facti (parentibus ipsis consentientibus) in hoc nostro Oppido morabantur. Hos inscius patrandi sceleris (siquidem me perdere tentabant) bene accepi: ipsi vultu verbisque rem simulantes, odiumque retegentes, bisterque hac sola hebdomada inuiserunt: Interim hac occasione domum inspiciunt lustrantque submurmurantes: domui vero vltima tunc manus imponebatur. Solus ego in edito colle atque ab Oppido remotus habitabam: sed Deo bene fauente, eorum nullus in me manus iniecit; domesticis forte territi Indis, vel quod verius est, Deo ipso deterriti, rem haud quaquam hanc perpetrare ausi sunt. Decernunt ergo noctu conceptum scelus perficere. Tres ex audacioribus, nocte ingruente (quinta Aprilis dies erat) in posteriori domus parte, vbi nullus testis, nullusué obambulans aderat, summam præstolantur noctem, cuius silentio protecti ignem accendunt, fricato sæpius vimine (Iantocum nominant) excitatum, mox in ipso sagittæ mucrone, patrio

more,

more, conclusum iaculantur. Tres illæ fuere, quarum prima supra cellulam antiquæ domus, in qua morabar immissa est; secũda ac tertia hinc atq; hinc iactæ domum subito inflammarunt: fauebat illis Fauonius ventus, vnde breui ligna, arundines ac paleæ aptissimæ igni materiæ nullo negocio arserunt. Ipse ad ardentium arundinũ crepitum expergiscor, sed nec malum suspicans, iterum recumbo dormiturus, mox maiori crepitu territus surgo igne circumdatus: aderat nullus qui ferret opem: distabat namque ab Oppido domus, domesticiq; Indi haud prope somno sopiti iacebãt. Vix mihi induendę tunicæ locus datus est. Scriniũ tamen, in quo nonnullæ Sanctorum Reliquię ac libri cum chartis erant, citus arripui, dein descendi ad Ecclesiam, vnde ablata Cruce recta me ad Oppidũ cõtuli: hinc experrectus æditumus dat ære campano signũ: aduolãt statim Indi, Indæ, pueriq; vniuersi multa aqua onusti Patrem deplorantes, quem non viderãt; scandunt tamen vtriusq; domus Ecclesiæ tecta; vim furentis ignis reprimunt aliquantulũ, non tamen comprimũt, quin debacchante iã flamma aufugiunt timidi, audaciores fugantur, è tectis nonnulli decidunt, nonnulli ẽt vulnerantur. Quare breui spacio Domus vtraque, Templum, aliæq; proximæ ædiculæ nostræ, cũ vniuersa fere suppellectili absumuntur. Columnæ duæ ligneæ, q̃ in medio Templo mediam antea Crucem habuerant, immunes ab igne perstiterunt, non sine spectãtium admiratione, qui reliqua omnia, iniecta prius aqua, sed sine prouentu, tutati fuerant (Crux hæc, de qua meminit Pater, ea ipsa lignea est, q̃ tribus ab hinc annis ereptã Barbaris, miraculisq; coruscantem, ad

tem, ad Antipolanũ Oppidũ ſolemni ſupplicatione p duas fere leucas idẽ portauerat.) Porro columnæ hæ duæ igni ipſi ꝓximæ, fumo tãtum fœdatæ ſunt, crematis iis omnibus tabulis, q̃ illis à tergo trãſuerſæ inhæſerant, clauiſq; affixæ, quam rem Oppidũ totũ teſtatur. Incendiarii a. Itæ, reliqua tota nocte errantes hac illacque vagi fugerũt, ſed ſemꝑ prope Oppidũ nullo prorſus agnito facti prius itineris veſtigio: Mane tamen facto feſsi iam ipſo ſole duce, ad ſuos nondũ à noſtris pro facinoroſis habiti regrediũtur. Interim Oppidani mihi potius vacantes quam ſibi, arreptis armis non abſq; præuia coniuratorũ ſuſpicione, me etiam inuitum non ea tantum nocte, ſed pluribus aliis ſubſequentibus cuſtodierunt libẽter: ipſe me ad Oppidi carcerem contuli, quem pro domo atque Eccleſia habui per aliquot dies, renitentibus quidem Indis, qui proprias libẽter domos obtulerãt: ibi etiam ſacra peregi, donec alia breui tempore ab illis conſtrueretur Eccleſia.

Vulgatum per eos dies eſt, facile poſſe manus in Incendiarios iniici. Itaque me inſcio, ſimulatoque opere, montes luſtrant Indi, eademq; die, per fraudem Itas arripiunt aliquos, ſed triduo poſt incendiũ eorũ Anteſignamus Dauuid Oppidũ furtim ingreſſus (dies erat Palmarũ benedictione ſacer) facinus ab ſe patratum rei admiratione ſimulat; domumq; ſimul, in qua filia virgo Chriſtiana habitabat, aſcendit, eandem poſtmodũ (vti mihi faſſus eſt) ſecũ abducturus ad patrios lares. Sed miſerà nõnullis conſpect⁹, breui ab vniuerſis in eadẽ domo obſeſſus eſt. Aberã inde non longe, vnde audito Indorũ clamore accurri celer; ſed ecce arreptũ Itã ex edito domus illius

illius loco in terram deiiciunt, vulnere in fronte acцepto; dumque proſtratum armis impetunt, lignis, ac calcibus, eum præ miſeratione tutari cœpi, nonnullis per errorem acceptis fuſtibus. Sed quis irato Populo reſiſtet? Dei benignitate factum eſt, ne eum in fruſta diſſecarent. Comprehendunt tamen illum, mox vinctum, me etiam renuente Manilam adducunt, Præſidique ſiſtunt nocentem. Ipſe hoc periculo ſuperato, paulo poſt in aliam Itarum manum incidi noctu iter faciens, ſex armatis Indis comitatus, ſed Deo etiam bene tutante, eorum manus euaſi: & ecce viuimus. Hæc ille.

Porro plura ex hoc incendio bona manarunt; Primo namq; ex tribus Incendiariis vnus Manangla ætate grandior carceri Manilano mancipatus morbo opprimitur; inde ad Hoſpitalem domum aſportatus reſipuit, ibiq; ingraueſcente morbo, baptiſmateq; ſuſcepto, Chriſtianus interiit. Deinde huius affines, Dauuidiſque vxor, fratres, aliiq; multi Itæ ad noſtros conuolarunt, qui promiſſa venia illos aduocauerāt, breuique relicta cum priſtinis tuguriis idololatria, Chriſtianiſque elementis initiati, ſacro baptiſmate tincti ſunt ad ſexaginta: nec multo poſt ipſe Antipolum inuiſens quinque ſupra viginti alios Itas ſacro fonte luſtraui. Plures præterea ex iiſdem ad noſtros confugerunt, quo ſe facilius à Regiis militibus tutarentur, quos fama erat ſyluas illas ſpeluncaſq; adituros, ad facinoroſorum Gentilium ſupplicium ſumendum. Eorum tamen princeps Dauuid morti à Regio Senatu adiudicatus, cœleſtis lauacri aqua conſpergi deſiderans, illud accepit reſponſum, nequaquam ſe tanto deſiderio

frustrandum in vltimo agone suppliciove. Nec parui etiam momenti fuit illud, vt Oppidum ex insalubri loco ad alium salubrioris Cœli hoc ipso incendio à nostris transferretur, cui nomen datũ est à Cruce Diui Iacobi, ob sacram illam Crucem, quæ in eius finibus, vti diximus reperta iam pridem est, quæq; nunc inde asportata, in Antipolana sede degens assiduis coruscat miraculis.

MANENSIS DOMVS.

HAbuit hæc Domus tria Oppida, (quæ nunc in vnum coaluerunt) sed præcipua eius sedes Silanica fuit, vbi sacerdotes duo cum fratre Adiutore degunt, assiduis societatis nostræ muneribus occupati.

Hoc anno, quo die anniuersaria est Christi Corporis memoria; eodem in nostro Templo collocatum primo est Augustissimum Domini Sacramentum solemni apparatu, concentu vario, multiplici Indorum saltatione, præuio Dramate, quo Cœlestis illius Panis mysteria Tagala lingua declarabantur, quoque etiam in Romanæ Ecclesiæ dignitatis, maiestatisque cognitionem facile poterant deuenire. Sed quod auxit omnino tanti Hospitis cupiditatem, non tantum fuit assidua eius meditatio, frequentiorq; quam antea eius vsus; verum & multiplex recuperatæ salutis experientia. Tres nouimus inualescente iam morbo sacrum sumpsisse viaticum, eoque sumpto melius se habuisse, breuique conualuisse; quorum vnus supremo iam die instante, triduo pòst sanus appa-

ruit, cui parens, mutato antiquo cognomine Songnaya, eum deinceps Paquinabam (communione bene vsum significat) appellauit, in eius Sacramenti memoriam, quo ablata prius, dein ei restituta est sanitas.

Moratur hic Indus quidam Cœcus. Cœcum Indum, cœcamque mulierem magistos habent pueri ac puellæ, quibus nullus in his, quæ ad animum spectant, est in hoc Oppido perspicacior, probati nominis vereq; Christianus. Optauerat hic Sacratissimæ Hostiæ species agnoscere, quas nunquam viderat, nec frustratus est desiderio: nocte enim quadam sibi visus est, videre Dominũ magna quidem luce, nec minori maiestate, fulgẽti illa Hostia quasi pallio quodam coopertum, cuius rei admiratione maiori etiam erga tantum Dominum reuerẽtia cumulatus est. Sed qua sit puritate tantus Deus recipiendus, probat non parum quod subdam exemplum.

Mulier quædam haud longe ab hoc Oppido commorans, institit plurimum apud sacerdotem, quo tanti sacramenti particeps fieret: examinata probe respondit: interrogata fecit illi satis; sicque dispositæ (vti videbatur) cœleste pabulum exhibitum est, post hæc accipit illa bis aquam ad ablutionem, vt aiunt, faciendam; vt hostiam scilicet facilius deglutiret, quæ eius palato hæserat: sed frustra; dissimulat tamen in Ecclesia constituta: mox domum reuersa multo se implet cibo ac potu, manibusque ipsis vti potest, studet, quo sacramentum ad stomachum traducat, nec proficit. Hinc angustiæ, ac post angustias tremor validus

occu-

occupat ossa nocuæ mulieris, quæ deficiente animo nullam capit quietem. Nobilem pro posse adit mulierem, eiq; rem narrat doloribus agitata; nec minus timore perculsa. Audit Christiana mulier temerarium alterius mulieris ausum; sed ne sacerdotali munere videatur fungi, eam secum ad Ecclesiam adducit, euocatoque sacerdoti rem vti erat narrat. Sacerdos malum suspicatus ei in hæc verba respondit (visa prius per accēsam candelam in eius palato prope fauces hostia salutari.) Haud casu factum est hoc filia: nequaquam secum patitur crimina Deus, non volentibus tantum, sed verè pœnitentibus se libenter insinuat. Si quis tamen aut audax, aut peccatis onustus, aut falsus pœnitens, aut simulans tantum audet Dominum attrectare, haud quidem diuinas eius effugiet manus. Quid tibi nunc acciderit tu melius nosti; hoc non casu factum existimés, sed Diuino forte supplicio erudiris ad saniorem mentem. Heu (illa suspirans) me miseram. Superbia potius me ad Dominicam mensam inuitauit, quam bene de Deo merendi cupiditas. Multis iam obstricta criminibus, maximo nunc me obstrinxi, Dominum peccatrix accipiens: & quid de me fiet, ni resipiscam? patrata per me plura crimina iamdiu silentio obuoluta, haud quaquam sacerdoti sum confessa, hæc gemens. Ne diffidas inquit sacerdos, facile tibi remediũ paratur, si obuoluta detegas: hæret forte in faucibus Dominus, vt præstoletur te in melius mutandã, strangulaturus alioquin impœnitenté: nouit siquidem Deus mutare sententiã, si noueris emendare delictum. Emendabo, inquit

mulier, delictum, quin & totius vitæ crimina palam faciam: delicta iuuentutis meę & ignorantias aperiam, ne cœlestis mihi ianua præcludatur aliquando. Hinc sumpto trium dierum spacio, anteactam discutit vitam, secretosque cordis animique recessus scrutatur diligenter, hærente adhuc in faucibus Hostia. Tertio verò die incepta iam criminum expiatione, sensit Hostiam ad collum descendisse. Dein, absoluta Confessione, benedictioneque percepta: Mirum! ad ipsam verborum prolationem, Hostia stomachum vsq; penetrauit. Tum admirata mulier, præteritoq; dolore omnino sublato, Dei benignitatem, patientiamq; exclamat: moxque ad alias, quæ ibi aderant, conuersa mulieres, priorem illis infamiam fassa est dolens, sacerdotique ipsi suasit, vt vel disseminaret in vulgus, vel pro suggestu alios suo erudiret exemplo. Mulier vero sero sapiens, sed bene, sibi prospicit indies, exemploque est nunc aliis ac documento.

Addam nunc aliud ex pietate promanans exemplum. Puellulæ cuidam quotidiana febri laboranti salutem optabant parentes Hispani; quia tamen haud apta erat ad sacram Communionem percipiendam; petunt à Patre vt aquam, peracto sacro, in calicem effundat, daturos se illam epotãdam natæ. Eorum fit petitioni à Patre satis, eorumque fidei satisfacit Deus, fugata postmodum per solam potionem febri. Hac etiam fide profecerunt non pauci ex Indis, qui eo oleo, quod ante sacram Eucharistiam ardet, vsi sunt, vel ad obdu-

cendas

cendas vulnerum cicatrices, vel ad pellẽdos morbos, doloresq; corporis fugandos.

Et quidem videtur Dominus noui Gregis non minus Paſtor quam Medicus, quoſque videt humano remedio deſtitutos, his ipſe cœleſti medicamine mederi ſolet aſsidue. Detulerant ad noſtram Eccleſiam intempeſta nocte puellam ſerpentino morſu impetitam (ſunt in his Inſulis angues tantæ feritatis, vt vnico tantum morſu vitam ipſam intra horam auferant) Huic iam ſacra confeſsione expiatæ fruſtulum eius lapidis exhibuit ad potum Pater, quem in Melitenſi Inſula olim ſacrauit Apoſtolus. At puella licet tota fere nocte veneni vim ſentiens ingemuerit, nullo tamen periculo, mane facto, bene ſe habuit. Haud longe hinc aſpis Iaponenſem hominem momorderat in brachio, dum in campo cubaret: qui perſentiens venenum, euaginato ſtatim enſe, naturalis audaciæ non oblitus, brachium ipſum, abſciſſa carne citus vulnerat, quaſi vulnere curaturus venenum: mox acceptum Melitenſem lapidem ſuperimponit vulneri, quod breui, per Deum vna cum veneno ſanatum eſt. Sed paulo poſt eodem in loco Indus quidam Iaponenſi notus, alio angue punctus, animam, nullo opitulante agebat: adeſt ille cum ſacro lapide, vimque facit dentibus iam præ mortis anguſtia tenaciter compreſsis, perque eos tantillum aquæ lapide tinctæ inſtillat, nec mora; quaſi è ſomno euigilans, incolumiſque factus, quærit è ſociis quidnam ſibi in tanto periculo attulerint medicamenti? reque ab illis patefacta, Deo vti debebat egit gratias. Haud minorem adferent admi-

rationem quę ad feram, licet superioribus dissimilia. Ceciderat olim ex arbore Indus, è cuius casu effractum illi brachium abscissum est, ne totum inficeretur corpus. Sanitati tandẽ redditus, quoties iniquo in eum animo erat vxor, toties irridebatur ab illa, illud exprobrante. Potol ca, potol; quasi diceret, mutilate, mutilate quid audes? Superioribus ergo mensibus, oborta inter eos rixa, ingeminat ad contumeliam irata vxor marito: potol, potol ca. Ille vt vindictam de accepta iniuria, seu de illata irreuerentia sumat, irruit in vxorem, sed prior Deus vindictam sumpsit: nam dum mulier sibi per fugam consulere intentat, ecce dextera eius auricula radicitus per DEVM euulsa in terram decidit, nulla vel minima sanguinis gutta decidente, vel apparente euulsionis signo. Accidit hoc coram testibus, qui non casum tantum admirati, quam Diuinum suspicati supplicium, rem euulgarunt, dignamque omnino iudicantes tali pœna mulierem, quæ nec maritum vti debebat audierat, nec monentium dictis steterat, quin veluti obsurdescens cœleste monitum nondum perceperat. Aiebant itaque Oppidani: probe mutilata vocanda est, quæ abscissum vocauerat maritum: eodem enim vocabulo, potol, quasi talionis pœna iure compellata est. Sed nũc iusto supplicio edocta, haud quaquam priori iniurioso vocabulo maritum irridere audebit. En aliud. Indus quidam Silanensis per risum exprimebat paralysi laborantem Religiosum senem, qui senio confectus, perpetua capitis agitatione, manuumq; tremore laborabat. Sed

breui

breui Indus pœnam irriſionis dedit : eadem ſiquidem hebdomada in inſaniam redactus, eadem capitis manuumque agitatione hac illacque væſanus curſitabat. Perſtitit in inſania ſupra duos menſes, quibus tranſactis ſanior effectus doluit, atque in noſtro Templo, vbi ſenem ſacrum facientem expreſſerat per iocum, ibi peracto ab alio ſacrificio petiit ſibi Euangelium recitari, quo dicto priſtinæ ſanitati reſtitutus Deo gratus, infirmisq; compatiens perſeuerat.

Porro pius hic mos accedendi ad Sacerdotem poſt Miſſam ad Euangelium audiendum, præcipue ab infirmis, variiſque morbis diſtentis vſurpatus, quaſi Domino placens, veræ fidei fructus reportat aſsidue. In Taboloano Oppido puella quædam ſex annis nata, diuturnoque morbo afflicta, oculorum vſum amiſerat omnino. A Miſſa delata per matrem ad Altaris cancellos ſacrum Euangelium præſtolatur, quo recitato: mater inquit puella, iam cerno, iam circumſpicio cuncta, admirati parentes experti ſunt, quanta in Chriſtianis inſtitutis inſint emolumenta ſalutis. Nec mirum, ſi Diuina ſæpius remedia vſurpent Indi, quando frequens etiam eſt experientia profectus. In eodem Oppido innumerabilis locuſta campos, ſataque vaſtabat, dolebant vniuerſi præſens malum nullo humano medicamine curandum: adeunt gemebundi Patrem, qui ſumpto ſuperpelliceo, ſacroque Exorciſmo perlecto, benedictam Aquam per ſata proiecit: nec mora: quod namque nequiuerant Indi, idem cœleſti hoc remedio peractum eſt. Non ſolum eorum

fines ſtatim peruaſit locuſta, verum quaſi à DEO punita in ipſis camporum terminis, arundinibusque ſuſpenſa hærenſue, quæ prius aliena corroſerat, ibi quaſi in patibulo poſita enecata eſt à Deo, non agitata vento, nec pluuia madida, nec torrida ſole, nec vllo alio elemento læſa, vel veſtigio aliquo tantæ de ea ſumptæ vindictæ, prorſus apparente.

ZEBVANVM COLLEGIVM.

SEx aliíte noſtris hoc Collegium æquo Patrum fratrumq; numero.

Sacroſancta Eccleſiæ Sacramenta rite frequentata, ſublatæ inimicitiæ, ablata dominis reſtituta, eleemoſynæ pius vſus retentus, cõſtantia in cauendis luxuriæ incitamentis firmata, aliaque Chriſtiana opera pro viribus vſurpata ſunt. Quæ omnia hinc licebit colligere.

Duo præcipui viri acerbis inter ſe odiis diſsidentes, vrbem vniuerſam ad duas quaſi factiones redegerant, adeoque ſuos quiſque fœderatos fouebat, vt haud exiguum malum toti Reipub. timeretur à multis: Sed Dei benignitate factum eſt, vt qui diſsidii cauſa fuerant, noſtrorum monitis reſipiſcerent, nouoque inito fœdere, ſummo vrbis bono conciliarentur. Porro firmatæ ſunt hæ amicitiæ in noſtra Domo die diuæ Mariæ Magdalenæ ſacro, magna vniuerſæ Reip. gratulatione, communiq; bonorum, malorumq; gaudio.

Indam fœminam ſolicitauerat ad flagitium Primarius quidam. Verum non modo reſtitit illa, ſed arre-

arrepta præ animi feruore Cruce paruula Christũ D. gestante, quid ipse pro peccatis nostris tulerit, quidue perpessus sit, breui ei reduxit in memoriã; simulq; mentione facta de extremo Dei iudicio, æternoque apud inferos supplicio ab impuris luendo, hominem non solum continuit, verumetiam ab incepto deterruit. Alius spectatæ olim erat vir integritatis; sed mutato deinde consilio, omnibus se carnis illecebris deprædandum exhibuit, vniuersa peccatorum colluuie in se misere congesta; morsu tamen assiduo conscientiæ vlceratus, decubuit tandem quadam nocte subtristis: Ipse enim noctis silentio visus est sibi videre ante seueri Iudicis Tribunal sisti: porro Iudex Christus erat, qui illo acriter reprehenso, vni è nostris illic adstanti imperat, vt de facinoroso illo homine sumat pœnas; qui statim inde arreptus, ad obscuraq; loca deuectus, flagris male acceptus est. Hac ille visione perterritus, summo mane nostrum adit Collegium, Confessarium postulat ac solamen, vtroque facile potitus, nouam viuendi normam instituit, in qua probe adhuc perseuerat.

Hæc reliquo anni tempore, sed quæ subdã quadragesimali ieiunio obita sunt. Quorum illud primum, Bacchanalia versa fuisse in sanctimonialia. Palam namque factum est in sacra Pixide Augustissimum Christi D. Corpus, populo per triduum Domum frequentanti, qui ab Rmo Episcopo è suggestu inuitatus prius fuerat, qui sanctæ societatis (hoc enim præclaro nomine nostros haud quidem dignos, pro sua humanitate compellat)

ſanctam inuentionem excogitationemq; ad arcenda ex hominum mẽtibus peccata ſumme laudauerat: Quo quidem inuento plurimæ ceſſarunt peccandi occaſiones, terendiq; temporis cauſæ: Plurimi etiam, ne totam dicam Ciuitatem, recenti indicto Iubilæo potiti ſunt: feria tamen tertia, quæ vltima Bacchanalium dies erat, ſolemni Epiſcopaliq; miſſa inſignita eſt, ſub cuius veſperum celebri de Sacroſancta Euchariſtica dato Dramate, decorata eſt, non minori fœnore quam gaudio vrbis. Quod verò præcipuum curatum eſt à noſtris hoc triduo, illud fuit, vt ſeſe quiſque ad frequentem pro captu diuinorum myſteriorum meditationẽ, vſumq; accingeret ſacro Ieiunii tempore, prætermiſſa obruentium negociorum mole, fruſtratiq; temporis amiſsione, ad quam rem inſtitutiones traditæ ſunt à noſtris, iis præcipue, qui propriis relictis domibus ſe in noſtra, per dies aliquot ſpiritualibus exercitationibus exercuerunt; quibus tamen locus ad hoc dari nequiit, iis modus exhibitus, quo ſe in ſuis ædibus facile excolerent. Adiunctum eſt piæ huic inſtitutioni ſub noctem, præuia ſpirituali lectione in noſtro Tẽplo voluntariæ verberationis ſtudium cum fructu. Sed hæc facilius ex Epiſtola Zebuani Rectoris P. Franciſci de Otazo percipi poſſunt, vbi ſic ille. Quæ alias, hæc hoc præcipue tempore expertus ſum, quanta ſint ſocietatis noſtræ munera, vixq; vnquam antea, quãtæ ſint æſtimationis noſtri apud exteros, perſpexi melius: ſiquidem à Deo ipſo permagni fiunt: ſed de his alias. Pœnitentiæ ſacramentum obitum eſt fere ab omnibus, magna in noſtrum ordinẽ amoris

tis significatiore ostensa; nec ex tota vrbe vel vnũ noui, qui nobis alienato sit animo. Conciones habitæ sunt maiori bono, quã antea. Spirituales exercitationes tam Ecclesiasticis, quam sęcularibus traditæ. Aditum maximum forum, Regiaq; cohors instituta. Generales vniuersæ vitæ Confessiones auditæ, quas morũ mutatio subsecuta est ad aliorũ exemplum. Quę sabbatis quibusq; diebus decantari cœpta est B. Virginis Missa, hoc anno maiori frequentia cęlebrata est, adiuncta breui ad Populum exhortatione de Deiparę virtutibus, quo peractum est, vt vrbẽ fere totã ad hoc tam pium opus sese accingentem, spes sit haud exigua in incœpto perseueraturam, nosque quasi inuita possessione huius tam laudabilis muneris, nequaquam futuris temporibus ab illo destituros. Stabilitus præterea est (præter exempla, quæ à nostris quadragesimali tempore in Tẽplo narrantur) vt pius recitãdi mos pro animabus iis, quæ in Purgatorio torquentur, percrebescat adhuc, facto singulis noctibus signo, vrbẽq; cum tintinabulo lustrãte domestico Indo, qui omnes elata voce monet, vt Deo cõmendatas habeant vniuersi Christianorũ animas, quæ nondũ soluti debiti pœnas luũt haud perpetuas. Hæc ille.

Porro Episc. Zebuanus, de quo supra diximus, ea nos prosequitur beneuolẽtia, vt (vno verbo dicã) se è nostris esse publice profiteatur, nostrorum res omnes sibi cordi semper fuisse prædicet, cõsilium, auxiliũq; nostrum sæpissime postulet. Illudq; non in votis tãtum habet, sed iam sæpius exegit, haudquaq̃ priuãdum se communibus societatis suffragiis post mortem; siquidẽ pari ipse significatione

respon-

respondet : nam quoties audit è noſtris obiiſſe quemquam, toties pro eo ter rem Diuinam facit lubens. Sed nec minori in nos animo fuit vnus è primis harum Inſularum debellatoribus, vrbiſq; huius Senator Alfonſus Enaus, qui prior ſocietatem noſtram ad Zebuanam vrbem aduexit, quiq; noſtris primus ſuas ædes ad habitandum conceſſit. Hic moriens nunc, quæ ſibi ſuperant bona (quæ haudquaquam contemnenda ſunt) nobis teſtamento reliquit; hunc nos virum Deo ſemper gratum fuiſſe perſpeximus, ſuique memorem experti ſumus, tum ob frequentem ſacramentorum vſum, tum ob laudabilem viuendi normam quam ſibi comparauerat viuens; ſperamusque nunc hiſce munitum præſidiis, verum fuiſſe cœleſtis Patriæ expugnatorem. Huius ſenatoris eleemoſynæ adiuncta fuit etiam alia cuiuſdam Ducis peditum vita functi, qui beneuolo in nos animo, eo tempore quo magis egebamus, quæ ſua erant, nobis teſtamento legauit. Sed auxit omnino hâc de noſtris bene merendi voluntatem Collegii ipſius fundatio paulo poſt inſtituta, de qua ſupra ſcripſimus.

Superioribus addam, quæ nuper accepi nondum abſoluta. Erat in hac vrbe Inda quędam, quæ aſsidua ſui ipſius agitatione, corporiſq; torſione, facile perſuaſit cunctis, à malo ſe dæmone infeſtari. Audiebant illam domeſtici ſolam peregrina vti lingua, audiebantq; ſimul alterius vocem (neminem tamen videbant) hæc obloquentem: Pudet me quidem, te adeo frequentem eſſe apud iſtos Patres, (noſtros intellige) quos ego nō adeo, quia me

me proiecta quadam fœtenti aqua (benedictam puta) sæpissime abigunt, malo in me animo furentes. Hanc Indam detulere cõsanguinei ad nostram Domum Ecclesiamq;, inspecturi siquidem, num audito sacro quiesceret: quiescit quidem, sed nullo pene sensu vsque ad noctem demortuæ similis perseuerauit. At nostri fusis pro ea precibus, appositaque illi B. P. N. IGNATII reliquiarum particula, sibi tandem restituta est. Ipsa tanto grata beneficio tota nocte perstitit in precibus, quibus se impense B. Parenti Nostro commendauit. Mane facto ad Sacramentum Confessionis accedit, moxque sacro interest: sed haud multo post, è sede in qua erat, inspectante populo, deiecta, procul inde decidit exanimata: deinde ad se reuersa, graui quadam matrona adiutam se dixit, ne iactaretur magis ab illis, qui eam deludere conabantur cacodæmones. Adest interim huic nouitati (nouum quidem est inter Indos à dæmone vexari) tota fere Ciuitas, quam non parum permouit mulieris dictum, Sanctũ se vidisse IGNATIVM, cuius se intercessione liberandam fore non dubitat. Hæc ad me perlata sunt secunda ab huius mulieris agitatione die. Reliqua speramus optimum sortitura euentum, siquidem perfecta sunt Dei opera, qui gloriosus est in Sanctis suis semper.

EXPEDITIO BARILIENSIS.

LICET careat Operariis Collegium Zebuanum, ea tamen eſt proximorum locorum caritas, vt nos vera Charitas cogat illis pro viribus opitulari. Ad Barilienſe Oppidum ſacerdote omnino deſtitutum miſſus eſt è noſtris vnus, qui vbi primum appulit, Chriſtianorum confeſſiones audiuit, longe ante prætermiſſas. Adultos aliquot probe prius inſtructos ſacro baptiſmate abluit: egebant ſiquidem maiori examine quam alii, quippe qui montes potius diligunt quã Oppida, vitiiſq; à tenera ætate implicati, difficilius quæ Dei ſunt percipiunt. Plura quidem perfeciſſet ſacerdos, ſed cogebatur curſitare potius quam ſtare: vnde quæ tantum neceſſaria viſa ſunt exercuit, ita vt ad me in hæc verba breuibus ſcripſerit ſententiis. Tantum in vnoquoque Oppido perſiſto, quantum ſatis eſt infirmis adeſſe: nonnullis cœleſte baptiſmi lauacrum contuli: eos inſtruxi Indos, quibus curæ eſt periclitantes baptizare: deſcripſi cunctis patria lingua feſtorum catalogum; adeo namq; recentes in fide ſunt, vt vix Dominicæ diei intelligentiam habeant. Hæc in expeditione ſacerdos.

OTTONIENSIS MISSIO AD PANAenſem Inſulam.

SVperiori anno huic Miſsioni datum eſt initium: diu namq; exoptauerant ſocietatẽ noſtram Arealenſis Caſtri Coloni, vti iam ad Patrem Valẽtinum ſcripſimus: illuc enim ex Zebuano Collegio profectus eſt, cum fratre Pater Franciſcus Gonzales, vbi probe operam nauauit, tum

cum

cum Castri incolis, tum etiam cum expeditis militibus, qui illac ad Malucenses Insulas missi nauigauerãt, quibus omnibus adeo profuit in his quæ ad animum, corpusq; pertinẽt, vt vnico eius aspectu recreari se faterentur vniuersi. Ex iis qui morbo prępediti detinebantur in Oppido, aderat vnus vlcerib. plenus: hic ad Insulam illam recens appulerat, qui rerũ ignarus, ad oram fluminis perrexit, se forte leuaturus: vix se illuc contulerat, tũ subito Crocodilus descendentem ad fluuium inuasit, arreptumq; hominem suffocare tentabat; ille verò non minus audax, quam timidus hæretem ibi abscissæ arboris radicẽ manibus tenaciter apprehendit: profuit illi constans animus, visq; qua se arbori adiũxerat: Crocodilus namq; plurimis morsibus impetitum fessus iam dereliquit, femoribus hinc inde dente sulcatis: Semimortuus tamen inde extrahitur hispanus, dein sacramentis omnibus munitus melius se habuit, non ingratus Deo pro vita concessa, nec Sacerdoti nostro pro sanitate recepta, siquidem illius industria conualuerat.

Milites autem vela daturi Malucũ versus, in hoc Oppido veluti in vltimo portu, antequã subeant mare illud ventis, piratisq; obuium, sero quidem, probe tamen sapientes animis suis consulunt, Patrem adeunt vel in Ecclesia, vel ẽt in naui, ad quam se conferre solet iis p̃cipue ad futurus, qui nautico munere occupati Ecclesiam adire nequeũt, quod etiam præstitit ad triremes damnatis, qui oẽs grati animi significatione ostensa, die quodam sacrũ faciente Patre ad orã maris, displosis tormentis bellicis, sclopisq; omnibus, magna animorum lætitia diem illum pro festo habuerunt.

Orta eſt diſcordia aliquando inter Ducem militum, Caſtrique Prætorem: Claſsis pro Duce ſtabat, cohors verò cũ confluente multitudine Prætori adhærebat, creſcebat diſcordiarum ignis magnum excitaturus incendium: ſed Deo fauente ita breui ſopitus eſt per noſtros, vt ne ſcintilla quidem remanſerit pace ſequuta.

Non exigui ponderis fuit Inſulanæ genti in his, quæ ad Chriſtianos mores ſpectant, opem ferre: cumq; caruiſſent Indi eo ſacerdote, qui eorũ nouerat linguam, facile noſtrorum pręſentia reuixere, plures etenim à pueris Chriſtiani, grandesque iam natu, ne ſemel quidem in vita peccatorum eluerant maculas; vnde multi nullo ſacramento muniti interierant; interiiſſet etiam cum illis mulier quædam ea ipſa die, qua primo illuc ſe contulerat Pater: vix namque peccatis expiata fuerat, cũ vitam finiuit, ſacro nondum oleo percepto, præ mortis inſtantia. Porro Chriſtiana elementa ne vnus quidem vel puer nouerat; nunc edocti callent vniuerſa materna lingua conſcripta. Hæc docentur Indi, dominicis præcipue diebus à prandio in modum dialogi, quo factũ eſt, vt erroribus plurimis abiectis, Idololatriaque deſerta, ſuperſtitionibusque abolitis, Catholicam Religionem ſint libenter amplexi. Ea etiam quæ ad mores pertinẽt, optato gaudent exitu. Mulierum licentia in curſitando Oppido frænata eſt. Indorum tuguria Hiſpanorum domibus immixta non ſine damno, in vnum compulſa ſunt locum. Hiſce noſtrorum operibus creuit Hiſpanis cupiditas noſtros apud ſe re-

ſe retinendi: vnde de Domicilio noſtris conſtruendo cogitantibus, efflagitantibusque operæ pretium duximus aſſentiri, eo quod vere aptus ſit locus hic noſtris muneribus ritè obeundis; quippe qui cum reliquis adiacentibus Oppidi Paſtore caret plurimo grege circumdatus. Is erat Hiſpanorum in noſtrum Ordinem animus, vt ibi primum lectæ ſunt epiſtolæ, quibus facultas noſtris vbi cõmorandi data eſt; ſequenti ſtatim die Ædes conſtrui cæpta ſit, vna cum Templo, quibus breui tẽpore finis datus eſt. Templum deinde D. Ioſepho dicatum eſt celebri apparatu, communique lætitia, non abſque plurium Communione. Deinde cœptum eſt frequentius ac firmius noſtris adeſſe miniſteriis, fructu haud ſpernendo. Plures inſuper precationes vernacula Indorum lingua exhibitæ ſunt, quibus ſe facilius aptent ad Diuina percipienda myſteria, vnde illis informati, quæ propriæ ſaluti conducunt callent in dies magis. Ex Indis quidam grandæuus hæc aliquando Patri verba locutus eſt. A tuo in hanc Inſulam aduentu, cor mihi aliud adeſt: me namque omnino mutatum agnoſco. Vellem dum doces in Templo, te in longum protahere, quæ de Dei bonitate aſſeris, quæque de Chriſtiana Religione prædicas, diuturniori narratione proſequi: Ego quidem è Templo nunquam vellem abſcedere: me namque haud delectant iam, quæ prius animum alliciebant ac mentem; alius à me ipſo videor eſſe, hæc ille obortis lachrymis referebat.

Inda nobilis fatebatur, ſe ab ingreſſu in noſtram

Ecclesiam, Christianam cēseri, antea vix fidelem: nunc verò quæ Dei sunt ita meæ, inquit, hærent menti, vt quasi ipsis oculis diuina cernere mysteria mihi videar. Indus alius haud recens baptizatus retulit Patri, se per noctem visione quadam adeo perterritum, vt breui in alium virum mutatus sit. Visus sum, inquit, asportari ante Tribunal seueri cuiusdam Iudicis, in cuius præsentia palam facta sunt vniuersæ vitæ crimina, aliaque plura peccata, quæ ipse haud quaquam peccata esse censueram. Aderant ex vna parte horribili facie dæmones, qui me summe criminabantur: hinc Iudex imperat lata sententia detrudi me in tenebricosam quandam caueam, vbi ignis maximus ardebat, quo intense plures Bissaienses Indi cruciabantur: ipse tamen horribili hoc visu perterritus, dum euadendi locum meditor, quasi tactus illo igne expergiscor tremens: mox hæc mecum euoluens mentem mutaui ac mores, vereque cæpi ex eo tempore credere iis rebus, quas vos Christiani Patres docetis, deinde subiit animus crimina omnia per confessionem detestandi; quod & factum est, fitq; adhuc magno animi sui bono.

Vocatus est sacerdos quadam die, vt militem quendam morbo periclitantem sacro pœnitentiæ sacramento expiet: expiat Pater militem, sed dum domum reuertitur, fit illi obuiam quidã, qui quasi aliud ageret Patrem monet, ibi prope iacere vetulam Indam; quam, inquit, si lubet audies: annuit sacerdos, domũq; ingressus videt in angulo mulierem macie obductam sola pelle tectã, mortique

que persimilem: hanc facile dispositam cõfessione solatur; nec multo post euocatus iterum, vt adsit morienti fœminæ, properat ad locum, sed iam linguę vsu destitutam reperit, quā aliam à priori esse suspicans doluit plurimum: verum vbi nouit esse eandem, quam paulo ante expiauerat, gauisus est, se adesse morienti, qui prius pœnitenti adfuerat.

Asidua nostrorum cura non solum edocti sunt Christi fideles, verum & imbuti seu instructi Gentiles. Quare breui omnes fere, qui in Castro morabantur, Christianis sese per baptismum adiunxere, inter quos non pauci numerati sunt ex Hispanorum mancipiis Terrenatenses, Xoloenses, Malaij, Mindanaenses aliarumque linguarum nationumq; gentes; nec non & ex Sinensibus aliquot, qui hic mercaturam exercent, Christo adhæserunt. Pluribus tamen aliis idem baptisma impense cupientibus denegatum ad tempus. Inter baptizatos numeratus est adolescens bona quidem corporis habitudine, meliori animi indole, sed optima quidem vtriusque sorte. Hic ex ditissimis Salomonis Insulis huc vectus superioribus annis, primus è suo Regno, fœlicissimis auspiciis CHRISTI gregi se aggregauit; cæteris adhuc tantarum tamque desideratarum Insularum incolis, in infidelitatis tenebris delitescentibus. Porro hæ Salomonis Insulæ diu quæsitæ sunt ab iis Hispanis, qui Peruanum Regnum incolunt: superioribus namque annis diu nauigarunt naues aliquot sine fructu, è quibus vna ad has nostras Insulas appulit. Nunc verò ante duos annos Peruenses etiam naues, easdem

datis velis perquisierunt; sed aliis plurimis repertis Insulis, habitatoribus plenis; eas quas Salomonis appellant haud quaquam repererunt. Ex his alia etiam nauis hoc anno huc vela direxit, quæ nonnullos secum earum Insularũ incolas aduexerunt; Insularum etiam situm ac positionem, ventos, cœlique naturam in nautica charta perfecte depictam huc detulerunt, quo facilius Deo bene disponente, Euangelica eis lux aliquando appareat, tenebras omnes Idololatriæ fugatura. Quare quæ Dei eluxit in hunc vnicum Salomonensem clementia, eadem prorsus splenduit in sene quodam octogenario, qui relicto suæ gentis ritu ad Christi D. pascua fœlix properauit.

Hisce ergo occupationibus libenter sese implicant nostri hominum piscatores facti, quod munus haud Apostolico indignum est viro: siquidem quantum in se est, in officio se continent, quæque sui muneris sunt, pro viribus implent assidue. Implent quidem munus suum quotidie: nam (mitto nunc Paschalia festa, mitto Quadragesimam, Aduentus, diesque illos quibus indulgente Christi Vicario fieri per Iubilæos solent patratorum criminum relaxationes) idem ipse sacerdos peracto sacro sæpissime concionatur ad Populum: idem instruit pueros: solatur dolentes: indulget miseris: medetur infirmiorum animis, nec raro & corporibus etiam: idem catechismo imbuit adultos: baptismate abluit infantes: senes Christiana elementa docet: ineuntibus matrimonium adest: dissidentes coniuges conciliat: Oppidanis præsto est;

est; aduenas monet; Oppidum sæpius lustrat, campos inuisit: idem pœnitentibus aures præbet; Dominico Sacramento solatur vel ægros, vel esurientes: sacro tingit oleo morti proximos: mortuos sepulturæ mandat. Et quod maius est, idem pluribus Oppidis vniuersa hæc præstat beneficia indefessus: Sacerdos etenim is, qui in hac Excursione suo nauat operam muneri, singulis Dominicis diebus duo adire solet solus Oppida haud inter se vicina: primo namque peracto apud Hispanos sacrificio, concionem de more habet; deinde Indorum Oppido petito, secundum peragit sacrum, patriaque eorum lingua concionem retexit. Hæc vnus, nec quidem vnicus in hisce Philippinis Insulis minister.

Huic successit in eodem munere atque Oppido P. Franciscus Vincentius, qui tum in Bacchanalibus, tum in Maximo ieiunio Octoniensibus auxilio fuit haud exiguo. Sed ne longiores simus, ea prorsus, quæ in Zebuano Collegio facta diximus à nostris; hîc etiam peracta fuisse certum est. Nunc tamen eundem Patrem Vincentium præstabit audire dicentem. Si huc aduentantium confessiones, tam annuas quam generales, excipere vellem diu noctuq;, haud quidem superesset tempus ad aliud munus exequendum. Si quis autem è nostris Manilæ, qua si alter vir desideriorum humanæ salutis cupiditate anhelat; hunc huc mittas velim: sed neque hoc exigo aut exposco, ne socios petere videar, enuncio tamen, illud ingenue fateor, si mihi decem adessent corpora, totidem animis informata, nequaquam superaret opus, quod

ſeſe quotidie etiam non quæſitum offert: ſatis mi-mihi per Deum factum, ſeu potius conceſſum eſt in iis, quæ ad eius faciunt obſequium: paucis hiſce diebus ſupra viginti vniuerſæ vitæ crimina expiarunt, quotidianis exceptis confeſsionibus; at quæ adhuc ſuperant vires, haud profero: ſæpe ipſo onere defeſſus comprimor: ſæpe etiam animus quas labor abſtulit, lubens miniſtrat vires. Valetudinem curo, vt imperas, nec tamen ita procuro, vt mihi etiam volenti vim adferam: mouent tum Hiſpanorum neceſsitas, tum Indorum lachrymæ etiam nolentem, ſed reſpondebo ne quærenti animæ ſalutem? abi, en iam deficio; dicam forte: vellem tibi proſpicere, ſed nequeo; nunquam antea expertus ſum hæc; lachrymas videlicet ſingultibus inmixtas etiam inter Indos, dum peccatorum maculas luunt: nonnihil in excurſione Panamaenſi, nonnihil etiam in ipſa Zebuana vrbe ſimile vidi, ſed non perſimile: at verò hic nemine fere dempto, diuino ardent igne, ipſeque quaſi alter Saul inter Prophetas, abſumor, & ipſe inſanientis more proclamo: mox me corrigo, illud ingeminans: viuam, viuam inquam bone Deus, vt tibi vniuerſum lucrer Orbem ſi fieri poteſt. Illud pro ſcopo mihi ſtatui, peccatores quoſcumque licet maximos pro viribus vbique perquirere, illud in memoriam reuocans. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Nec fruſtratus ſum, aut tanto deſiderio, aut tanto bono: bene enim mecum actum eſt ab ea die, in qua hoc in animum induxi: bene etiam actum eſt cum iis, qui ſe DEO iterum firmato

fœdere

fœdere adiunxerunt. Tu tamen qui vere Parens es, illud me monebis, quod Deo ſit magis cordi. Parces tamen, quoties tibi in aliis Epiſtolis de mittendis ad me ſociis perſcripſi: in hac tantum enixe à te peto orationem, ſuſpiria, preces: à DEO tamen pro viribus poſtulo ſpiritum, feruorem, gratiæ abundantiam, humilitatem, deuotionem, Zelum Dei, animarumq; ſalutem, earum prçcipue, quæ maximis ſunt criminibus irretitæ. Cæterum parce, vale, viue Deo, hæc ille, Deo ſemper actus.

Permagnum quidem noſtrorum opus eſt in hac Panaenſi Inſula, tum ex his quæ diximus, tum etiam ex Incolarum maxima qua laborant Patrum deſtitutione; quaſi perampli ac vagantes Greges ſint abſque Paſtore. Adde accolas Hiſpanos fere aſsiduos, Indos, Luſitanos, eos præcipue, qui Amboinenſi Inſula per Hollandos hæreticos depopulata, huc miſeri confugere ac perditi. Ex his quidam ea phreneſi laborabat, eoq; corporis impetu furens hac illacque agebatur, vt facile ad ſui commiſerationem ſpectantium oculos, animoſq; conuerteret. Euocatus noſter ſacerdos, recitatoque Euangelio, ei exoſculandas præbuit duas Imagines, alteram Parentis N. IGNATII, P. Xauerij alteram, quibus conſpectis, ceſſauit furor, fremituſq;, breuiq; conualuit. Plura etiam peragi in hoc Octonienſi Caſtro è noſtris potuiſſent, niſi cõmunis ille Mindanaenſis pirata omnia vel armis vaſtaret, vel incuſſo ſaltem metu turbaret. Sunt præterea hic alia tria primaria Oppida, ad quę nos vocant aſsidue tanquam ad deſtitutum Gregem,

 adiiſſe-

adiissemus quidem illa, nisi sacris destitueremur: Annuimus tamen in altera Europea naui stantibus, vt nos adiuuent in captura, vt ambæ aliquando impleantur nauiculæ ad eius gloriam, qui ex peccatoribus nos reddidit piscatores.

MISSIO DAPITANENSIS APVD Mindanaensem Insulam.

QVamuis Mindanaenses Mahometani Indi Christianiq; nominis hostes non exigua attulerit damna Pictorum Insulis, eorum Ecclesias cremantes, diripientes bona, Christianos ipsos vel occidentes, vel mancipatui tradentes, vti iam diximus, dicemusque; Visum tamen Hispanis est supersedere vindictæ, tum quia pacem exoptant, tum quia nolunt, vt possunt, Insulam illam prægrandem quidem situ, sed incolarum multitudine maximam, vel solo æquare, vel saltem in magnum aliquod discrimen adducere. Quare lento gradu Hispani Duces Mindanaensiū reuersionem ad nostra vexilla præstolantur potius, quam curant, virtute potius quam vi, illam suæ præstolationis causam esse asserentes, Operæ pretium nunc esse Malucensibus Insulis, Terrenatensiq; præcipue ab Hollandis infestatæ, opem ferre; ne dum nostri milites pluribus intendunt præliis, nullum perducant ad exitum, sed potius in extremum periculum vocent vniuersa.

Interim tamen ne cuncta perderentur, curatū est à nostris, vt commoda quædam Classis decem tantum triremium (caracoas vocant Indi) in qua cum

cum Hiſpanis militibus Pampangenſes Indi prælio iam diu inſtructi nauigarent ad terrendos, aut ſaltem continendos Mindanaenſes, quam ad illos expugnãdos; qui armata maxima claſse velociſsimis nauigiis mare hoc Philippenſe perterrere ſingulis annis ſolent. Decretum ergo eſt, vt noſtri in ſinu quodam eiuſdem Inſulæ, vbi Oppida quædã ſunt amica, hoſtem præſtolarentur illac velit nolit, ſi nauiget, vela daturum. Ex his Oppidis præcipuum eſt Dapitanenſe, hoſtium certus tranſitus: hic ergo ſubſtitit hiſpana claſsis, vt Mindanaenſiũ excurſiones re ipſa contineret ne fierent, nomine vero, vt ineundo inter eos fœderi finem darẽt. Datus eſt Claſsi Sacerdos è noſtris Pater Paſchaſius de Acuna, qui in Boholana ſede morabatur. Quid verò in hac Claſſe actum ſit, idem ſacerdos ad me ſcripſit in hunc ſenſum.

Duas à te accepi epiſtolas in hoc Dapitanenſi Portu: priori reſpondi iam, in qua agebam de pace cum Xoloenſi Rege inita: ſed qui eam deferebat Præfectus militum, facto in Tanaenſi freto naufragio perdidit. Quare eadem hic repetam, aliis adiunctis, quæ nuper acciderunt. Incidit in nos ſuperioribus diebus Primarius quidam Indus Sanguilenſis, Sapayus nomine, qui cum alio nobili Xoloenſi Zebuanam vrbem adibant, pacem cum Hiſpanis inituri: Regiam namque deferebat epiſtolam de pace agentem. Viſum tamen noſtris Ducibus eſt, Regem monere per litteras, vt (ſi eo animo eſſet in noſtros) alios mitteret de pace legatos his duob. digniores. Breui ergo iidem rediere cum tertio quodã è primoribus Regni dynaſtis,

qui Gumbla appellabatur. Interim datus eſt à noſtris Regi Xoloano obſidis loco primarius alter Indus vocabulo Calamuca. Porro Gumbla erat à Rege ſecundus eique à ſecretis: quatuor habebat ſocios è prima nobilitate ad maieſtatem præferendam. Vectus eſt triremi celerrima, affabre facta, plurimiſque ſericis vexillis Regio ſtemmate decoratis cohoneſtata ad ſpectaculum; quæ quidem res lætitiam nobis auxit maximam. Huc appulſa ſalutauit noſtros pluribus exploſis bombardis; quibus Hiſpani (vti mos eſt) totidem tormentis bellicis reſpondere è ſuis Triremibus, Arceque. Ex Aſcioanga (ſic ſuas vocant triremes Xoloani) ad flummis oram exceptus honorifice eſt legatus ab obuiis noſtris ducibus: mox ſtrato illi Conopæo, tapetibus ſtragulisq; (Maurico more) perhonorifice viſitatus eſt. Ibi ipſe Gumbla, petita prius venia, ſeu potius reddita ratione de motu à ſuis olim illata Pachio hiſpano Duci, quem cum aliis militibus interemerant; aſſerebat enim, Xoloenſes tunc haudquaquam alios expugnatum iuiſſe, ſed in patrio ſibi Regno conſuluiſſe, occiſis per errorem, ſeu fugatis inde Hiſpanis tanquam alienigenis. Hinc propoſitis iis quæ ad pacem ſpectabant, Regiam exhibuit epiſtolam, eamque Duci noſtro legendam maiori quam conſueuerat vrbanitate præbuit. Eius hic erat ſenſus.

ZE-

ZEBVANO PRÆSIDI, HISPANIcæq; Claſsis Præfecto apud Dapitanum commoranti.

S.

HVC ad nos venerunt ſub veſperum Calamuca & Sapayus cum Epiſtola: qua lecta, actum iterum eſt à nobis de Pace. Viſa tamen epiſtola tua gauiſus ſum plurimum. Quod à me petis è nobilioribus duos totidemq; Ciues, ſcito hunc, quem nũc mitto, quadruplo ſuperare quoslibet Regni noſtri Primores: me ſolum in toto Regno ſuperiorem agnoſcit; meáq; ſæpius agit Perſonam: Quare quicquid ipſe firmauerit, id à me firmatum exiſtimes. Ac licet tecum ad os loquerer, ipſe pro me reſponderet in omnibus: tanti ſiquidem eſt apud me eius conſilium atq; ſententia. Cum illo itaq;, ſi æquo in me animo es, pacem, quam perpetuam firmamq; ſummopere exopto, poteris ſtabilire. Quod ſi eum iureiurãdo obſtringere ad maiorem firmitatem volueris; haud renuet ipſe, quin & teipſum pari modo obſtringet. Illum ergo bene à te habitum ad me quamprimum remittas velim, ne eius cunctatione (vti par eſt) triſter. Vale.

Rex Xoloenſis.

HIs perlectis literis, quæ ad verbum ex Xoloana lingua in noſtram translatæ ſunt; Præfectus Claſsis præcipuos ex Hiſpanis vocat ad Cõſilium, vbi breui decretũ eſt de futuræ pacis conditionibus, quas hîc adtexam.

1. Xoloensem Regem cum tota Regno sub Hispani Regis ditionem debere venire, eundemque loco Regis habere.

2. Teneri se Hispanicæ Classi propriam classem, arma, virosque adiungere ad quodcumque prælium cum Christiani nominis hostibus ineundum.

3. Remittere se debere ad nostros quoscumque apud se captiuos haberet, seu Hispanos, seu Indos nostros.

4. Teneri Regem restituere quæcumque ad Ecclesias nostras spectarent & Templa, puta sacras vestes, calices, libros, campanas, frontalia; & si quid aliud huius generis à suis hominibus sublatum, direptumue fuerit Christianis superioribus annis.

5. Debere Xoloanum certo tempore Manilam legare, qui hæc omnia suo nomine, totiusque Regni iussu apud Manilensem Præsidem, Regiumque Senatum pertractaret, quo firmius stabilirentur iam firmata, stabiliendaque in posterum firmarentur fortius, prout nostro Regi expediret magis, ad Dei Opt. gloriam, communeq; bonum.

Rursus hæc omnia capita dato acceptoque iuramento confirmata sunt vtrinq;, qua tunc temporis potuit lætitiæ significatione, tum musici instrumenti, tum militaris torméti, tum etiam mutui amplexus. Nullumque, aiebant Xoloenses, mortalium reperiri, qui pacem hanc turbare auderet in posterum; (Mindanaēses Indos indican-

tes;

tes, quibus haud cordi fuit conterminorum Xoloensium fœdus cum nostris) quam quidem deinde ratam certamque habuit Regius Philippinarum Senatus.

En nouus alius Campus per Deum apertus ad cœlestes Euangelii segetes disseminandas. Porro Xoloenses quasi nostris iam fœderati, hæc nobis de Mindanaensi hoste fecere palam. Primo sparsum illud nuntium de duplici Silongæ ac Raxiamoræ (Mindanaensium Capita sunt piratarum) Classe ad Pictas Insulas nauigatura fallum fuisse; Illud verum, missum ab iisdem alium, qui eorum nomine ab Insulanis annuum vectigal extorqueret potius quam exigeret, simulque per fraudem primarios quosdam Christianos Mindorenses ea pecunia bonisque spoliaret, quam illuc ad redimendos nonnullos captiuos detulerant, vna cum Regii Senatus Epistolis, Terrenatensisq; Regis apud nos degentis litteris, quibus suadebantur amice ipsi Mindanaeses, vt sese in Hispanorũ ditionem darent, qui verè omnino piratæ, nec Sinensi quidem naui illac forte vela danti pepercere, quin illam fuerint deprædati.

2. Ex iisdem legatis nouimus, ex Mindanaensi Insula missos fuisse mille Indos ad Pangensem sinum, vt inde sedem nostram Lobocanam depopularentur.

3. Falsum etiam fuisse, Indos illos qui Mindanaenses montes habitant, quique multis ab hinc annis in nostram venerat amicitiam, fœdere cum hostibus, qui maximum fluuium possident, inito, pro iisdem stetisse; quin potius pro certo nouimus

flu-

fluuianos à montanis Indis fugatos deuictosque fuisse. Quod tamen spectat ad pacem à Regio Senatu, Regeque Terrenatensi per litteras expetitã; tertius nũc agitur mensis, in quo ne verbum quidem ad nos perlatum est, quo quidem silentio facile quisque intelliget, quantum oderint pacem, qui ad pacis vocem obsurdescunt, quique sunt ad quæcumq; bona deprædanda citi, celeresque.

Porro vbi primum à nostris auditum est, excursionem parari ab hostibus ad nostros Lobocenses; illuc statim se nostra contulit clasis, quæ breui tresdecim ex eorum biremibus captis crematisq; hostes omnes perdidisset, nisi citissimo illius maris fluxu, ab ipso littore abstinere sese cohibita fuisset, ne in saxa impingeret, illisaq; periclitaretur. Illud certissimum, Mindanaenses quoquomodo pro posse, velle Lobocum capere. Quare iniectus mihi animus est Patres fratresque nostros ibi commorantes associari, quo facilius eorum particeps fiam laborum.

Nunc de Dapitana Missione nonnulla subdam. Pestem quæ plurimos confecerat Indos cessasse iam Deo miserante. In Classe plures morbo oppressi, morte absumpti sunt. Bisaiensibus Indis Hospitalis domus ædificata: sed illis renuentibus eam adire, singula eorum tuguria inuisere necessum fuit. Diebus dominicis facto Hispanis sacro, aliud apud Indos celebrabam habita apud vtrosq; concione; Verum compulsus sum munus hoc prætermittere, victus Ducum precibus, quibus visum est tutius alia à Dominica die Indos instruere, ne duplici concione, duplicique sacro, nec non

& iti-

&c itinere vna eademq; die multoties confecto fatigarer ad morbum, quo ingruente nulli eorum potuiſſem adeſſe. Interea ſe ad Baptiſmum aptarunt plurimi, è quibus ducenti ſelecti inſtructiores, breui cœleſti lauacro initiati ſunt trium Nationum Indi: ſupra quadringentos quidem baptizaſſem, ſi voluntatem magis baptizandorum reſpexiſſem, quam penuriam Sacerdotum, qui baptizatos in officio continerent.

Nota hic aliqua deſiderari, quæ neſcio quo caſu exciderunt.

MorabaturGentilis quidam in tugurio ad maris oram cum mancipio iam morti proximo, peneq; exanime. Illac forte iter agebat Indus è noſtris, qui viſo mãcipio, rogat hominem, vt vel morientem deferat ad Patrem, vel ſibi permittat, vt illuc deferat miſerum ante mortem baptizãdum. Vtrumq; denegat Gentilis, ſe neq; velle deferre mancipiũ,

neq;

neque deferri; nullus enim, inquit, meæ gentis inter Christianos adnumeratus adhuc est: vt quid iste captiuus primus inter omnes nostrates? At infert Christianus Indus, en pretium, mancipium mihi quæso diuendito, tibi haud amplius profuturum. Annuit Gentilis, acceptoque pro pecunia duplici linteo, Indus mancipium humeris sublatum ad me quam citissime detulit, enixe rogãs, vt iamiam moriturum diuino tingerem lauacro, nec mora: victus piis tanti Indi (Pampangus erat) precibus, vaseque aquæ petito, ubi adhuc stabam, breuiter instructum mancipium baptizaui, quod statim moriens, æterna est libertate donatum. At quid amplius præstasset ex Europeis Christianissimus?

Inda nobilis Leitonsis, è Mindanaensium seruitute libera, huc vecta est ad Dapitanum: hanc curaui bene haberi ab Oppidanis, eo quod sæpius (in seruitute adhuc posita) à Tyranno incitata ad Venerem, nunquam assensa est, licet Campilano (gladii genus est) non semel impetita ad necem, quam peccato posthabuit: sicque à Deo etiam viuens mercedem recepit suæ castimoniæ, non sine mirabili eius prouidentia, è barbaris illis dæmonisque cultoribus huc ad nos deportata.

Dapitanenses autem tum in hac muliere, aliisq; Indis pro Christiana pietate bene accipiendis, tum in precum assiduitate, Temploque frequentando, facile fecere palam, quantum Christianis tribuant institutis: ex his præcipui fuere Pampangi, quorum linguam si callerem, maxima facta fuisset accessio virtuti: Illorum tamen omnium confessio-

feſsiones duarum triumue linguarum admixtione Deo iuuante facile excepi.

Quod verò ad me attinet, bene quidem mecum agitur, licet caſu quodam vulnere in tibia ad os vſque accepto, altero pede laborem non ſine claudicatione: ſed conualeſcam, tandem ſi licuerit, eo bene diſponēte, per quem laboramus. Vale. Hucvſq; Pater Acuna.

Verum Præſes ipſe Zebuanus, claſsisque Dux grati animi ſignificatione haud modica oſtenſa, ad me ſatis abunde perſcripſit de huius Patris Religione, Charitate, Humilitate, Paupertatis affectu, ac Prudentia. Claſsis tamen exacto bimeſtri, necdum percepto nuncio de pace per Mindanaenſes Indos expetenda; vela dedit, ad Zebuanam Inſulam reuerſura. Quid autem peregerint Mindanaenſes piratæ, infra ſuo loco dicemus: plurimum namque facit ad Chriſtianorum Indorum incrementum ſeu decrementum, profectum ſeu defectum, aut præliis ſe immiſcere, aut à præliis ceſſare; in bello periclitari, vel illo ceſſante perpetua pace potiri.

BOHOLANA DOMVS.

EX appulſione noſtræ Claſsis ad Dapitanum, quo tenebatur periculo, Boholana Inſula liberata eſt: illi ſiquidem non ſemel extrema minatus eſt Mindanaenſis prædo. Sed vbi primum ex eodem portu ſoluit Claſsis, incuſſus ſtatim eſt iterum timor viciniori bus Inſulis, Boholenſi præcipue, ac inprimis Labocenſi Oppido,

V quo

quo primum appellendum erat. Hic ergo Sacerdotes tres cum duobus fratribus ſedem habent.

Curarunt noſtri vallare ſeſe, ne forte inſcij impeterentur ab hoſtibus, ſed eorum validiſsimus murus fuit B^{ma} Virgo, qua duce optata uictoria potiti ſunt, vti colligere licet ex literis P. Petri de Aunon, qui de ea ſcripſit in hunc modum.

Territus aduentantium hoſtium fama increbreſcente Pater Rector; diuinam ſtatim ſtatuit opem petere, Virginisq; Sſmæ implorare auxilium. Decreuit ergo ſingulis quibuſq; diebus ſacras ei offerri à cunctis corollas, Litaniis eius pie decantatis, Sabbatosq; dies cōmuni ieiunio ſacratos voluit: his creſcente adhuc rumore additæ ſunt Miſſæ aliquot cum Salue Regina: quo quidem præſidio, mutatum eſt hoſtium cor eo tempore, quo certiorem ſibi ad hanc Inſulā parauerant acceſſum: nam Virgine Deipara, vti credimus, fauente, dum Mindanaenſes deſignato Duce in Pangenſi Oppido Claſſem parabant in proximum ventis committendam, noſtra ad Dapitanum appulit; quæ paulo ante eorum triremes immiſſo igne abſumpſerant. Nec diſpar quidem fuit Virginis eiuſdem in nos animus, cum deinde Mindanaenſis idem ſeptuaginta (vti ferebatur) nauigiis ad Lobocenſe Oppidum properabat accedere: nam eadem noſtra Claſsis, quæ octuaginta tantum hiſpanos milites, Pampangis pluribus Indis adiunctos vehebat, maximam inimicorū Claſſem audax Octonium verſus petiit, quæ quinque mille piratas numerabat; noſtri verò nondum trecentorum numerum implebant. Accedunt tamen cum hoſte certaturi: ſed

ab

ab insultante pirata semciriculo facto vallati impetuntur primum militaribus tormentis ad necem, edito ad superbiam campanarum seu momongnarum tibiarumq; sonitu. Sed Deo freti Hispani resistunt furori, obsistunt retibus, persistũt in pugna, insistunt vestigiis fugientium, trucidant supra quadringentos (vti ex oculato teste nouimus) nonnullis tantũ è nostris vulneratis, nulloq; quod sciam occiso. Hæc iubente P.R. perscripsi, quo V. R. pateat auxilium nobis, nostrisque præstitum à Bma Virgine, cui in gratiarum actionem Missas aliquot solemniter decantauimus. Hæc P. Xunon.

Et quidem profuit hæc nostrorum victoria Boholanæ Insulæ, quam rectà petebat hostis: profuit Indis nostris, qui quanti sint faciendi Hispani ex iustis eorum ausibus colligũt: nec obfuit parũ hosti, qui nostrorum paucitate territus maiorem aliquando numerum penitus cõficiendus pertimescet. Sed & tertio adfuit Virgo Boholensibus: nam licet nostri apud Pangum Mindanaensium, triremibus ignem iniecerint, quia tamen hostes ipsos multo mari iactati, aut capere, aut perdere nequiuerunt, non ita è re accidit illis quod optabant: Mindanaẽses etenim vocatis aliis finitimis Indis, iterum Lobocum versus remigarunt: at Deo pro nostris præliante, immisso furenti vento, vniuersam eorum Classem disiecit, adeoq; profligauit, vt ad Patriam oram vel inuitos prostrauerit, suffocatis ex illis supra ducentos, disruptis velis, fractisq; triremibus. Quare probe speramus duplici hoc damno illos aliquando à piratica exercitatione destituros, Christianosque Indos haud vnquam amplius infestaturos.

 His

His hostium tumultibus coacti sunt, nostri Seminarii Alumnos ad Tuborense Oppidum transmittere in interiori Insulæ parte situm, inimicis haud facile peruium: illis ducem dedit Patrem Aunonem; ad alteram verò maris oram Loboco è regione dissitam Patrē Acunam legauit, qui è Classi nuper aduenerat. Sed nullo reperto in Oppidis incola, difficile ei fuit aliquot congregare, qui de reliquorum fuga monerent: at neque hoc perfecit; accersitus namque eo tempore est à Patre Rectore, certum aduenisse nuntium, illac versus hostes classem ducere. Pater statim sumpta patria cimba, reuersus est remigās, quo vocabatur, sed fracto in mari temone, periculum haud exiguum subiit, sirtes scopulosq; vento compellente petiturus; euasit tamen ex aquis toto corpore madidus, nauiculaque pene demersa. Hic illud accidit mirabile, lapide illo Melitensi patratum, quod sic se habet.

Certo anni tempore, quo Subsolanus ventus efflat (hūc vocant Amihan) Februario scilicet mense Halices (quæ apud hos Tamban) ea vbique venena diffundunt, vt plures qui illis in cibum vsi tunc temporis sunt, violenta fuerint morte consumpti: eam reddunt causam, fluuiorum alluuione, ventorumque impetu è montium arboribus decidere frondes quasdam venenatas (Camandagiam appellant arborem) quas comedentes seu vorantes Halices, venenum sibi comparant facillime, alios sua morte necaturæ. Huius porro arboris succo, sagittarum mucrone peruncto, dum prælio vacant Indi, vbi primum sanguinem excus-

serint

ſerint ictu, nullo negocio vulneratis vel tantillum hoſtibus mortem afferunt. Ea tamen vi eſt arbor, vt nullam aliam ſecum creſcere patiatur, quin exſiccatis quibuſq; ſibi vicinioribus plantis, humorem illis denegatum, ſibi ſugit ad incrementum, proceritatemque: quod ſi transferatur vbi iam vireſcentibus foliis, aliæ arbores efflореſcant, vniuerſas ſtatim perdit arefactas. Sola tamen Plantula quædam Tambalia nomine huius vim comprimit, ſparſaque Camandagnia venena, virtute ſua extinguit, fugatue. Diuinoque beneficio factum vidimus, vbicumque venenatæ hæ arbores ſuccreſcunt, ibi haud longe enaſci alias, quæ venenum funditus tollunt. Illud verò mirum, ſi quis in ore deferat vel folium, vel fruſtulum exiguæ illius plantæ, licet venenato cuſpide ictus ſanguinem profundat, haud profundet vitam. Hinc quoties ad bella procedunt Indi, totieſ in ore aliquid ex his foliis geſtant, quibus veluti validiſsimis ſcutis aduerſariorum vim licet maximam effrangunt, debilitantque.

Delatus eſt ergo ad Patrem Indus quidam, qui huiuſmodi Halicum eſu morti iam proximus decumbebat, à quo non modo verbum, ſed nec ſyllabam quidem excipere valuit, quin & dentibus ipſis adeo inter ſe nexis iacebat, vt vix datus ſit locus, quo facta vi tantillum aquæ ſacro lapidi immixtæ inter vtroſque dentes infunderetur; qua percepta, veluti graui ſomno experrectus, breui ſibi ſalutiq; reſtitutus eſt.

Qui in Tuborenſi Oppido (vnus eſt è nouem huius Sedis locis) morabatur ſacerdos; cum inde

Talibongum verſus Indis frequentiſsimum pergere vellet, compulſus vento, ad magnum appulit fluuium Inabagnam; vbi luſtrato Oppido ad ripam ſito, perquirit primo infirmos alio quamprimum remigaturus: oblati ſunt ei tres recens nati infantes morti proximi, quibus baptizatis, facile perſpexit, ſe non à vento, ſed à Deo ſumma prouidentia eo delatum, quo periclitantibus eorum animis faueret; ſic namque breui placido vento vectus eſt quo tendebat: quid tamen in ea excurſione peregerit ipſe, qui paulo ante Pater Aunon, hoc modo narrat. Ad Talibogenſe Oppidum appuli fœlix: ſed illud Gentibus omnino deſtitutum ſubtriſtis reperi: mox certior factus de eorum fuga ad montes timore inimicorum inita; miſi qui de meo aduentu monerent, ſtatimque audito nuncio ex iis ferarum antris ſpecubuſque huc aduolarunt læti; breuique deſertum hoc in Oppidum mutatum eſt prægrande. Interim dum paratur Eccleſia, domum quam mihi parauerant pro Eccleſia habui, vbi ſe ad Catechiſmum plurimi compararunt. Ex his Sabbato quodam die ad Deiparæ honorem triginta fere ſelegi baptiſmo luſtrandos, quibus deinde tum hic, tum alibi adiunxi ducentos ac viginti: nec pluribus aliis fieri potuit ſatis ob ingruentium hoſtium ſparſos rumores. Porro Oppido nondum poſtrema manus impoſita eſt, ob vnius nobilis Gentilis pertinaciam, qui nulla prorſus vi adduci potuit, vt cum ſuis à prioribus ſedibus, ſeu potius ſpeluncis huc ſe conferret. Sed pœnas audacia ſua dignas, citius tamen quam putabam,

tabam, infœlix dedit: repentino namque morbo confectus interiit, nullo vel docente, vel opem ferente, vel baptiſmi nomen ad eius tantum aures inclamante. Pater verò euocatus ad alia Oppida, quæ eius opera egebant magis, eo abſcedere coactus eſt, facta prius plurium Indorum aggregatione ad eum locum, nondum tamen abſoluta, abſoluenda tamen, ſi per DEVM licuerit.

Seminarium ergo Boholenſe, de quo ſupra; licet locum mutauerit, haudquaquam mutauit mores. Adnauigabat ex Alumnis vnus è Tuboro ad Lobocum aliis comitantibus ſociis, ſed viſo Crocodilo territus, qui erecto corpore illam in parua cimba ſeu concaua arbore ſedentem iamiam apertis faucibus comprimere tentabat; ipſe armis carens ac viribus IESVM inclamat ac MARIAM, quo audito Crocodilus, quaſi imperio compulſus, ſtatim ſe merſit in aquam, puero immuni relicto. Sed factum hoc alio confirmare haud deſinam.

Indus quidam è noſtris nauigabat incertus futuri periculi: obuiam namque ei factus Crocodilus non terruit tantum, verum & vnguibus ipſis aggreſſus eſt miſerum, breui ſuffocandum: Indus in tanto periculo: IESVS me MARIAQVE adiuuent inquit: his prolatis verbis bellua illa arreptum ſtatim dimiſit, cicatricibus tantum loco teſtium relictis. Magna quidem eſt DEI prouidentia erga illos, qui ſe illi tradunt in obſequium: Sed ecquis non mirabitur de his, quæ ſubdam? Sedebat Gentilis ad fluminis ripam (in hac eadem

Insula) nil sibi suspicans mali: sed ecce prægrandis Crocodilus aperto hiantique ore inuadit improuidum mox deglutiendum. Ille territus visu ac semianimis, furentis bestiæ impetu hæret primo: sed sibi in memoriam reuocans salutare illud Christianorũ contra huiusmodi feras remedium IESVM, ac MARIAM ingeminat gentilis adhuc: extemplo sistit Crocodilus, prædaq; relicta ab incepto desistit, illum veritus, qui pullis etiam coruorum inuocantibus adest.

Sed haud prætéribo quidem quanti res nostras faciant Infideles, quantumq; vel sanctissimo Domini Nomini, vel Sacrosanctæ eius Cruci fidant, in quocumq; vel periculo vel necessitate constituti: nam cum cernerent Christianorum sata fœcundo gramine crescere, Crucibus in singulis campis erectis; rursus proprias viderent segetes infœcundas, macieq; confectas ac pene marcidas, Patrem adeunt interrogaturi, num sibi etiam liceat cruces in campis erigere ad suarum frugum vbertatem? Annuit Pater omnibus præsto esse Deum, sed iis præcipue, qui se Diuinæ eius curæ committunt; quo responso læti Gentiles campos opplerunt Crucibus, haudquaquam diu Christi Crucis inimici futuri.

Nunc ad Seminarium reuertamur. Mirum quantum proficiant pueri vere flores è spinis excerpti, quantumque aliis exemplo prosint ac verbo. Mitto nunc frequentem sacramentorum vsum, pietatem, corporis castigationem, orandi assiduitatem, ieiunandi studium, aliaque multa, quę non puerum, non Indum, non recens Dominico

gregi

gregi aggregatum hominem, ſed ſenem, ſed Europeum, ſed vere Chriſtianum virum decent: ſed hæc communia. Inuiſerat puer parentes ſuos die Dominicæ Morti ſacro, huic illi gentiles adhuc carnem ad cibum offerũt: is verò, haudquaquam, inquit, hoc paſcar cibo nobis hac die vetito, moriar prius: Arreptaque inde loquendi anſa adſtantes; omnes infideles de Bonorum præmio ac de Malorum ſupplicio audacter monuit, mouit, terruit, illud aſſeuerans, neminem qui Chriſto non ſe adiunxerit, æterna fœlicitate dignandum: quæ res non minorem illis incuſſit formidinem, quam mœrorem. Tidem alumni iter facientem Patrem comitabantur aliquando, moxque inito inter ſe cõſilio infideles aliquot, qui in comitatu erant, ſibi adiunguut, aliuſq; alium aſſociatum, Chriſtianus gentilem inſtituere cœpit, de iis quæ ad Catholicam fidem conducunt, tanto animi ſenſu, tantaque verborum efficacia, vt ea prudenti aſtutia & Patris lætitiam auxerint maxime, & infidelibus ipſis ſpem fecerint, futuros aliquando fideles. Sed haud minorem noſtris oſtendunt fidei ſuæ firmitatem, dum infidelium parentum idola, vel contemnunt, vel irrident, vel conterunt, vel ſi ſenſu prædita ſunt, interimunt. Lacertum in Biſaiorum Deum, vel Lacerto ſimile animal, non ſemel occiderunt, quotquotque habent obuios eo impetu trucidant, quo timore eorum Maiores, aut venerati ſunt olim, aut venerantur adhuc. His ergo facinoribus Dei nomen creſcit & gloria, confuſis penitus illis, qui adorant ſculptilia, quiq; gloriantur in ſimulachris ſuis.

CARIGARENSIS SEDES.

TRes hic etiam commorantur Patres cum duobus Adiutoribus fratribus: ſed additus eſt illis alius ſacerdos, hoc anno cum Hiſpano homine noſtrę Societatis cupido, quiq; hic noſtris libenter in omnibus adeſt. Hinc fit ad Ogmucenſes excurſio, atq; ad alia quinque Oppida acceſſus. Porro Carigara, quæ caput huius ſedis eſt, alia ſeptem Oppida habet viciniora, ad quæ excurrunt noſtri frequenter non ſine fructu· licet illum dęmon, vti ſolet, perdere non ſemel tentauerit, de quo infra.

Vbertima extitit ſeges maximi ieiunii tempore, quo veluti expanſis velis Chriſtianarum virtutum maria tranarunt Chriſti fideles, diuini Spiritus afflante vento. Quare in Bacchanalibus pœnitentium tunicas aptarunt vniuerſi, flagellisque propriis acutos inſeruere cuſpides, quibus ſe macerarent, nõ quidem maiori hebdomada tantum, ſed in ipſo Quadrageſimæ limine non abſque fœnore: hinc eorum ad Deum preces inter flagellandum efficaciores: hinc ſuſpiria & lachrymæ, quibus peccatorum veniam impetrarent: hinc genuflexiones, adorationes Crucis, Imaginũ ſacrarum cultus eluxit; quo veluti firmiſsimo muro tecti hoſtium manus euaſuros ſe ſperarunt; ſiquidem in vulgus diſſeminatum tunc fuerat, citius quam ſperabatur aduenturos. Hic autem piæ verberationis vſus quotidie per totam Quadrageſimam ſub noctem ab illis eſt vſurpatus, mirantibus ipſis

hiſpa-

hiſpanis militibus, qui hic aderant, quique tanta ſanguinis effuſione viſa, victos ſe à recentibus Chriſtianis affirmabant. Adfuere ſacris cineribus ſuſcipiendis vniuerſi; nec prætermiſſus eſt aut infans aut infirmus, qui hac ſacra cæremonia non frueretur.

Eccleſia in ſcholam verſa eſt, vbi ſingulis diebus inſtituebantur omnes, præcipue verò ſenes, quibus labente memoria operæpretium fuit, adeſſe magis quā aliis; ſed nec iiſdem defuimus, vel victu aliquo, vel veſtitu pro viribus; quo officio & iam Chriſtiani magis hærent in fide, & infideles ad fidem accedunt magis, illud in ore habentes, nullum reperiri Deum, Chriſtianorum Deo excepto, ſiquidem eius Miniſtri (inquit) nulla habita perſonarum ratione, adſunt vniuerſis; quod ſi quid adhuc amplius præſtant, id pauperibus erogant libenter, aut ſenio aut morbo oppreſsis, qui per eos ad Eccleſiam delati, vel inſtruuntur, ſi gentiles, vel ſacramentis muniuntur, ſi Chriſtiani ſunt. Adduxerunt aliquando ſenem ad Eccleſiam futuræ forte fœlicitatis pignore lætum: hic licet nihil ſibi de futura morte conſcius eſſet; rogat tamen enixe Patrem, vt cunctis eum muniat Chriſtianorum armis breui cum morte conflicturum. Pater tanto ſenis deſiderio permotus, illi vt poteſt, facit ſatis: ſed dum domum regreditur aliorum humeris aſportatus ſenex, ecce in ipſo itinere moritur ad Beatorum ſedes, vti ſperamus, euectus.

Ipſa Quinta Dominicæ Cœnæ feria, præuia ſupplicatione, decantataq; rite Miſſa, in qua nonnulli ſacro Chriſti corpore paſti ſunt: facta eſt ablutio pedum

pedem duodecim pauperibus, quibus & exhibita eleemoſyna, mirumq; fuit Biſayas ſuſpenſos tantæ rei nouitate cernere: ſed longe adhuc maiorem incuſsit admirationem Chriſti D. plures effigies cernere, vel ſanguine madentes, vel flagris male habitas, vel ſpineis ſertis deformatas, vel clauis ipſis Cruci affixas, vel emortuis lanceaque tranſuerberatis ſimiles: nec defuere tamen, qui antiquarum Gentium more illud omne pro ſcandalo ducerent, vel ſaltem ſtultitiam arbitrarentur. Audierat Chriſtianus quidam, irriſam fuiſſe à Gentili Chriſti D. in Cruce pendentis effigiem: quare pio furore actus hac illacq; vagus quæritat, clamatq;, ecquis tã audax extitit, qui nullo aut metu aut reuerentia ſuadente, blaſphema in Dominum meũ verba iactauit? Docebo inquit illum, quidnam mali patrauerit, oſtendam quam impie geſſerit: quin? vitam hanc profundam libenter, vt probem IESVM CHRISTVM verum eſſe Deum, Deoſque Biſayorum beſtias eſſe, lapideſue. Sabbato ſancto ad Gloriam Domini reſurgentis factus eſt campanarum pulſus, tibiarum ſonitus, ſcloporum ictus, muſicorum cantus, lætantium plauſus, haud de more apud hos Indos, quibus in ſumma cęcitate paulo ante degentibus, lux tandem Euangelica illuxit.

Ex hoc Catigarenſi Oppido vela dedere ſacerdotes duo, reliqua ſedis Oppida luſtraturi; ſed in ipſo diſceſſu, oborta graui tempeſtate, parum abfuit, quin mergerentur: ſed Deo protegente nauiculam, remittit aliquantulum ventus, ita vt facile portum, quo coacti tendebant, non quo iuſsi

mitte-

mittebantur, tenerent. (Nec caret quidem admiratione è nostris neminem tot annis, quamuis assidua fluminum alluuione, marium tempestate, ventorum turbine, scopulorum sirtiumue multitudine agitati fuerint frequenter; aut periisse, aut mersum fuisse: & tamen periclitati sunt plurimi ruptis velis, rupto clauo, fracto nauigio, vel etiam ad scopulos alliso.) Patres ergo dum nauigarent incidunt in infirmum exigua cimba vectum, qui illos de sui ipsius periculo facit certiores: hinc ex illis alter ad littus descendens, eius audit cõfessionem, qua peracta interiit æger. Patres in littore biduo etiam subsistunt, vento adhuc contrario perurgente: post hæc pedestri itinere Ogmucum petunt non sine labore, nec sine fœnore: nam vbi primum ad Oppidum peruenerunt, vocati sunt à vetula quadam captiua recens baptizata, quã per eorum alterum auditam, sacroque oleo tinctam mors oppressit, haud amplius captiuam futuram. Alia nobilis cuiusdam Indi vxor à Gentilibus capta, in dolorem morbumque inciderat: sentiebat illa quidem captiuitatis vim, sed pertimescebat magis mortem sibi vitam ablaturam inter gentes. Rogat obnixe Dominum, ne ferat illam absque sacramentis obire, licet extremum obeat inter barbaros illos diem. Adfuit Deus, qui semper adest, auditque clamorem perpetuum. Extemplo oranti illi apparuit adolescens pulcher habitu, aspectu pulchrior, pulcherrimus stemmate, quo incedebat insignitus: gestabat namque in altera manu Christi D. Cruci affixi Imaginem, qua adeo recreata est mulier, vt præ lætitia eodem tempore

morbus

morb. dolorq; euanuerit omnino: nec multo post libertate donata, suis restituta est vtroq; homine fœlix. Petiit aliquando Sacerdos ab Indo Gentili, vt sibi patefaceret, vtinam se haberet seges? resp. ille bene quidē mecum ac cum segete agitur, Deo vestro ita volente; siquidem Crux, quam in campo fixeram, illam ita probe custoditam habet, vt omnium maximam expectem messem. Carigarenses Indos timor inuaserat, peritura breui sata omnia imbrium penuria. Inuitantur à P^e ad supplicationem ineundā, qua à Deo petant pluuiam, assensum prębent vniuersi, Oppidumq; circumeunt supplicantes: mox eodem die tātus decidit imber, quántum ipsi exoptauerant. Idem assecuti sunt alterius Oppidi incolę nō supplicatione instituta, sed sacris nonnullis auditis, quibus à D^no quam petierant aq̃ facile obtinuerunt. Ex his Indus quidam dum solus in campo iter faceret, obuiam repēte facto venenato angue territus, dum fugam arripere non audet, elata voce IESVM vociferatur, quo dicto stetit Indus incolumis, anguis verò, qui illum fuerat insectatus, nullo persequente recessit.

Ædificata est hoc anno in hac sede perampla Ecclesia, antiqua iā diruta. Dedicationi adfuere nostri quotquot in variis Excursionib. versabantur. Data est Comœdia à Seminarij Dagamensis Alumnis vernacula lingua, in qua de Gentilium errorib. deq; nostræ fidei veritate agebatur: q̃ quidem non minus placuit Christianis, quam infidelibus, his vt Ecclesiā eiusq; sacramenta vsurpent frequentius; illis vt aliquādo sapientiores effecti resipiscāt. Verum frequēs iam est infra hebdomadam sacris in-

teresse

tereſſe, Virginis Roſarium etiã inter pueros quotidie alternatí in Eccleſia percurrere; orationi diu vacare, ſacram^tis^ vti cum fœnore, cum lachrymis, cũ progreſſu, nec non & ſumma eorũ lætitia, qui dulces capiunt fructus ex iiſdẽ prorſus arboribus, quas haud multo ante non ſine laborib. ſua manu plantauerant. Hunc curſum tenebant res noſtræ; cũ ecce ferus ille Leo, qui cuncta vaſtare ac diripe ſolet, inuidia communis boni furens, curauit perdere vniuerſa: breui namq; tempore armata Caragum, Sanguilumq; Claſsis huc ex Mindanaenſi Inſula aduecta, Carigarenſe Oppidũ cum reliquis adiacentibus ſolo æquauit non ſine luctu, detrimento maximo. Perlatum prius fuerat nunciũ Prętori de hoſtiũ irruptione: cum hoc tũc temporis erant octo hiſpani milites; nec plures habebat Oppidũ: dũq; facto ſigno arma parant Oppidani; miſsi ſunt qui rem verius ſcrutarentur: armantur itaq; ſupra quingẽtos ac quinquaginta ex Indis, qui quidem octo illis hiſpanis adiuncti impetũ aduentanti hoſti facere potuiſſent, vel ſaltem terruiſſent, vt deſiſteret. Perlatum mox eſt falſum eſſe rumorẽ, hoſtemq; nullũ velificare: qua re cognita ſuos quiſq; repetiit campos, reiq; ruſticæ, vti mos eſt operam dant vniuerſi, hiſpanis ad diuerſa loca ſeſe conferentibus, è quibus Prætor Samarum petiit. Sed haud multum ſtetit pax: ineunte namque menſe Decembri adfuit celer Indus feſſus itinere, vultuque triſtis ex Ogmugenſi Oppido miſſus, qui Domum noſtram vna cum Eccleſia hoſtium incurſu igni traditam nunciat, Oppidum violatum aſſerit, & quod prius eſt, ex Oppidanis plurimos, oculatus teſtis, captos enarrat. Inuiſebat tunc Baibaium P.

Fran-

Franciſcus Encinas , cui nihil abfuit quin in hoſtium manus deueniret: nam dum eius iuſſu Indus quidam Canamuccam verſus iter facit , quo de futuro illuc Patris aduentu Oppidanos moneat; videt in ipſo mari piratarum Claſſem iamiam appropinquantem: quare cito curſu reuerſus monet Indos , vt ſibi conſulant , hoſtem appropinquare. Hinc omnes terrore perculſi, hac illacque abſque ordine curſitant: quidam ex editis domibus per ſcalas deſcendunt celeres, alii concito ſaltu ſe dant præcipites; hinc clamoribus omnia implent, montiumq; receſſus, vt poſſunt adeunt. Inter hæc Indus Patrem de fuga monet, ſecumque vt eat ſuadet. Sed ipſum præſtat audire de ſua fuga loquentem.

Benedictus Deus, qui nos flagellis affecit ad præmium, ſi nos ſpectes : Verum ſi Indorum damna contempleris , intimos pungit cordis receſſus, cernere huius noui gregis detrimenta ; dirutas pauperum domos, res abreptas Dominis , Eccleſias igne abſumptas, Oppida ſolo æquata, Oppidanos abductos, tenerasq; Chriſti plantas alio translatas, ſpinis inſerendas, ac vepribus. Noſti iam ex aliorum litteris, vt arbitror , quid nobis acciderit. Ex Ogmucenſi Oppido, vbi cum fratre Alfonſo Gomeſio degebam, poſt feſtum Præſentationis Virginis, me ad Barbarum contuli Oppidanos inſtiturus; dumque in Templo nonnullorum confeſsiones audirem, monitus ſum ab Indo, hoſtem omnia perdere, vaſtatoque Ogmuco, huc citum properare : inde verò abſcedens Indum ſecutus ſum, breui arbitrans futurum me captiuum ; alii

territi

territi magis ſuadebant, vt arrepta fuga latibulum mihi compararem. Sed breui noui, hoſtem Oppidum aliud huic proximũ depopulari, quo audito datus eſt mihi locus, vt domum iterum rediens ſacras veſtes, eccleſiaſticamq; ſuppellectilem, quæ haud magna erat, vel mecum transferrem, vel ſaltem in tuto collocarem. Poſt hæc in ipſa ora maris paulatim gradiens mihi pedibus cõſulebam, mœſtis verò oculis Oppido, vti par erat, compatiebar: ſed compulſus ſociis, qui Oppidanos iam è ſuis domibus receſsiſſe aſſeuerabant, iter celerius inire cœpi, illis potius conſulturus quam mihi, quippe qui à me nullo ſeiungi pacto volebant. Mihi verò haud placebat à meo munere deſiſtere; nec tamen credebam hoſtes aduenturos. Peruenimus tandem ad locum quendam præcelſis arboribus conſitum, ad quarum radices, vt potui, altare locato ſacrum peregi. Miſi deinde duos, qui de hoſtium irruptione monerent: hi præ metu noctem præſtolantes, ſequenti die ſummo mane reuerſi ſunt: ſed nos eodem tempore è noſtro latibulo inimicos non longe à nobis diſsitos vidimus. Decreuimus ergo ſacris ibi veſtibus relictis fugam arripere: inſtabat namq; hoſtis qui nos inde conſpexerat. Miſſale ſolum cum calice aſportauimus. His ſe nobis dedit in ſocium nobilis Indus, qui ad fugam dux extitit; breuiq; vidimus hoſtem in eodem loco ſubſiſtere, vbi nos ſubſtiteramus. Inde ſyluarum denſitatem, latibulaq; quæritantes hac illacque vagabamur: poſt hæc per fluuium gradum facientes, ne veſtigiis in terram impreſsis dignoſceremur, paulo poſt per montium rupes, val-

liumq; profunditatem ſyluarumque amfractus, haud figentes terræ veſtigia, ſed vel lapidibus, vel arborũ radicibus, nullo ſanguiſugarum metu, nullo ſpinarum horrore, iter noſtrum primo confecimus, vſque ad meridiem.

In edito ergo colle ſub prægrandi arbore ſubſtitimus vento liberi ac pluuia, quæ haudquaquam guttatim decidebat. Nobilis ille cum ſocio, reliquis mecum præſtolantibus reuerſus eſt, eadem qua venerat via, tum vt ſecreto ſcrutaretur hoſtes, tum vt nobis cibum quæreret itinere fatigatis: interim reliquam eius diei partem, cum nocte tranſegimus nullo pallio, nulloq; tegumento protecti, ſed nec alio ſolamine, quam vel plurium auiũ mœſto cantu, vel arborum multitudine ſylueſtrium. Indi porro illi, qui miſsis à nobis fuerant, viderunt hoſtem conſcendiſſe triremes velaq; daturũ: mox inde recedentes nobis cibum alium haud detulerunt, quam radices aliquot teneriores, quas tribus ouis adiunctas plures comedimus, hilares quidem in tanto diſcrimine Dei beneficium agnoſcentes; ſiquidem qui hæc deferebat, diu per montem hæſitans errauit, tãdemq; ſub veſperum inſequentis diei ad nos appulit fame pene enectos: ſed famem quodammodo fugauit nuncium illud, hoſtes iam vela dediſſe. Hinc regreſsi ſumus eadem via, perſpeximuſque, hoſtes ad dimidiatum vſq; iter nos fuiſſe inſecutos, ſuiſq; gladiis ſibi viã ſtrauiſſe, abſciſsis hinc inde arborũ ramis. Placuit namq; Deo eorum hoc modo rabiem comprimere; odiumq; quod in noſtros Indos exercere cupiebant, in ſtipites truncoſq; cõuertere. Nec tamen pepercere

cuidam

cuidam ſeni, quem membris captum, pręira necarunt, nondum fidelem: alium ipſe reperi debilem, ſed in tanto vitæ periculo, vt potui inſtructum baptizaui, ne omnino periret. Nocte ingruēte maris littus petiuimus, luna lumen miniſtrāte, inde pluuia madentes, domunculam in campo ſitam adiuimus ad ſolatium, ibi longo itinere laſsi quieuimus, ſi tamen vlla quies in bello. Mane facto Oppidum illius nobilis Indi inuiſi, ibique per hebdomadam ſum moratus, tum occiſorum, tum captorum numero triſtis, de quorum numero nondum certior factus fueram. Peracta hebdomada ad Baibaium cum ſocijs me contuli: domos vidi nequaquam exuſtas; ſcienter ſiquidem illas ab igne ſeruauerant hoſtes, ne per ignē aut fumum à propinquis Oppidis noſcerētur. Domui tamen noſtræ haudquaquam pepercerūt, quam plurimis armorum ictibus pene confecerant: hic nullo viſo Oppidano aut cibo, fame conſumptis fauit illac forte tranſiens Indus, qui aprum venatione captum humeris aſportabat, quiq; noſtri miſertus dimidiam eius partem dono lubens dedit, quo reliquam diei partem cum inſequenti nocte peregimus.

Poſtridie Ogmucum verſus tetendi, Deoq; bene volente pluriū fluuiorum vada ſuperaui, ibi vulneratorum confeſsiones audiui, dein aliis in campo degentibus adfui, vbi vnius confeſsionem excepi, qui ea peracta ſpiritum Deo reddidit: quotidie Eccleſiam ab hoſte crematam, vel ſacros eius cineres dolens inuiſebam. Sed iam callum obduxeram reliquis ferendis incommodis: illud tamen durum, Breuiarum deſiderari Diuinūq; officium

non adesse ; Horas tamen minores, vti poteram memoriter recitabam, pro matutinis tamen precibus B. Virginis laudes euoluebam. Hinc Carigaram adiui: nondum enim noueram, quid de nostris Patribus factum fuerat. In hoc itinere, quod facilius visum est illud fuit, ascensus montium difficiles atque arduos experiri, imbribus fatigari maximis, vento pene vrenti agitari, spinis rubisque impediri: euicimus tamen vsque ad noctem tanti itineris labores, ac licet multo frigore laborarem⁹, haud defuit nobis exiguũ tugurium, quod ex prægrandibus arborum foliis nobis cõparaueramus, quo vna cum accenso igne noctem illam transegimus. Secundam diem asperiorem experti sumus difficiliori itinere, magisque arduis montium cliuis, quibus scandẽdis tum vento tum pluuia adiunctis amplius quidem laborauimus, quam possent vires sustinere: adde sanguisugas cruribus tenaciter hærentes in fluminum seu lacuum vadis, quibus sanguinem ebibentibus, frigidos atque exangues pedes habebamus, eaque erant copia, vt nec tuta quidem colla faciesque ex huiusmodi bestiolis essent. Hæc inexpertis magni esse ponderis videbuntur; illud tamen vere assero, nullam vnquam in tota vita maiorem hac me percepisse lætitiam: sed quid hæc pro DEO lata? plura præstant alii indigniori fine, difficiliorique exitu: at quis nos separabit à charitate Christi? pudet me quidem paucula hæc inter labores adnumerare; sed pergamus. Peruenimus ad flumen quoddam, è cuius vadis emergere haud potuimus præ fluminis ipsius cito cursu ex aquarum allu-

alluuione compacto. Sed illo paulatim decreſcente, poſtridie proſecuti ſumus iter noſtrum in eodem fluminis alueo, ne præruptis montium cacuminibus fatigaremur: ſed eodem paulo poſt iterum creſcente, aliam in eius littore noctem abſoluimus haud ſuperioribus diſsimilem, maiori quidem ſolatio quam pane refecti, nec ipſe pro minimo habui tot noctibus dormiſſe madidis imbre veſtibus humoreque ipſo ac frigore penetratus, quippe qui pro ſtrato terram aqua madidam, pro tegumento cœlum habueram pluuioſum. Inſequenti die ad Alangalanum Oppidum peruenimus, vbi ſacro faciendo locus tandem datus eſt deſideranti.

Hic reperi Patres noſtros ac fratres Indorum quidem abſentia mœrentes, lætos tamen ſuorum aduentu. Haud facile mihi erit exprimere qua beneuolentia, quaue animi ſignificatione fuerim ab illis exceptus, illud ſit ſatis, ad Societatis IESV Domum me contuliſſe, atque ad veræ charitatis Domicilium appuliſſe: ſiquidem IESVS CHARITAS eſt, eiuſq; etiam Societas Charitas vocanda: benedictus Deus qui tali me Societi adiunxit. Huc vſque Pater.

Porro hoſtis præda lætus de populato Baibaio, ſecundo Ogmucum vndeuiginti ſtipatus triremibus petiit. Ibi frater Alfonſus Gomeſius, cum aliquot domeſticis Indis præſtolabatur P. Enzinã ex Baibaio reuertentem. Frater ergo dum ſummo mane in Eccleſia vna cum Indis preces, vti mos eſt, funderet ad Deum, reliquaque Chriſtiana elementa percurreret, monitus eſt a quodam, ho-

ſtem cum inimica Claſſe aduentare, multosque iam è triremibus deſcendere: quibus Domum noſtram petentibus, frater cum Indis è poſteriori Domus parte per hortum curſum arripuit, vixq; limen tetigerat fugiens, cum iam Mindanaenſes anterioris Ianuæ limina poſtesque confregerant campilanis, armorum genus eſt cultri ſimilitudinem, longitudinem enſis grauitatem prægrandis mallei repræſentans) abruptis, abreptisq; omnibus quæ in Domo, quæ in Eccleſia, quæ in Oppido erant: hîc Imagines cœno oblitas cerneres; Sanctorum effigies in fruſta diſſectas videres; ſacras veſtes ſanguinolentis manibus aſportatas aliò doleres; ſed & quę ſuperfuere minus appetenda igni tradita ſpectares triſtis, inter quæ Eccleſia noſtra cum Domo ipſa conſumpta, è quibus nullam hæ Biſaiorum Inſulę videre formoſiorem, firmioremque. Frater ergo qui aufugerat, niſi ducem habuiſſet expertum, fugiſſet quidem, ſed nequaquã aufugiſſet: Duobus diebus cum nocte vna per montes errans vagatus eſt ſine cibo, præter ſimplicem Coccum (nucem Indicam appellant, nuce longe maiorem) cuius ſuccu vſus eſt, magis ad potum quam ad cibum, adeoque debilitatus eſt, vt pluries in ipſo itinere exanimatus corruerit: die tamen tertia incidit in quoſdam alios Indos, qui etiam ſibi fuga proſpexerant, à quibus in cibum aliquot arborum radices, quibus Indi ſuſtentantur, accepit, quibus aliquantulum recreatus, iterum reuerſus eſt ad Oppidum, ab hoſtibus dirutum, ab igne vero abſumptum. Concremato (inquit ille) noſtro Oppido, aptaui me ad Carigarenſe iter

con-

conficiendum, quod equidem poſt quatriduum peregi montibus, vepribus, ventis pluuiaque agitatus: biduum ie unus cōfeci pene confectus, fluuiorum curſu præpeditus, ſed adnatantium humeris vectus eorum vada ſuperaui non ſine periculo, adeò exanguis ſugentibus ſanguiſugis, vt animo ipſo ſæpius conciderim: in hiſce laboribus poſitus erubeſco, ſiquidem per illos haud proficio: licet tamen mihi ſummas Deo gratias agere, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, quiq; dedit mihi haud digno hiſce recens ſibi adiunctis Biſais aliquantulum prodeſſe, ſeu potius deſeruire ad ſui nominis gloriam; pro quo qui nihil vnquam poſſedi, plurima libenter relinquerem, ſi plurima poſsiderem. Fœlix quidem millies ille cenſebitur, qui pro his Chriſti D. paruulis labores quoſcumq; pertulerit, ſeu terra gradiens, ſeu vectus mari, ſeu cibo aut potu deſtitutus: is ſiquidem haud deſtituetur à Deo, qui vere diues eſt in miſericordia, cui nunquam defuit aut poteſtas, aut voluntas munerandi eos, qui in eius obſequio vel famulatu perſeuerant. Ipſi honor, ipſi gloria. Amen.

Ad Carigaram ergo appulit, octauo ab Ogmucēſi depopulatione die nudis pedibus, veſtitu madido, corpore ſanguiſugis lacerato, macie fameq; pene enectus, vt facile ad miſericordiā doloremque permouerit Patres, qui eum hoſpitio exceperant: ac licet breui priſtinis reſtitutus ſit viribus, breui tamen ēt in alia hoſtium irruptione laborauit: iiſdem namq; diebus vulgatū eſt, Carigaram uerſus tendere Mindanaum. Armant itaque ſeſe

Carigarenſes reliquis Indis audaciores: hoſtem præſtolantur in littore, ad quod appulit Claſsis ante ſolis ortum. Timuit primo noſtros hoſtis, dein diſploſis nonnullis exiguis bombardis oram tenuit celer. Deſcendunt turmatim omnes, emiſſisque ſagittis noſtros continent ne irruant: noſtri tamen ibi ſtantes occidunt ex hoſtibus nonnullos; moxq; fugiente hoſte, arrepta fuga recedunt, Oppido hoſtibus relicto, quod breui ab hoſtibus concrematum eſt. Interim per biduum prædæ vacarunt Mindanaęnſes, qua nulla maior extitit apud Biſaias, ob Oppidi Carigarenſis magnitudinem, opulentiam, rerumque neceſſariarum abundantiam. Igni tradita eſt noſtra Domus cum Templo, quo nuper ædificato, nullum illuſtrius vidit vnquam Pictorum gens. Capti ex Indis nonnulli, reliquis omnibus fugæ traditis. E noſtris qui tunc aderant captus eſt nullus, Deo opem ferente: montium namque receſsibus latebriſque tutiores effecti, inimicorum manus effugerunt. At quamuis patiantur, vel compatiantur noſtri dum pro Deo pericula ſubeunt, haud quaquam refrigeſcit animus vel plura expetendi, vel plures exantlandi labores, vel plura ſociis inuidendi: ſic namque datis, acceptiſque inuicem litteris incendunt frigeſcentium corpora, atque ad plura pro Domino ferenda diſcrimina quotidie inflammant.

Sed vt tum noſtrorum, tum Indorum neceſsitatibus remedium aliquod reperiret ipſe Pater Carigarenſis Rector, operę pretium illi fuit, ſe Manilam vſque conferre; vbi non minori fuit exem-

plo

plo eius modeſtia, ac virtus in ſociorum laboribus referendis, quam eiuſdem apud Biſaias conſtantia in periculis omnibus æquo animo perferendis. Bene tamen in hac vrbe habito plures exhibitæ ſunt eleemoſynæ ab Hiſpanis Ciuibus. Adfuere etiam illi libenter, pecunia rebusque domeſtico vſui neceſſariis Antipolani Taitaienſes ac D[i] Michaelis Oppidani; nec non & Regii Ærarii Miniſtri, tam ad redimendos captiuos, quam ad ſubleuandam communem inopiam, eccleſiaſticamq; ſuppellectilem comparandam, Regis nomine pecuniam liberaliſsime ſunt elargiri: quare ad ſuos breui reuerſus, potuit nouæ Eccleſiæ inſtaurationi non minus adeſſe, quam prodeſſe: nec illi deinde difficile fuit dominicum gregem congregare, quem prius communis hoſtis facile diſperſerat. Itaq; priſtinum ſtatum ſortita ſunt vniuerſa, quin & perfectionem ſortitura ſperamus: nam haudquaquam obſtantibus hiſce bellorum inſultibus ſexcenti fere in hac tantum ſede baptiſmi lauacrum percepere; atque vt certiori euentu vniuerſa procederēt, legatus eſt à Regio Senatu dux, qui diſpoſitis noſtrorum Triremibus pararet Claſſem, quam futurus harum Inſularum Prȩſes, armatis militibus mittat aliquādo ad retundendos, ſeu reprimendos barbarorum impetus, qui de percepta victoria tumidi, Hollandorum hæreticorum (qui Malucum petere, mariaque hæc infeſtare ſolent) ſocietatem expetunt ad maiora audenda facinora, ſeu potius ſcelera perpetranda.

TINAGONENSIS RESIDENTIA.

OCto è nostris alit hæc sedes, è quibus quinque sunt sacerdotes. Præcipua huis sedis Oppida tria sunt, demptis excursionibus, ac Catubigana recenti missone. Quod attinet ad Tinagonem, vellent quidem cæterorum Oppidorum incolę eodem vti beneficio; nostrorum nempe assiduitate, Missarum frequentia, Concionum numero, Hortationũ multitudine, Exemplorum fructu, quæ quidem omnia ex ipsa Patrum statione promanant. Quare factum est, vt hoc Indorum desiderio crescēte, duplo magis cresceret hoc anno Oppidum habitatorũ copia, quam antea erat: vnde fit, vt aduenientium numero crescat salutis studium, quod quotidie magis experimur, tũ antiquorum Christianorum perseuerantia, tum recentium feruore crescente, quod etiã fuit in causa, vt duorum Capitum inter se dissidentium discordiæ (manus namque armauerant ad singulare certamen, quo periclitabatur quidem nouorum statio habitatorum) breui per nostros sopirentur, nullo iam dissensionis vestigio vel minimo apparente.

Præter ea, quæ de aliis Domibus huc vsq; perscripsimus (quæ hic pari religione ac pietate peracta sunt à nostris) præcipua tantum seligam. Congregatio B. Virginis instituta est, die D. Ioanni ad Portam Latinam sacro, exiguo quidem numero, sed haud exiguo fructu. Creuit Alumnorum numerus

merus,quibus declaratum eſt,quæ ſint ſodalis cuiuſque partes. Totius ergo vitæ crimina expiata ſunt primo,dein ſacra percepta Euchariſtica, ſe de more Virg[i] obtulerunt in obſequiũ, præuia breui oratiuncula, qua ſe in tantæ Dominæ famulatum darent: menſtruis adſunt communionibus ea cōſtantia, vt ind cta per duas vices ſacræ Euchariſtiæ ſumptione,cum deinde operæ pretium fuiſſet,ſacerdotem ad aliud Oppidum migrare, ne tanto bono fraudarentur,plures è ſodalibus Patrem ipſum, etiam in alieno Oppido commorantem conuenerint, ſemel per biduum nauigantes: alia verò vice ſupra quindecim dies mare ipſum tranantes, quorum exempla non minus Indi quam hiſpani mirati ſunt: at cur hæc mirari non deberent?

Plane etiam perſpeximus quantum noſtros diligant, resq; Eccleſiaſticas venerentur: nam cum ob Mindanaenſium hoſtium rumorem interiora Inſulæ petere ad latebras cogerentur noſtri, plures Indi eos lubenti animo ſunt ſecuti, quo deinde conſtructo exiguo ſacello mirũ eſt, quot è longinquis locis, vel ad audienda ſacra, vel ad percipienda Sacramenta conuenerint. Dein reuerſis iam noſtris ad priores domos, iterata ſunt pietatis officia, hebdomadaria verberatio, generalis vniuerſæ vitæ confeſsio, aſsidua dominici corporis perceptio, precumque antiquus vſus. Quidam cœleſti pabulo refectus (alias bonus) ſummo mane, haud diu in gratiis DEO exhibendis pro tanto munere perſeuerauerat. Vidit eum forte Pater,ſimulque increpans, vt quid tam

citus

citus, inquit, in precibus es? nonne cœleste iniuisti conuiuium? hanc tibi iniungo pœnam: iterum flexis genibus Deo gratias age, neq; inde surgas, antequam monearis. Stat dictis Indus, persistitque in precibus vsque ad Vesperam. Pater rei oblitus alio perrexerat, sed cum deinde solum in Ecclesia cerneret demissis genibus recitantem, quid inquit hic agis? pœnas, ait, do per te mihi iniunctas admiratus Pater Indi obediẽtiam, bene habitum dimisit.

Pluribus vtebantur in partu mulieres (patrio ritu) superstitionibus : sed iis sublatis, successit Sanctorum imploratio, precumque vsus in Ecclesia. Mulier quæ in priori partu mortuo fœtu, emortua pene iacuerat : nunc in secundo sibi timens B.P.N. IGNATII, aliquot ante partum diebus implorare cœpit auxilium: mox paritura accersiuit Patrem, cui confessa crimina illud addidit: Est ne tibi aliquid IGNATII Parentis, quo quasi fideiussore fœcundo læter partu? est inquit sacerdos, simulque profert sacrarum Reliquiarum thecam, quam collo suspendit mulier Deo fisa, nouique Patroni precibus, pauloque post fœlicem partum sortita est, nullo fœcundata periculo.

Mortifero morbo pene confecta iacebat alia, cum ab hominibus destituta, à Deo ipso recreata est. Hæc conualuit deinde, Patrique nostro hæc verba retulit. Moritura iam, iussa sum per visum à Patre, cui crimina detegere consueueram, ad cœlestem illam vrbem pergere, ibique quædam eius nomine verba cuidam Sacerdoti referre. Verum cum respondissem, me haudquaquam tale nosse

nosse iter: ille statim duos mihi concessit itineris socios, pulcherrimos pueros Angelis persimiles, qui me per inuia quædam spinis oppleta ac vepribus loca duxerunt, dein per abruptos colles, vbi vix itineri locus dabatur, euectam adducunt tandem ad amplam viam, rectam, patentemque qua breui ad Cœlum perrexi. Ibi aperta nobis ianua vidimus multos, qui festum quasi solemne peragebant, eo modo quo hic in Ecclesia sacri dies celebrari solent. Accessi ad eum, ad quem missa fueram, qui item societatis Pater erat, cui præcipua festi illius pars erat solemnis, quippe qui sacris erat indutus vestibus, quasi sacra facturus; ille tamen mandatum excepit libenter, meque statim dimisit: ego festo illo hilaris facta & quasi allecta diu ibi perstiti oblita Oppidi, oblita consanguineorum, oblita mei: locus enim ille Templo non dissimilis tanto erat splendore illustratus, tot luminibus clarus, tot diuitiis plenus, tot decoratus rebus haud quidem sublunarium similibus, vt præ admiratione hærerem, præ magnitudine vix caperem, præ excellentia vix eas percipere possem. Cuncta suauissimis fragrabant odoribus: saltabant ipi formosissimi pueri tripudium ducentes, quo singulorum oculos ad se conuerterant. Audiebatur tibiarum sonus, dulcissimusq; canentium resonabat numerus, ita vt extra sensus facta viderer. Post hæc ex Ecclesia ad vrbem me contuli, calles lastratura domosque: hanc nulli comparare valeo loco: Incolæ preciosissimis induti vestibus, torques gestabant aureos ipso sole splendidiores; sed & reliquis omnibus nihil vnquam simile vidi. Intuita

tuita sum præterea illustrem quandam domum virginibus repletam; hanc ascendi, perspexiq; illas omnes eximio ore, vestitu eleganti, incessu graui lætas, hilares, alacres exultare: inter has assidebat quædam ipsis Virginibus grandior, quæ infantem puerum gestabat in vlnis, quæque sicut reliquas ætate antecedebat, ita maiestate, cultuq; corporis atq; ornatu cunctas longe superabat, nec tamen aut voce, aut ore grandior natu videbatur; hæc me sibi summe deuinxit; nam cum gratiosissimo esset aspectu, suauissima verba promebat, filiam me dulcissime compellans, iucundissime blandiens, tenerrime salutans. Porro reliquæ virgines scrutatæ sunt ex me, quædam aduentus mei causa fuisset? respondi, illuc me missam maiorũ iussu: deinde quæsierunt, num Oppidum hoc meum illi esset vrbi persimile, nũq; vellem ibi vna cum illis commorari? De Oppido dixi, nullam dari posse cũ cœlesti illa sede comparationem: de me a. in votis esse asserui, ibi ꝑpetuo manere, si possem: hinc illæ: nonne cernis, omnes quotquot hic degunt virgines peccatis carere? Tunc Princeps illa virgo, reuertere inquit filia ad Oppidũ: quod si insedit tibi animus huc aliquando redire, bene viue, ac detestare crimina. His dictis, vale mihi dixere; ipsa verò tristis abscéssi, mihique restituta sum: exinde cœpi me melius habere, nunc verò firma valetudine vtens te Patrem adiui, vt mihi cõsulas, quidq; mihi agendũ sit imperes, quo aliquando frui queam ea fœlicitate, quam paulo ante cõtemplata sum. Hæc Inda. Pater autem vix se cõtinere potuit à lachrymis, Deo benedicens, qui tot muneribus cumulat

hos

hos paruulos, lac adhuc nouæ susceptæ Religionis sugentes, quique iam testes sunt illius fœlicitatis, quam paucis abhinc annis nec noscebant quidem: Hæc tamen omnia ita se habuisse Indæ huius nota simplicitas innocentiaq; suadent.

Nouem Oppida inuisêre nostri hoc anno, nec tamen nouem fuere labores : Indi nutantes de hostium irruptione, decimum adiũxere omnium maximum, quippe qui seu mortis, seu perpetuæ seruitutis metu agitati, haud potuere nostrorum laboribus probe vti, vsi tamen sunt nostrorum diligentia, qua sibi cauebant, vel morbo oppresi, vel timore correpti, vel ab aduersariis male habiti, pænitentia ipsa ante omnia facti cautiores, siquidem sacramento illo ad vtriusq; hominis salutem sunt frequenter potiti. Nec desunt etiam inter Indos Hispani, qui nostrorum opera vtũtur frequenter, inter quos quidam, ab alio etiam hispano verbis improbe acceptus iniuriisq;, non modo non respondit, sed se, paulo ante confesione expiatum, illa omnia pro Deo ferre libenter professus est.

Ad Catubigensem expeditionem se duo accinxere Patres, qui primo dispersos Indos in aliquot illius Insulę Oppidis congregarunt, quod quidem tanti fuit põderis, vt nisi aliud egissent nostri hoc anno, hoc vnũ visum fuerit summũ opus; è quadragĩta namq; Oppidis inter se disitis, facta æqua aggrega^ne^ septẽ tãtum euasere maxima; quiq; prius obstiterant cõgregantib⁹; ijdem deinde & cõgregãtes nostros & congregatos Indos laudauerunt, hoc tantũ exemplo correcti, q̄ viderint hispanũ vnum nostris in hac aggrega^ne^ contradicentem, re

pentin̄

pentina fuiſſe morte ſublatum. Adfuit etiam plurimum huic rei Patris Rectoris præſentia, cuius prudentia non Oppida tantum conſtructa, ſed & plures ex Indiis primariis ſacro baptiſmate initiati ſunt, plurimiq; olim Chriſtiani, qui nunquam antea (miniſtrorum inopia) nunc ſacra confeſsione expiati ſunt. Plurima in hoc opere paſſus eſt Pater, ſiquidem pedeſtri itinere nudis pedibus ob opertum imbribus iter, in hac coactione facienda, incedendum fuit. Dein vbi peruenit ad locum, vbi eum Patres reliqui præſtolabantur, breui curauit, vt ſingulis ijs Oppidis conſtructa propria Eccleſia ſorte daretur Patronus, in quarum vnaquaque celebrato ſolemni feſto, tibiis, cantu, ſaltatione, dramate, diuinis officiis ſacrificioq;, ubi cum ſubdiacono Diaconus ſacerdoti miniſtrabat, qui (cũctis Indis præ rei nouitate mirantibus) declarauit è ſuggeſtu, quæ nam ſint Patronorum, Diuorumque munera erga clientes ſuæ à Deo curæ commiſſos: hinc meſsis haud exigua: baptizati namq; ſunt in primo Oppido ducenti adultæ ætatis, in ſecundo quinquaginta ſupra ducentos; in reliquis vero his plus minúſue, qui tamẽ præluxere exemplo, ij fuere primarij nobilesque, qui prius Chriſto nomen dedere quam cæteri. Inter hos quidam ſalutari eſt aqua perfuſus, qui quidem diu eã in votis habuerat: ſed vxore renuente deſtiterat ab incepto: illi namque minata fuerat, ſe omnino ab illo ſeparandam, ſi ſe Chriſtianis adiungeret vexillis: nunc verò nobilium exemplo permotus vxori prætulit Chriſtum, cupitoque olim baptiſmate potitus eſt: at nec eum deſeruit vxor, quam

breui

breui ſperamus Chriſtiano gregi congregandam mariti ipſius dilgentia.

Mirum quidem in hac noua Expeditione quantum breui profecerint, ſiquidem ſupra mille cœleſti ſunt lauacro purgati, nobiles præſertim, qui qua reuerentia ſanctorum Imagines, ſacras reliquias, piacularia grana, efflagitent, ſeruent, dici vix poteſt. Habebat apud ſe quidam ſacram Imaginem, ex cuius aſsiduo cultu mire recreabatur, retulit hoc alteri, qui eodem priuilegio fruebatur alterius Imaginis cultu, qui tunc ei in hæc verba reſpondit. Vt quid adhuc hærent noſtrates? vſquequo graui corde Idolis cultum exhibent, DEVM verum ſanctoſque contemnentes? haudquaquam huiuſmodi homines cœleſti ſunt ſede dignandi, qui terrena tantum ſapiunt. Hæc recentes Chriſtiani. Alteri Indo oſtenderat Pater Virginis puerum IESVM geſtantis effigiem, ſimulque eum de Imaginum adoratione inſtituerat: qui probe edoctus Patrem rogat, vt ei Imagines accommodet ad preces fundendas; ſatisfacit Pater Indo, qui ad piſcationem ſeſe accinxerat, quique precibus ante illam fuſis ſcafaque conſcenſa, faſſus eſt ſe nunquam antea tot expiſcatum eſſe piſces, quot tunc fuerat expiſcatus. Quidam facto naufragio, ſuffocandi hac illacque enatabant, ſed non multo poſt illac adnauigante forte nauigio excepti ſunt, illud aſſerentes, ſe S^mi IESV nominis inuocatione medio illo naugio liberatos.

Magnæ quidem ſubeundæ ſunt difficultates in hac Prouincia ſuſcipienda, ſi maris aſsiduos motus, procellas, curſumque ſpectemus, ſi verò Indorum

dorum peritiá in nauigando consideremus; haudquaquam difficile cēsendum erit nostrorum munus : nam experti nautæ ad fretum tranandum facile adiment difficultatem : hostesq; nostri maris illius inscij haudquaquam oberunt suis excursionibus : Indique tandem Insulani in his, quæ ad Christianam religionem spectant, ad nostrorum nutum facile persistent, in officio nullo inimicorum metu terrendi.

Dulachiensis restabat Domus superioribus inserenda, reliquis haud inferior, è qua nondum delata sunt ad me, quæ hic possent adiungi ad exemplum. Illud vere P^{ti} V æ referre possum, collectas à nostris in hoc agro fruges haudquaquam susceptis laboribus fuisse minores. Nostri omnes (sex fuere) plurimos pertulere labores terra, marique, vbi fatigati vel hostium incursu, vel maris tempestate, vel caritate ciborum, vel itinerum difficultate, vel imbrium asiduitate, vel ventorum procellis, vel frigoris aut caloris densitate, vel quod caput est, mortis ipsius frequentib. periculis, quæ haud raro subire solent; quæque si subterfugiant, vestes iam sacras, iam proprias deperdunt, priuantur libris, spoliantur imaginibus, pelluntur domibus, Ecclesiis excluduntur egentes, angustiati, afflicti, quibus quidem (liceat ita loqui) dignus non est Mundus, quippe qui illo relicto adeo se Deo manciparunt, vt absque laboribus viuere nequeant; in quibus fortiter ferendis alter alteri pie inuidet, alter alterum incendit non verbis sed operibus, de quibus reliqui facti certiores, iisdem associari cupiunt, eosdē sequi ac imitari in dissemi-

nando

nandi Christi Euangelio; in ferendis pro Christo iniurijs; in adiungendis Christi gregi gentilibus, in omnibus Christo lucrandis, qui P^ti V^æ eos inijciat animos, vt probe perspecta hac messe, non solum operarios seruet, sed seruatos augeat, auctos multiplicet, multiplicatos ea benedictione muniat, qua Dominicum gregem ipsi etiam & seruent, & augeant, & multiplicent ad eius honorem, pro quo tantam hanc Prouinciam suscepere. Vale Kalendis Iulij. Anni 1608.

BELGICÆ PROVINCIÆ SOCIETATIS IESV LITTERÆ ANNVÆ, Anni 1607.

PROVINCIA BELGICA.

NVmerat Vicena Collegia, & in ijs Socios ſeptingentos triginta ſeptē. Louanii vnde ſexaginta. Tornaci in Collegio viginti quatuor. In Domo Probationis cētum & ſeptem. In Audomarenſi Collegio tres ſupra quadraginta. In Seminario Anglorum ibidem denos ſenos. Duaci duo de quinquaginta. Antuerpiæ in veteri Collegio quadraginta. In nouo ſeptendecim. Leodij triginta ſeptem. Traiecti duos & viginti. Brugis viginti ſeptem. Ipris vnde vigíti. Cortriaci quadraginta ſex. Gandaui & Atrebati duos & viginti. Inſulis viginti ſex. Montis Hannoniæ viginti quatuor. Bergis S^ti^ winoci viginti. In miſsione Holandica Sacerdotes ſex. His accedit P. Prouincialis cum Socio Sacerdote, & vno Coadiutore. Omnes vniuerſim Sacerdotes ducenti nonaginta tres. Magiſtri octoginta tres. Studioſi centum quadraginta nouem. Cæteri Coadiutores. Defierunt in viuis immorari tres. Noui acceſſere ſeptuaginta ſeptem.

COL-

COLLEGIVM LOVANIENSE.

LIteratorum ſodalitatis vtilitas, ad aliorum ſalutem longe lateque manauit. Ex ea quidam fundendi ſanguinis & religionis propagandæ cupiditate flagrans, in Angliam ſe contulit, licet ab Anglis tamen eſſet oriundus, quo vbi peruenit, modico interuallo captus, & impactus in carcerem, ad glorioſum certamen ſe præparat.

Paſtoralem animorum curam ſuſcepêre complures, qui variis in locis non aliter ſe gerũt, quàm ſi Societatis homines in miſsionibus verſarentur. Reſtituunt templis & altaribus dignitatem ſuam, animos hominum diuinis rebus excolunt: vt vbi nullus, niſi feriis Paſchalibus ſacræ ſynaxis vſus erat, ibidem primo ſexaginta octo, deinde ducenti, ac plures etiam per eos adducti, qui ſumma voluptate feſtis diebus ijs, qui maiorem venerationem habent, cœleſtibus epulis reficiantur. Taceo priuata per eoſdem ſublata diſsidia, publicis peccatis vias eſſe præcluſas, aliaq; quam plurima; quam induſtriam Societati acceptam referunt.

Sereniſsimi Archiduces, alijque viri Principes Societatis doctrinam, prudentiam, iudiciumque laudarunt, & ex hoc Collegio vocatum quendam in ancipiti controuerſia, & negocio publicæ quietis in conſilium adhibuerunt, multisq; ſententijs iam dictis, eius iudicium placuit.

Adoleſcens nobilis & locuples Louanium, recuperandæ valetudinis & Diuæ Virginis Aſpri-

collis visendæ causa venit: is cum in nostrum Sacerdotem incidisset, ita primo congressu delectatus est, vt ei totius animi latebras aperiret, & omnia superioris vitæ peccata confessus, ignotas regiones ignotus, & imitator Beati Alexij p agrare decerneret. Verum dissuadenti Sacerdoti paruit, votoq; Beatæ Virgini nuncupato, si per valetudinem liceat, se, suaque omnia Societati consecrauit.

Honesta grauisque matrona passa viri sui sæpius insignes iniurias, vt ad tolerantiam dolorum CHRISTI recordatione moueretur, ferrea catena nudum corpus vsque eo constrinxit, quoad eas iniurias meliore superaret.

Catechismus explicatur magno fructu ciuitatis, latina quidem lingua, in quinq; Collegiis Philosophiæ & humanorum literarum, gallica verò in Templo vno, Flandrica in quatuor frequentibus auditoribus, non adolescentibus modo, sed etiam grandioribus: in quibus matronæ graues & nobiles festis diebus aduentantes ex tota vrbe puellas docent, ea præsertim quæ sunt salutis animæ: omnesq; simul hora constituta ad lectionem deducunt.

Quidam Deum maledictis lacessere consueuerat, cumque alea pecuniam omnem perdidisset, conuicia multa coniecisset in Deum, etiam ab eius Matre abstinere non potuit. Vix illud verbum ab eius ore exierat, cum ecce sic totus exhorruit, vt omni in loco sibi terra dehiscere videretur. Huius incommodi vitandi causa sese in cubiculi latebras abdidit: sed ibi tutus esse non potuit, eo quod

quod ſpectris & dæmonibus agitaretur. Accedebat deſperatio & conſcientia ſcelerum: quibus malis oppreſſus ad confeſsionis anchoram confugit, ſumptoque ſacroſancto Chriſti corpore, & appenſa collo ſacra cerei agni effigie, tandem acquieuit.

Miles non è communi grege praua iurandi conſuetudine cùm multorum aures offenderet, ita repente mutatus eſt, vt iiſdem quos offendere ſolebat, præiret veræ pietatis exemplo. Is cum pridie diei Corporis Chriſti mane ſe ritè expiaſſet, & ſacra ſynaxi decreuiſſet animum curare poſtridie, repente ſatis longa profectio circa meridiem indicta: indoluit ille quidem vehementer ſibi hanc occaſionem ereptam, iter tamen maturius opinione confecit. Igitur inſequenti die feruenti cœlo redit anhelus, ſudore madens & ſitibundus: illico Sacerdotem adit, rogat fieri cœleſtis menſæ particeps: negat noſter ad eam admitti poſſe, cum & rebus diuinis eſſet finis impoſitus, & ſacra theca comitante populo circumferretur. Ille tamen perſeuerat, & vſque eo præſtolatur, quoad Parochus rediit in templum, & multis precibus ſacram communionem impetrauit.

Ornatum eſt hoc anno Collegium inſigni porticu, cuius longitudo centũ & ſedecim pedes habet, latitudo vero viginti ſeptem, qua & vicinorum à nobis prohibetur aſpectus, & magno domeſticorum commodo proſpicitur.

COLLEGIVM TORNACENSE.

COntinet Socios quatuor & viginti, Sacerdotes tredecim, Magiſtros quaruor. Coadiutores ſeptem.

Sacris Beati Patris noſtri meditationibus, præter multos Religioſos, & alios, excoluit animum Archidiaconus ſummi Templi, vir magnæ apud ſuos autoritatis ab eruditione, virtutibus & ætate collectæ. Sed earum fructus in hæretico potiſsimũ enituit, qui initiatus ſacris Ordinibus, Geneuam transfugerat, ibique concionatorem egerat: ſic modo fidem ſuam probat omnibus, vt omnem ſuſpicionem erroris abſterſerit.

Magiſtratus item noſtri ſtudioſus ad octodecim florenorum millia, quæ ad Templi ædificationem dederat, hoc anno tria millia nobis rurſus adiecit, quibus æs alienum diſſoluimus. Denique liberalitatem populi templum ſatis deprædicat, poſitę ſingulę ſingulis Apoſtolis ſtatuæ lapideę diligenter elaboratæ. Odeum excitatum marmoreo lapide varioque opere cęlatum: feneſtræ vitreæ eleganti pictura, vitam Domini noſtri repræſentantes vndiq; religionem augent: aram verò maiorem vtrimque è iaſpide varijs coloribus intermicante columnæ auguſtiorem faciunt: in quæ, reliquumque ornatum facile quinque millia florenorum impendit. Adeo verò pietas & numerus pœnitentium creuit, vt, qui norunt quam antea longe lateq; manaſſet virus hæreſeos, tantam eorum mutationem & contentionem, ad ea quæ

Chri-

Christianę religionis sunt, mirentur, quod secundum Dei numen acceptum referunt Societatis industriæ.

Adolescens Flander nostris confiteri solitus vesperi domũ rediens, inermis à turbulentis duobus iuuenibus, odio fortè nationis, ferro appetitus, insanabilem plagam iudicio medicorum accepit. Ictam quippe vesicam sanguine continenter manante censebant. Itaque quamuis haud inuitus mortem subiret, placuit tamen de sententia nostri Sacerdotis votum adeundæ Beatæ Virginis Aspicollis nuncupare. Noster etiam magis excitandæ pietatis eius gratia commemorauit mirabilius recuperatæ salutis exemplum. Facto voto sanguis ille, qui fluebat in vesica sisti cæpit, & medicis spem sanitatis iniecit: quam inanem non fuisse comprobauit euentus. Sed illud in hoc adolescente mirandum, quod tanta fuerit in sicarium animi æquitate, vt libentissime omnem iniuriam ei concesserit, tanquam si non ab illo, sed à numine vlciscente peccata (vti rogatus aiebat) esset vulneratus, nec eum voluerit vllo modo, nisi iussu Magistratus, prodere.

DOMVS PROBATIONIS TORnacenſis.

HÆc cenſuit capita centũ & ſeptem, Sacerdotes vndecim, quorum Nouitij octo, Coadiutores ſepté. Nouitios ſtudioſos ſeptuaginta quatuor. Coadiutores nouitios quindecim.

Quod multos annos optatiſsimum fuit, vt huius Prouinciæ Tirones à communi noſtrorũ domicilio ſemouerentur, hoc anno Dei benignitate perfectum. Mirabilis Dei prouidẽtia, Societatem vnde ſecundò ab hæreticis ac perduellibus exturbata fuerat, in ea Ciuitate nunc ſecundam habere ſedem, laxam, amœnam & ſalubrem, quam perennis riuus præterfluit. Si ſpectes rei conficiendæ celeritatem ac fœlicitatem, facile Deo propitio ad exitum perductá eſſe cognoſces. Nam quæ remorari puſillos animos conſueuit, rei familiaris erat anguſtia, conflatum æs alienum, domus emenda, multis ornanda & ad vſus noſtros aptanda: quinto tamen non amplius menſe res abſoluta eſt. Vndecim millibus florenorum empta eſt, in qua nõ incommode centum ferè nunc habitant. Eius area ſatis ampla, commodꝰ ſitus, hortus riuo, rupibus, valle amœnus, & arboribus conſitus. Id erat incõmodi: in eum deſpiciebatur è turri, graui totius fundi ſeruitute, ſed illa cum adiunctis ſibi domo & horto nõ exiguo, mille octingentis florenis comparata eſt. Area porro media inter illam & fundum noſtrum liberalitate præcipuorum S. Brixij capitum, & ſingulari lætitia, & apprecatione Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Cameracenſis, in cuius diœceſi eſt hæc probationis Domꝰ, in emphyteuſin acceſſit.

ſit. Itaque ædes emptæ, quarum pretium venditis cenſibus varijs & ædificijs aliquot eſt perſolutum.

COLLEGIVM DVACENSE.

IN hoc numerati fuerunt quadraginta octo, Sacerdotes nouendecim, Magiſtri ſex; ſtudioſi dimidio plures. Coadiutores vndecim, vnus ſuperis annumerandus è viuis abijt.

Numerauit hic annus literarũ ſtudioſos ſeptuaginta, Philoſopiæ quingentos, Theologiæ ſeptuaginta; centum nonagintà quinq; magiſterium adepti ſunt. Numerus is fuit ſolito maior: vnde & ſolito plures vniuerſam Philoſophiã magno omniũ applauſu defenderunt. Ex ijs centum & decem ad varias Religioſorum familias tranſierũt: quinquaginta quidem præſtanti adoleſcentes ingenio Societatem ambierunt, ſed omnibus fieri nõ potuit ſatis: nam ex iis tantum viginti ſeptem in Collegium Nouitiorum adſcripti. Congregatio Beatæ Virginis quadripartita, vna Ciuium, quæ Annũciatæ, altero Philoſophorũ, Virginis aſſumptę, tertia Rhetorũ Conceptæ, poſtrema Theol^um^ ſtudioſis iuris permixtorum Purgatę Virginis nomẽ ſortita eſt. Duæ poſteriores hoc anno, ſicuti aliæ prioribus, cum Romana coniunctę, & iiſdem beneficiis ornatæ ſunt. Sodalis admodũ religioſus quarta fere horæ parte ante mortem iterum & tertio ſpõdam lecti manu pulſauit, quaſi eos qui aderant admoneret imminentis diſceſſus ſui, & cœleſtis, vt credimus, turbæ præſentis. Nam lux ingreſſa cubiculum eo vſq; refulſit, quoad à virgine puella aperte videretur, & ille vultu hilari & iucundo ſpiritum efflaret.

So-

Sodalitas omnium Sanctorum diligentem in animorum salute nauat operam, omnes enim sodales sub festum Annunciationis diem diuersa loca obierunt, & cohortationibus suis rusticos, alij tres, alij sex, ad confessionem peccatorum, & indulgentias ipso die promerendas adduxerunt. Non eo solum die, sed sacris etiam alijs & dominicis, iam tum frequentior cœpit esse ad sacramenta concursus.

Mulier quatuor mensib. mammæ cruciata molestijs, vbi ex medicorum cataplasmatis nullam leuationem percepit, ad Mariam cõfugit, nouendiale vouit, & octauam diem venerata imaginem aspricollensem, ea qua minimè crediderant medici, parte, sine vllo sensu doloris aperta mamilla, & mox omni sanie diffluente sanata est.

Eadem mulier virum dissenteria laborantem pari voto sanauit.

Nobilis Gallus sodalitij beatæ Mariæ, & rhetoricę studiosus, apoplexia primum, inde febri ardentiori vexatus, tentatisq; multis remedijs ad mortem se comparare iussus est, aduocato Sacerdote nostro confessus, viatico instructus & sacra vnctione munitus. Paruo interuallo conuersus ad sodales Beatæ Virginis, qui lectum orantes circũstabant, quis, inquit, vestrum pro me Sancti Leonardi sacellum visitabit, & in eo sacrificium pro salute mea faciendum curabit? Omnes operam suam promiserunt, primoq; diluculo fidem soluerunt. Sed ecce vix domum redierunt, cum æger eos qui eius curam gerebant, hilari vultu percunctatus: an non vidistis virum specie venerabilem,

bilem, & pontificiis ornamentis insignem, thiara gemmea tectum, aureum pedum præferentem, amictum linea veste, ac damascena ? Ille me visitauit, & sic me affatus : Esto bono animo fili mi: Diua Virgo aderit tibi: deinde mibi bene precatus est, ac decedens bene sperare me iussit. Quid? res noua admirationem, spemq; valetudinis fecisset, nisi lucescente die medici tactu venæ & respirandi difficultate, certa mortis indicia se præsentire dixissent. Inter spem & metum dies exactus est. Sed animos à spe vesper abduxit: tūc enim frigidus & impurus sudor manauit è corpore, nec linguam reducere, vt vel tenuissimum liquorem, qui instillabatur transmitteret, nec fauces deducere poterat, cùm in singula momenta expiraturus videretur, recitatæ sunt orationes eæ, quæ pro morientibus recitari consueuerant, monitus interim, vt in extremo certamine opem Virginis, quam ipse religiosè coluerat, imploraret, meminissetque imaginem Beatæ Mariæ, cuius beneficio desperatis pristina valetudo fuisset restituta. Audijt infirmus & fracta voce pædagogum vocans: mitte, inquit, qui accendant votiua lumina ante imaginem Virginis Aspricollis : nam spero mihi affuturam, vt aliquando ei me totum consecrem. Nec spes eius inanis fuit: licet enim res ante meridiem insequentis diei perfecta non est, eo quod imminentis mortis metu nullus exire posset, tamen simul ac accensa sunt ante imaginem lumina, æger soluta lingua, libera voce, se sanum exclamauit ; incaluere membra, redijt temperatus venarum pulsus, qui antea nullus

erat

erat aut pertenuis, ſtupentibusq; medicis ſurrexit è lecto, & ope Beatæ Virginis, ſe priſtinam valetudinem accepiſſe profeſſus eſt.

Ad excitandum catechiſmi ſtudium illius auditoribus confeſsis, & ſacra communione refectis, omnium delictorum indulgentia tributa eſt. Tum verò tantus in eorum animis ardor exarſit, vt quo die hoc vti beneficio conceſſum eſt, pœnitentes parochi, pœnitentibus audiendis parochorum diligentiam tempus deficeret; trecenti quibuſdam in pagis, in aliis 400. ſacræ menſæ facti ſunt participes. Aulæis templa veſtita, duodecim horarum ſupplicationes decretæ, ſacrificium ſolemni ritu decantatum, aliæq; exercitationes ad populi religionem promouendam inſtitutæ.

Ciuis Inſulanus aduerſus veneficia aqua luſtrali cibos omnes à noſtro Sacerdote iuſſus aſpergere: & præſens in ea remedium ſenſit, atque ante decimum diem quinq; liberi, vxor, ancilla, ſeruus à ſcabie, quæ toto corpore ſerpebat, nec arte medica ſanare poterat, liberati ſunt.

Petulantes aliqui laſciuique iuuenes Collegij feneſtras confregerant, chartamque auctoris incerti, qua ſocietatem notabant infamia, propoſuerant. Non tulêre ciues; libellum famoſum reuulſere, & monuere Magiſtratum. Ille noſtri amans libellum ſibi exhiberi poſtulauit, eumque cum indignatione perlegit, edictoque publico ſanxit, vt qui conſcios ſceleris non proderent, exilio mulctarentur, qui verò nomina ad Prætorem detuliſſent, ijs præmium centum florenorum decreuerunt. Quidam maleuolus in nos etiam maledicta

ledicta coniecerat: Vir autem nobilis eum detrusit in carcerem, nec eum nisi precibus nostrorum mitigatus, relaxauit.

COLLEGIVM AVDOMARENSE.

HAbuit hoc Socios quadraginta tres: Sacerdotes quatuor & viginti, Magistros quatuor. Coadiutores vndecim.

Aucta nostri Templi suppellex velis sericis coccineis trecentorum & octoginta octo florenorum impensa. Imagini Deiparæ Virginis è quercu Sichemensi columnis argenteis in sacelli figura adornanda piorum largitione donati floreni trecenti quinquaginta.

Ioannes Le Cocque vice Comes Burburganus eidem sodalitio quinquaginta florenos testamento legauit, Societati vero nostrę, cuius amantissimus erat, præter alia multa liberalitatis officia, bibliothecam quæ piis libris ferè constabat, & æs mille centum quinquaginta duorum flenorum ad annuos census emendos.

Ne lectionis catechisticæ feruor, qui superioribus annis celebrior in hoc Oppido cępit esse, paulatim refrigesceret, conquisitæ magnæ pecuniæ, censusque annui constituti, ad alliciendos ad eam lectionem egentes. Huius autem pecuniæ dispensatio, ne quando haberet inuidiam, non Societati relicta, sed ad ipsum vrbis Antistitem, aliosque Ecclesiasticos & politicos est delata. Porro cum celebris, tam frequens est ea Schola; vt nisi maturè venientibus, nulli introitus pateat. Ex eadem schola fere quingenti pro-

prodierunt, qui in ſacra æde noſtra præteritas culpas lachrmyis & pœnitentia eluerunt. Nec hoc vti beneficio ſoli volunt, ſed eius fructum longè latèque manare: quoſcunque poſſunt alios ad eandem animorum purgationem adducunt. Hinc in familiis mutati mores in melius.

Ciuis plures iam annos magno domus detrimento decoxerat. Itaque velut amens & vagus aliquot menſes errauerat vxore, liberiſque fame penè conſumptis, niſi opportunè releuata fuiſſet eorum inopia. Spretis ille frequentibus parentum monitis, tandem importunitate victus amicorum, Sacerdotem è noſtris adiit, de cuius ſententia confeſſus, præſentiſque vitæ ſic eum pœnituit, vt ad vxorem & familiam magna propinquorum lætitia redierit.

Vir è primoribus huius vrbis in tantam animi perturbationem incidit, vt ſe neceſſaria ac repentina morte tollendum affirmaret, quod ſibi Crucifixi effigies nigro tecta velo, quaſi eius oculis videri nollet, aliquoties apparuiſſet. Itaq; domum celeriter regreſſus, Sacerdotem noſtrum cui confiteretur, & vna parochum, à quo viaticum acciperet, ſine mora aduocandum curauit. Aduolant ambo; noſtro Sacerdoti confeſſus, è Parochi manibus ſacrum Chriſti Corpus magna reuerentia ſumit. Ecce mentis perculſione diſcuſſa, tranquillitati redditus, & magna domeſticorum conſolatione, tàm ſubito patrisfamilias caſu mœrentium. Homicidii reus & ſignorum in caſtris apud Oſtendam deſertorum conſcius, qui iſtic in vinculis habebatur, adiutus. Ille ſobrius intelligens

quod

quod nonnihil temulentus patrarat flagitiũ, tantas animi ſenſit anguſtias, vt neque corporis, nec animæ ſaluti ſpem ſupereſſe crederet. Quod, vt aiebat, ſemper inaudiſſet ei qui hominem occidiſſet, miſericordiæ locum nec apud homines, nec apud Deum patere. Viſitauit eum noſter Sacerdos, docuitque confeſsione & facti pœnitentia Deum ita poſſe placari, vt licet vitam à Iudicibus non impetraret, à Deo tamen & delicti veniam, & ſalutem obtineret ſempiternam. Itaq; omnibus animi partibus in id vnum verſis, vt ſalutari pœnitentia ſibi Deum conciliaret, totius vitæ rationem à ſe repetiit, & omnes quas recognouit anteactæ vitæ noxas multis & lachrymis, & gemitibus interrupto confeſſus eſt, eamque cepit mox à confeſsione animi tranquillitatem, vt mortem ſuis ſceleribus debitam libenter appeteret. Interim inſequentem noctem lachrymis & precibus, pene totam duxit inſomnem, vnius ſe Virginis Deiparæ patrocinio commendans, voto deinde ad ædem Lauretanam, aliasque duas diuæ Mariæ ſacras cõcepto, ſi vinculis ſolutus vitam impetraret, ſubita luce totum carcerem colluſtratum vidit, hinc tanta in Virginem fiducia erectus eſt eius animus, vt poſtero & ſequentibus diebus conſtanter affirmaret, ſe vitæ ac libertati reſtitutum iri, neque ex ſententia Iudicum mortem oppetiturum. Vt autem ex ipſo Patre qui eius animum pręparabat, ad ſententiam ęqua mente audiendã, intellexit mox affuturos Iudices, qui eum condemnarent, metu perculſus & aliquantulum animo dubius hæſit. Deinde nonnihil erectior, & ne præter expecta-

tionem raperetur ad crucem , iterato confiteri voluit,licet conſtanter aſſereret,eo die nec ſe moriturum, nec morte damnandum. Nec eum ſpes fefellit. Adſunt Iudices, ſed cauſa nondum plane cognita domum repetunt. Reuertentibus iiſdem poſtridie damnatus eſt:Sed ad ſupremum Archeſiæ tribunal appellauit: dato tabellario ad Principem libello ſupplice, quod mittere parentes ad vitandas impenſas reclamarent, homo plebeius & pauper,quod alij nec ære,nec gratia poſſunt,fiducia tantum Beatæ Virginis fretus, vitam & libertatem impetrauit.

Quoniam Virginis illata mentio, vt ſermonem continuemus, oratio latina, quæ diebus eidem Virgini laudandæ ſacris habebatur in aula ſodalitatis, modico fructu, non parua moleſtia propter Oratorum inopiam,in Gallicam concionem mutata, & in templum ex eadem aula translata.Promulgatis autem Pontificiis Indulgentiis annunciationis die templum noſtrum viſitantibus tributis,à condito Collegio maior concurſus populi non fuit,à prima luce in veſperam, adeoque conferta fuit ante fores turba hominum,vt multi domum regredientes templi aditu ſe quererétur excludi: eo die communicarunt ſacro Chriſti Corpori ter mille quingenti:poſt meridiem Vrbis Antiſtes concionem habuit, tam frequenti populo, vt vel egredi, vel ingredi volentibus aditus occluderetur. Quocirca ſæpius inclamauit Antiſtes,ædem ſacram eſſe nimis Societatis functionibus anguſtam,laxiorem eſſe cogitandam, deditque non leuem

leuem operi inchoando pecuniam, qua ciuibus idem calcar admoueret.

Tres in Hollandia pupilli fratres inter hæreticos educati à tutoribus huc ſtudiorum cauſa miſſi ſunt, quorum duo iuniores, ſi quid hæreticæ perfidiæ docti fuerant, dedocti ſunt: tertius ætate grandior (quippe decimum ſeptimum fere agebat annum) patrium quod hauſerat domi venenum, ad interiora mentis penetralia transfuderat, cum hoc nonnihil fuit negotij; Deo tamen propitio, ſolutis eius argumentis quotquot habebat, de fide controuerſis, Eccleſiæ reconciliatus, modo cum fratribus in ſodalitio Beatæ Virginis ſtrenuam pietati nauat operam.

Alius hæreſim naſcentem in animo fere biennium aluerat: incidit in morbum, eoque ingraueſcente admonitus à domeſticis, vt Catholico ritu confiteretur, DEO ſe, non homini confeſſurum eſſe reſpondit: viſitatus à noſtris, & rationibus victus agnouit errorem ſuum, culpamque deprecatus, venerabile Chriſti corpus ſumpſit: quo ritè percepto morbum magna ex parte releuatum affirmauit: Vbi planè conualuit, Sacramentorum in Templo noſtro cœpit fieri particeps.

COLLEGIVM ANGLICANVM Audomarense.

FVerunt in eo ex Sociis sexdecim, nouem Sacerdotes, septem Coadiutores.

Si studia nostræ iuuentutis spectemus, feruor augetur in dies: in Latinis literis, cum doctissimis cõmilitonibus suis, vel conferendi, vel præferendi, græcarum verò adeo studiosi & periti, vt mirere paruulos ex tempore græce horas etiam integras posse differere. Tantus pietati factus est accessus, vt ignis ille cœlestis à filio Dei missus in terram, in adolescentum animis ardere videatur: In his annũ ætatis agens quidam ferè vicesimum sextum, qui ab initio suæ conuersionis ad fidem catholicam Societati nostræ se deuouerat, hinc paucis ab aduentu suo mensibus reuocatus à parentibus, & maxime Matre, quæ literis testabatur se in perpetuo luctu, & mœrore versari, vimque doloris tantam morbi grauitatem parere, vt nisi rediret in patriam, se migraturam è vita. Ille tamen animo magno, constantique respondit, summam quidem matris curam se gerere, nullumque chariorem esse quam matrem, nunquam tamen se animum inducturum, vt vel pro illa, vel etiam pro decem millibus matrum, ex hoc tamdiu optato loco decedat, vel inchoatum feliciter cursum studiorum, abrumpat. Hic idem est, qui spicam illam beati Patris Henrici Garnetti sanguine madentem, è qua Patris eiusdem effigies mirabiliter excitata, diuinitus accepit: qui fide, spe, charitate, cæte-

cæterisque virtutibus plenus, antequam hic apud nos exegiſſet annum, magno domeſticorum omnium dolore vitam amiſit. Priuſquam huc ad nos migraſſet, multis annis Londini mercaturam exercuerat, nec verò parum rem familiarem auxerat: conſuetudine tandem Catholicorum Eccleſiæ Romanæ fidem amplexus eſt, & ad ſanctioris vitæ genus ſe paulatim ſenſit impelli. Non defuerunt tamen aliqui, quos minime decuit, qui illum ab hac cogitatione reuocarent, aſſerentes eſſe temerarium, velle ad eum ſublimem vitæ gradum aſcendere, poſſe in ea quam exercebat arte, virtuti conuenienter viuendo animi ſalutem conſequi, & aliis opitulari. Breui tamen interuallo nactus alium quendam religioſum virum, audiuit nullo modo Spiritui ſancto reſiſtendum eſſe, nec tales igniculos extinguendos, nec contemnendos, ſed omni ratione fouendos. Huius conſilium tam lætus in aures admiſit, vt eum ſummo deinceps amore proſequeretur, alium verò qui diſſuaſerat, æquis oculis videre non poſſet. Morbo graui, mortiferoque affectus præbuit omnibus documenta virtutis & probitatis ſuæ: eoque ipſo die quo mortem obijt, vt à medico pronunciari ſententiam mortis audiuit, maiorem lętitiam præ ſe tulit, & de rebus diuinis, maxime de Iuſtitia Dei præclarè diſſeruit, eaque in medium protulit, quæ & vim ingenij Iuuenis inter mercatores educati, & literarum ignari, quippe qui prima rudimenta diſceret, quæ vim, inquam, ingenii ſuperare viderentur. Inter alia multa: ſi quis, inquit, ſerio diuinam illam iuſtitiam mentis oculis intueretur,

nullo modo vellet, si maximè posset, sua peccata impunita dimitti, deinde Patres eos qui aderant rogauit, vt ea quorum esset conscius patienter audirent, quæ tamen nisi certa mors esset, nunquam indicaret, ne gloriam aucupari videretur, sępius ei Sacerdoti, cuius in aure solitus sum, inquit, peccata deponere, aperire volui, sed oportunitas defuit, nunc igitur ad mai rem Dei gloriam, ac ne sim ingratus in Deum, rem planè sicut se habet, explicabo. Tertio Maij anni millesimi sexcentesimi quinti, cum infinitis aliis in eum locum me contuli, in quo Beatus P. Henricus Garnett⁹ testis diuinæ veritatis pro Dei gloria sanguinem fudit, vt aliquid reliquiarum eius domum referrem. Illic diu mihi commoranti, metuentiq; ne, si quid acciperem, à curiosis oculis notarer, incidit in sinũ inexspectata spica è stramine, in vicina credo sporta iniecto, sanguine patris imbuta, q̃ lætus domum deportaui, in qua effigies ipsius apparuit, ita perfecta, vt ad viuum videretur expressa: rediens a. videbar mihi non ingredi, sed volare, diuinoq; spritu afflatus, & cœlesti lumine illustratus, ac de Patris gloria certus illum venerabar ex animo. Porro tantus amor accensus est in mente, non tantũ Dei; sed etiã rerum omnium, præsertim hominis expressam Dei imaginem gerẽtis, vt cohibere me vix potuerim, quin omnium transeuntium non pedes modo, sed etiã vestigia oscularer, atq; hic animo infixus hęsit affectus ad triduũ, postea cum animi mei dolore paulatim languit, sic tamen vt memoria non dilaberetur. Ex quo fructum hũc percepi, vt incredibiliter humana fastidirem, atq; ita cœlestium rerum desiderium

derium cresceret, vt ad illud nihil posſit accedere. Quocirca statui negotiosũ & laboriosum vitæ genus deserere, & sanctioris institutũ amplecti, confectis negotijs & externarum rerum cura solutus, ex illo procelloso mari, ad securum hunc portum secunda aura sum prouectus. Quod si mihi proposita certa mors est, voluntati Dei lubens pareo, rogoq; vt in hunc locũ meũ sufficiatur frater meus & fruatur hoc bono: quod si fortaſsis abnuat, suppleat alius, qui iudicio vestro dignus erit. Interim Patres vos rogo, & obtestor, vt ante mortẽ me in So^tem^ vestrã aggregetis. Ad superiorem ilico profectus est quidã è patribus, à quo id impetraret, sed vbi rediit, mortuus erat ac sepultus. Illũ tamen nostrũ esse censuimus, vtpote qui animo noster erat, nec differebat à nobis ratione viuendi. Inuẽtus est eo mortuo libellus ab eo scriptus, quo complectebatur normam vitæ suæ, adeo pius & religiosus, vt nostri mirarentur, studiosisq; adolescentibus, in quorum manus incidit, quædam maioris pietatis exercendę faces admuoerẽtur. Imagines duę Beatæ Virginis è ligno Sichemensi factæ, Collegio nostro à R.P. Prouinciali datę, & solemni pompa suis in locis collocatæ: prima in Sacello domestico, altera in eo, ꝙ nuper externis accommodatũ est. Illa ab ipso R.P. Prouinciali, hęc à Reu^do^ P.R. multis candidatis, & externis, maximè Anglis hominibus vtriusq; sexus comitantib. deportata. In dedica^ne^ prioris, expensa sunt eleg^me^ in horto quodam cõcluso elogia pene omnia Beatæ Virg^is^ montibus, fontibus, tẽplis, portis, turribus, ædibus, arcibus, sedibus, oppidis, plantis, & aliis generis eiusdem,

 quæ

quæ pietatem & admirationem ſpectantibus attulerunt, multique tecta domorum & ædium ſacrarum turres conſcenderũt, capti muſica & neruorum ſono, & omnis generis inſtrumentorum muſicorum. Hinc multa & pretioſa templi ſupellex acceſsit.

Miſimus in Hiſpaniam duodecim ſolertiſsimos iuuenes pios, ingenioſos, doctos & muſicos, & ſublimius vitæ genus cogitantes: quinq; verò Romam optimæ ſpei adoleſcentes: aliquot verò qui minus apti atque idonei videbantur, omnium conſenſione & approbatione dimiſimus. Viginti quatuor vel quinque admiſimus: plures etiam admiſſuri: multi ſiquidem literis importunè nobiſcum agunt, vt vel pene infantes in communem cœtum aggregemus, quorum meritis in nos collatis, dignitati, nobilitati negare non poſſumus.

COLLEGIVM BRVGENSE.

Recenſit perſonas ſeptem & viginti, Sacerdotes quatuordecim, Magiſtros quinque, octo Coadiutores.

Aucta Templi ſuppellex hoc anno Sacerdotali caſula non ineleganti, frontali opere phrygio, pegmateq; beatæ Virginis Aſpricollis: Lipſana Diuorum honorificè collocata, ornatuque decentiore veſtita. Adiunctus eſt & inſignis ſcyphus argenteus inauratus, ijs præbendo vino, qui Euchariſtiam percipiunt; in hæc & alia collati mille ducenti floreni.

Ad Collegij verò cenſus additi centum annui floreni.

Porro

Porro Sodalitium parthenicum ſelectos habet adoleſcentes, & viutute præſtantes. Iuuenis quidam licet imbecillo corpore, cuiusq; tamen hebdomadæ Sabbato, vt & alij complures, in honorem beatæ Virginis, quotidie mane & veſperi quinquies orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam brachiis extenſis, erectisque recitauit, deinde loris ſe ſua ſponte frequenter verberare, eo ſolum adductus, quod tenerrimas quaſdam virgines id factitaſſe legiſſet in Diuorum hiſtorijs, quas familiares habebat, quoties enim cõſuetudo fert, vt in conclaue Sodalitatis conueniant, tres è toto numero Sodalium delecti, ac præparati res præclarè geſtas illius Sancti, quem illo menſe ſorti ſunt, per præcipua capita decurrunt.

Inſigni Brugenſis & Franconatenſis liberalitate poſita ſunt fundamenta nouarum ſcholarum, contulit in eam rem Brugenſis quidem Senatus octo florenorum millia, ſignificauitque ſe dolere vehementer incidiſſe in eam temporum iniquitatem, anguſtiasque rei nummariæ, vt totum opus ſuis expenſis excitare non poſſet: ſatis tamen inſinuauit non defuturam occaſionem libelli ſupplicis offerendi. Franconatenſis verò quatuor millia florenorum adiecit, cuius munificentia plura etiam ſperare nos iubet.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

VIxerunt in hoc Socij quinquaginta ſeptem: Sacerdotes vnus & viginti, in quibus ſtudioſus vnus, Magiſtri ſex, ſtudioſi quinq;, repetentes quinque, Coadiutores viginti. Duo ad meliorem vitam tranſierunt.

Vt initium à Templo ſumamus, in quo præcipuè labor impenditur; ad ſacram eius ſupellectilem ædicula venerabilis Sacramenti, mille aurûm nummûm acceſsit magnitudine artificioq; viſenda.

Hæreſim eiurarunt viginti quinque. In his Virgini perſuaſum, quæ Anabaptiſtarũ conuenticulis intereſſe cogebatur, vbi extinctis luminibus Venus promiſcue dominabatur; auunculi domum talium ſcelerum conſciam deſerere, poſthabito etiam facultatum detrimento.

Adoleſcens in Pomerania honeſto loco natus cum parente Coloniam merciũ cauſa venerat, hac vſus opportunitate ſe parenti ſubduxit, quod inaudiuiſſet aliquãdo perfidam hæreticorum fidem nemini futuram ſalutarẽ, quare Antuerpiam meliores animæ merces cõparaturus venit, maluitq; per multa itinerum pericula nudus euadere, & laborioſo opificio vitã tolerare, quam domi otio, luxuq́; cum animæ iactura diffluere. Iuuenis annorũ quinq; & viginti rediens ex Hiſpania, dum in ſororis ædib. menſes aliquod diuerſatur, prauorum conſortio ſectatur pocula, & æquo liberius viuit, admonitus identidẽ à ſorore, non modo non deſtitit, ſed etiam increpationis grauioris impatiens, dæmoni ſe deuouit, niſi ante triduum ad bellum

pro-

proficiſcatur. Exhorruit hac increpatione ſoror; iuuenis interim deuotionis oblitus, iterum Hiſpaniam cogitat: ſed ecce quarto die dum veſperi ſolus in poſteriore domus area conſiſtit, videt ante ſe tranſeuntem vmbram, quæ pellem Leucophæi canis ſecum traheret, exterritus repentè ſe proripuit domum, de re tamen ſiluit. Sub cœnam deſcendit in cellam ceruiſiariam prompturus ceruiſiam, cùm, ecce, per feneſtram, quæ viam reſpicit, ſorex ſe miræ magnitudinis immittit, qui ad pedes eius, in globum conuoluitur, & tota cella volutatur, nouus terror impulit eum feſtinato regredi, diſsimulauit tamen. Nocte capto breui ſomno ſenſit ſe fodi pugnis, & in corpore felem inambulare, prunam in extrema lectica fœdum fumum exhalare. Inſequenti die triſtitiam vultu prodidit, eiusque cauſam ſciſcitanti ex eo ſorori aperuit. Suaſit illa, vt noſtros adiret, ſed vano prohibitus timore non paruit. Nocte ſequenti lectus in cubiculo ſororis illi ſternitur accenſo perpetuo lumine, ſed iterum terretur, nunc pugno latus impellente, nunc ſoricis figura, nunc canis; ne qua ſomnij ſuſpicio relinqueretur, ætas innocens, & adhuc doli neſcia teſtis acceſsit. Puer is erat trium annorum in cubiculo dormiens, qui velut æthiopem vidiſſet, identidem inclamauit.

Tandem re tota cũ Sac^te^ noſtro cõmunicata, ſuaſit ille imprimis totius vitæ expiationẽ, cerea agni Dei effigies appenſa collo, aſperſum cubiculũ aqua luſtrali, quæ remedia licet vim ſuam habuerunt, q̃diu adoleſcens virtutẽ coluit, tamen vt ad ingeniũ redijt, eũ rurſus à ſpectris iniecta formido turbauit.

Viſi

Visi tres Dæmones eius lectulum de nocte cingere, chartam, atramentumq; offerre, vt scripto sese deuotum esse testaretur, nec repugnat ille, nec tamen assentitur omnino, vt inter somnium & vigiliam solet. Miserum erat amicis spectaculum, oris squallor animi turbati indicium erat, comæ tãquam setę horrentes: monitu suorum confessionem iterat, addit lachrymas animi dolentis indices, & præsens remedium inuenit.

Liberalitate Senatus accesit Societati domus apta Collegio, quæ laxitate inter cæteras huius vrbis ædificiorum numero, horti amplitudine, loci amœnitate facile principatum tenet. Magna fuit inter Ciues Senatumq; contentio. Vicit Senatus insigni constantia, & æternum suæ beneuolentiæ monimentum in hac domo statuit, nequicquam frementibus hæreticis, & aduersariis Regis externi legatis.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

FVerunt hic Socij viginti duo, decem Sacerdotes, quinque Magistri, septem Coadiutores.

Accesit ad huius vrbis præsidium, & excitandum laborem nostrum, miles Germanus; In hoc non pauci contemptu sacrorum Christianæ pietatis incuria, diuini humanique iuris inscitia, & futurorum obliuione, variis erroribus & vitijs imbuti: Horum animos præparare cœpimus ad salutares fidei satus accipiendos: qua cultura facti meliores, fructus vberes extulerunt. Tres enim &

qua-

quadragíta ſacro chriſmate vncti ſunt, duodecim è ſectaZvvingliana in numerumCatholicorum, alij quatuor ex aliis erroribus erepti idem beneficium adepti ſunt.

Parthenici Sodales maiores, minoresque multis pietatem ſuam argumentis probarunt. In cæteris vnum modo ponemus ambobus commune. Quinto die maioris hèbdomadæ vſitato more, ad ſeptem huius vrbis Templa longo agmine proceſſerunt, illi aculeatis flagellis tergum diuerberantes, hi Chriſti laborum æmuli ferreas laminas graues, & longas humeris geſtantes, omnes pedibus nudis, ſaccisq; horridi, & obrigentes frigore. Ad effuſas enim copioſasq; niues etiam horriferi Aquilonis ſtridor accedebat. Quamuis autem pro more in obeundis ijs templis omnibus eſſent inter verbera tres horæ ponendæ, & eos pene exanimaret gelu, tamen eos neque vis frigoris, nec cuiuſquam oratio, nec commiſeratio ab inſtituto reuocare potuerunt.

COLLEGIVM LEODIENSE.

Degunt hic trigíta ſeptem è noſtris, decem & octo Sacerdotes, Magiſtri tres, Repetentes quatuor, Coadiutores duodecim. Vnus extinctus eſt.

Captus à Magiſtratu maleficus, qui annos fere quatuordecim malas artes, magicasque prȩſtigias ſequutus fuerat, eo feritatis venerat (incertum quomodo) tantum accepto vt cingulo quodam è corio, in lupum, lupinamque rabiem verteretur,

adeo

adeo ferus & immanis, vt more lupi viuos homines voraret, nec eius rabies posset expleri; mirum dictu, quam grauiori quæstione postulatus, initio non magis confessus fuerit, quam si sensus expers, aut saxo durior fuisset, sed ecce quod non potuere tormenta, epotum poculum aqua lustrali infusa, quodam è nostris auctore, confessionem expressit. Aderat scriba, aderant Iudices, interrogante nemine, sua sponte, magnis clamoribus confessus est, se magicis artibus Lycanthropum factum, vt corio quoties libitum esset, accepto, figuram hominis exueret, lupinam iudueret: pueros septendecim captos, & in syluas deportatos vorasse, sed non potuisse iis nocere, quos Catholici parentes Christianis legibus imbuissent, precari, seq; signo Crucis munire docuissent. Addidit sua se actum rabie persequutum fuisse annos fere quinq; puerum quendam formosum & delicatum, sed efficere nihil potuisse Deo prohibente; donec temere puer egressus, antequam de more precatus esset, & se Crucis figura signasset. Tum demum adoriri potuisse, & latus eius iniectis fortè vnguibus feris, & dentibus grauiter offendisse. Sed quia puer paulo grandior, & duodecimum agebat ætatis annum, quacunq; potuit ope se defendit, & lupo grauius secundum nares vulnerato, tandem euasit. Explorata res est, puerum nostri viderunt, & in isto Lycanthropo cicatrix etiamnum hærebat, quam ex eo vulnere, eaq; cum puero lucta accepisse confessus est, patefactis ergo, & cognitis multis horrendisq; scelerib. iustâ morte damnatus est, incredibile dictu est, quam

multa

multa verè pœnitentis & dolentis animi signa reliquerit, quam lubens pro peccatis mortem subierit, quam fortiter, quam patienter, omnia quæ mortem antecesserunt, tormenta pertulerit. Vna fuit illi præcipua cura, vt cum frequenti populo duceretur ad supplicium, matres potissimum hortaretur, vt liberos fidei rudimentis erudirent, ritus orandi docerent, imprimendiq; fronti salutare signum Crucis, illam esse veram & probatam fidem, illud vnicum præsidium, quo ab eiusmodi ferarum, & dæmonum incursionibus tuti esse possint. Excitauit ea res curam & studium parentum, vt impensius in filiorum institutionem incumbant.

Hæretici decem fidei mysteriis imbuti, hæresim detestati sunt. In his Anabaptista mulier, cum sacro fonte ablutam non esse constaret, Christianis præceptis instructa, publica omnium gratulatione, magnoq; suo gaudio solemni ritu aqua tincta est. Ciuis Leodiensis quidam periuriis & diris execrationibus assuetus, cùm à grauibus viris, cum à nostris sæpe est monitus. Sed nostrorum monitiones non modo respuit, sed eos etiam onerauit maledictis. Cæterum cum de sua consuetudine nihil remitteret, illud os impurum debitas Deo pœnas morte persoluit. Putrefactis enim faucib. serpens quadam velut contagione cancer, etiam linguam radicitus euellit, & omnem eripuit loquendi cum maximè vellet facultatem.

Miles hispanus cum popularetur agrum Leodiensem, & Colonis pecunias acerbius imperaret, fortè per insolentiam, atq; iniuriam cuiusdam primarij

marij Ciuis Leodienſis villam incendit; acerba profectò toti familiæ calamitas, damnum æſtimatum decem millibus florenorum. Noſtri primum mœrentibus animis attulere ſolatium: deinde opportune nihil amplius vel cogitante, vel ſperante iam viro, noſtris agentibus cauſam eius apud Iudicem Caſtrenſem, & Præfectum Caſtrenſis ærarij, tantum detractum eſt è ſtipendio militum, quantum ſatis eſſet damno abunde præſtando.

Sacerdos è noſtris in Galliam profectus, qua proximè ad fines Leodienſes pertinet, conſilio, doctrina Chriſtiana, concionibus, explicandis etiam moralis Theologiæ quæſtionibus ita profert, vt tota pene Ciuitas repetitis etiam à prima pueritia confeſsionibus ſit expiata: Hæretici proximo in pago officinam ſuæ doctrinæ poſuerant, multos corruperant, & indies in errores inducebant: eo noſter excurrit, ſed illi ſubſiſtere non ſunt auſi, quod captioſis rationibus dicerent ſe nolle contendere. Interim noſter populum erudiit ſana doctrina, dubios confirmauit, plures reduxit errantes, qui ſalutari doctrina recreari ſibi videri dicebant, eam verè è cœlo delapſam, ſe nunquam talem habuiſſe.

Alius Sacerdos in agrum Stabulenſem miſſus eſt: ibi monaſterium ditioni Leodienſis, antiquitate, opibus & dignitate facile princeps, in quo tota pene æſtate piis B. P. noſtri commentationibus religioſos omnes exercuit. Indulgentiæ Pontificiæ ipſis Bacchanaliorum diebus mirabilem in animis Ciuium pietatem excitarunt, tantusq; fuit in Templo noſtro concurſus, vt non minus Sacer-

dotes omnes obruerentur, quam feria paſchali. Auxit eam celebritatem dedicatio ſtatuæ è ſacra quercu Beatæ Mariæ virginis Aſpricollis, in cuius pegma, cæteraque ornamenta ciuium liberalitas facile mille ducentos florenos inſumpſit, opus elegans, & inter præcipua Ciuitatis elegantia artificioq; viſendum.

COLLEGIVM IPRENSE.

COmmorantur in hoc nouendecim, Sacerdotes nouem, Magiſtri quatuor, Coadiutores ſex.

Inchoatæ Scholæ anno ſuperiore pene perfectæ, ad quas Senatus huius vrbis præter ſex millia florenorum alias data, alia duo millia rurſus adiecit: Senatus qui Iprenſi ditioni præſidet ad mille florenos anni ſuperioris octingentos addidit.

Vir illuſtri nobilitate & auctoritate eius pagi, in quo monaſterium olim exſtructum, quod in partem dotis auctoritate Pontificis acceperamus, onera multa & grauia à noſtris ibi ſubeunda iudicio contendebat: ac licet ius noſtrum liquere ſatis videretur, de ſententia tamen ſuperiorum pacis & concordiæ ſtudio compoſita res eſt, conceſsis egentibus ipſius pagi, & ad Eccleſiæ ſarta tecta nõnullis eiuſdem monaſterij bonis. Hanc Societatis modeſtiam boni omnes probarunt, imprimis Epiſcopus Iprenſis, aſſerens occaſionem non defuturam eam qualemcunque iacturam compenſandi.

Nuper morte damnatus quidam ortus ex eo pa-

go, qui iure mancipij noster est. Hic eo impensius adiutus est, quo maioribus incommodis & damnis prædo priuatim, publiceq; infestus, eundem pagum affecit; salutaribus Sacerdotis nostri monitis, Deo fauente, eum dolorem hausit de præteritæ vitæ piaculis, vt finem non faceret diuinæ bonitatis prædicandę, cuius nutu repente non esset occisus, sed in manus Catholici Mag^tus incidisset. Cumq; eius mentem Pater erigeret, ostenderetq; breues esse dolores; Quam graues ac diuturnos cruciatus patiar, non, inquit, laboro, sed quomodo Deo satis faciam, cuius numen toties violaui tot sceleribus perpetratis: eamq; constantiam ad extremum vsque vitæ spiritum retinuit.

Iuuenis quidam honestus in quoddam crimen imprudens incurrerat, quod iudicio Senatus grauiori aliquot dierum inedia castigandũ erat. Hanc igitur ob causam nobis potissimum senatus ipse commendauit, quod speraret punitum salutaribus etiã monitis informari posse, idq; plurimum optaret. Gestus est mos voluntati Senatus, nec eum expectatio fefellit. Adolescens enim nostra cõsuetudine delectatus, constitutam sibi pœnam, magna animi æquitate persoluit, & generali totius vitæ cõfessione, testatus sibi grata fuisse vitæ præcepta à nobis tradita, & altius animo impressisse: nobisq; gratias agens, & incensus ad omnem probitatem dimissus est.

Viro cuidam è primarijs Senatoribus, qui non vrbi sed toti ditioni præsunt, nescio quod temere de purgatorio verbum exciderat, quod hæresim sonare videretur, re cognita Collegæ Senatu priuarunt,

uarunt, neque, licet habitus esset semper Catholicus, adduci potuerunt, vt quantumuis palinodiam promitteret, eum in publicum conuentum reciperent: quod mirum est in ea vrbe, quæ fuit antea hæresi deprauata: Sed fatentur omnes ex quo tempore Societas in eam pedem cœpit inferre ac frequentare, aliam esse faciem Ciuitatis, mores esse mutatos. Denique cum Senatus, cum Ciues, quo sint in Societatem animo, declarant omni genere humanitatis, & ad ędificium Scholarum quadringentos florenos contulerunt.

COLLEGIVM CORTRACENSE.

HAbuit è Societate sex & quadraginta, vndecim Sacerdotes, sex Magistros, vndecim Coadiutores, & duo de viginti Nouitios qui litterarum humaniorum studia recoluerunt, quorum gratia seminarium anno superiore initum fuisse diximus.

Feria tertia Pentecostes iactus est primus lapis templi futuri, rem diuinam faciente Episcopo Tornacensi, cuius in medio verba facta sunt ad populum è loco superiore à nostro Sacerdote. Res autem peracta fœliciter, concurrente Ciuitate vniuersa sibi ac nobis gratulante. Porro fundamenta paucis mensibus magna diligentia perfecta & absoluta, ad eaque & reliquam exædificationem, sunt à Senatu, totiusq; ditionis Magistratu & amicis, qua collocata, qua promissa, quinque & viginti florenorum millia.

Liberalitate quarundam Virginum, accessit ad

ſacram ſupellectilem altaris ornamentum non inelegans opere Phrygio.

Dedicata ſtatua Beatæ Mariæ è quercu Aſpricollis miraculorum effectrice, quæ quotidie magno populi concurſu & pietate celebratur.

Puer quinquennis qui affectus fuerat diu viſceribus ad ima diffluentibus, audiuit à matre celebritatem cultus eiuſdem Diuæ in templo noſtro, venit ergo, & cadēs ante imaginem ſalutationem Angelicam recitauit, inde rediens domum incolumis recuperatam ſanitatem matri nunciauit. Eidem virgo quædam votum nuncupauit, quo perſoluto digitus vlceratus paucis diebus cicatrice obductus eſt.

Mulier quam nocturna ſpectra turbabant, opportunum incommodo ſuo remedium quærens a noſtris, in templo animum confeſsione primum expiauit, deinde particulam ex ea quercu, cuius ante meminimus, & ſacram effigiem Agni Dei de collo ſuſpendendam accepit : tum demum euanuere terricula, ſeque moleſtiis liberatam eſſe lætata eſt.

Adoleſcentis febrim habentis collo, brachiis, pectoriq; variæ ac ſuperſtitioſæ res admouentur; inter ipſa cruciamenta morbi viſitauit illum Sacerdos noſter, qui vt ſuperſtitioſa huiuſmodi remedia vidit, tollenda curauit; & paucis diebus febris deceſsit.

Pater è noſtris ad monaſterium vicinæ Ciuitatis à ſacris virginibus accerſitus, ad curandos animos & conciones habendas, omnibus penè totius anteactæ vitæ peccata confitentibus operam dedit,

dedit, graues motus composuit: atq; illi fructum qui sequutus est, admirantes, nequeunt satis ampla Societati referre gratias.

COLLEGIVM GANDENSE.

INhabitarunt hoc de nostris viginti duo, Sacerdotes vndecim, Magistri quatuor, Coadiutores septem.

Ad promouendam inchoati Templi structuram, decreto Magistratus, hoc anno tria millia florenorum accepimus. Decem noua cubicula commodiori Magistrorum habitationi constructa sunt.

Conciones habitæ magna frequentia etiam hæreticorum, è quibus hoc nomine celebris quidam & diues interrogatus: quid sibi de iis, quæ pro concione audiuisset, videretur, iuratus respondit, se nunquam nisi Catholicum esse moriturum, sibiq; diras est imprecatus, si mentem mutaret imposterum.

Matrona nobilis & vidua nostri Ordinis amantissima diuturnos & intolerabiles passa est cancri dolores, interim maxima æquitatis animi, & patientiæ signa semper omnibus præbuit: quæ cum multis largitionibus nostræ domus inopiam subleuasset, ad extremum lugubria ornamenta sacræ supellectili adiecit, quibus iam confectis feliciter decessit è vita.

COLLEGIVM VALLENCENENSE.

INcoluerunt hoc noſtrum viginti duo, tredecim Sacerdotes, tres Magiſtri, ſeptem Coadiutores.

Tribus illis diebus qui ſacros cineres antecedunt, celebre fuit templum noſtrum. Sed vt Ciuitas hæreſi labefactata fuit, cum antemeridianis horis primi diei populus fuiſſet infrequentior, datum eſt drama ad rem præſentem accõmodatum ad alliciẽdam vrbis plebeculam, cuius admodum eſt auida, & ſubſecuta eſt ſacra concio, tum verò frequentior cœpit adeſſe poſtridie. Iteratum poſt meridiem drama & concio, tantusque tertia die concurſus fuit, vt primis templum occupantibus, cæteri poſterius venientes excluſi, redire domum cogerentur. Ea res attulit nobis occaſionem ſupplicandi Magiſtratui, vt reliquos ſumptus in ædis ſacræ fabricationem, iam in longum tractam conferret. Atque ille pro ſuo in nos amore affectam molem ſua benignitate perfecit.

Ad exitum ergo perductum eſt opus anno ſexto, feſtoque Pentecoſtes die templum apertum, ſpaciis amplum, venuſtum & elegans, & vſibus noſtris ſanè commodum. Exterior veſtibuli facies veneranda ſignis Diuorum : interius autem pauimentum magnam habet dignitatem : emblemate capiuntur oculi & marmore, quo magna ex parte munitum eſt liberalitate Domini Abbatis Maricolenſis: feneſtræ vero lumine ſolis illuſtratæ, pietatis radios oculis infundunt, in iis Beatæ Vir-

Virginis hiſtoria, artificioſè depicta. Speramus decori & ornamento Ciuitati futurum, & collectum iri fructus animorum copioſos & vberes. In vniuerſam eius ſtructurã impenſa ſunt quinquaginta florenorum millia: Magiſtrat⁹ decies ter mille & octingento florenos dedit: Illuſtriſsima Domina Ioanna de Blois Dux Arſchotana octies mille ſexcentos, ornatumq; plurimum, aulæa duodecim, domeſticique ſui ſacelli ſupellectilem. Iuuit non parum Illuſtriſsimus Archiepiſcoqus Cameracenſis Dominus Guilielmus à Bergis, aliiq; complures clariſsimi viri. Porro Collegij cenſus aucti ſunt centum quinquaginta florenis annuis, aliisq; nonnullis. Et hæc quidem de Templo & Collegio, veniam ad reliqua.

Vir ſuſpectam de adulterio Coniugem male tractabat: vinolétus ſæpe domum rediens, eam acerbius increpabat, ſtrictoq; ferro minitabatur, affligebatur miſera vehementer, ſilebat tamen, cauebatq; diligenter iam vndecimum annum, ne quid emanaret in vulgus. Sed ne tragico res exitu tandem concluderetur, prouidendum maturè putauit. Adhibet noſtros in conſilium, iubetur illa bene ſperare, confiteri, ſacramenta percipere, occaſiones ſuſpicionis omnes, ſiue veræ, ſiue falſæ fugere. Paret illa, vitat conuiuia, vtitur etiam obſoletiore veſtitu: ſed nihil proficit: nam ille ſiniſtrè interpretatus eſt hæc omnia, integumenta videlicet hæc eſſe occultandæ fraudi idonea. Confugit igitur ad Beatam Virginem, & , quod fuit ſalutis initium, eius fidem implorauit. Ille nocte quadam ſtatuit malo, quod ſuſpicabatur, finem

imponere, egreditur domo per ſpeciem obeundi ciuitatis mœnia, re autem vera, vt adulterum deprehenſum cuſtodiat. Illa conſiliorum viri ignara, metuensque ne ab redeunte, qui ciſtas & occultiſsima quæque ſcrutari ſolebat, grauiori pœna mulctaretur, ſtatuit ſalutari primum ſe præſidio munire: Ille conſpecto lumine confeſtim aduolat domum, rimatur diligenter, & tacitè quid agat, obſeruat, deprehendit eam lachrymantem, & attente precantem ante imaginem Beatæ Virginis: hæret tres ipſas horas in inſidiis: vbi in precibus eam pernoctare exploratum habuit; ruit in eius amplexus, pernicioſam ſuam credulitatem accuſauit, eamque admirari cœpit, & amare vehementius.

COLLEGIVM INSVLENSE.

VErſantur hic Socij viginti ſex, Sacerdotes tredecim, quatuor Magiſtri, Coadiutores nouem.

Sacramentorum in Templo noſter frequen^mus vſus, dies enim Aſſumptæ Virgini ſacer, vt de cæteris coniectura fiat, bis mille ducentos ſacro Corpore Chriſti pauit. Repudiata hæreſi, veram matrem Eccleſiam decem & tres agnouere, è quibus eo quidam pericul oſior quo tectior, qui rationibus tandem & noſtrorum charitate victus, horum arbitrio ſe totum commiſit, libroſq; turpiſsimos & flagitioſiſsimos cremauit. Fidei myſteriis informati ſexaginta, qui nihil horum vnquam auditu perceperant.

Duos

Duos afflatu ſuo eo dæmon impulerat, vt vellet vltro manus violentas ſibi afferre. Horum alter inter primores vrbis non obſcurus, alter mercator erat: ſpes ſalutis vtriuſq; dubia, congruens tamen allatum vtriq; remedium. Sed eo difficiliꝰ primario, quo maior furoris cauſa fuerat. Notarat aliquoties vxor in eo ſigna, motusque corporis inſolitos: muliebri metu perculſa ad Parochum, & religioſos quoſdam viros detulit. Illi virum allocuti, intereſſe plurimum ciuitatis iudicant, eum de officio dimoueri, publicum negotium male credi homini, quem totum familiaris dæmon occupaſſet. Ille inaudiit rumuſculum, arbitratuſq; de ſuo honore plurimum deceſsiſſe, ſic agitatꝰ eſt furiis, vt coniugem & domeſticos omnes domo eiecerit, occluſisq; ianuis, ne cuiquam ſui conueniendi poteſtas eſſet, aliquoties è feneſtra ſe præcipitem dare, ferro ſe tranſuerberare, ferrea fiſtula pectus traijcere ſtatuerit. Nusquam patebat via tanto occurrendi malo. Tandem Deo fauente, noſtrum aliquis inſinuauit ſe in eius gratiam, cui etiam recluſit fores. Ingreſſus ergo, blandis ægrum ſolatus eſt verbis, nullum muneri ſuo imminere periculum, ſalua omnia futura ſpopondit, modo ſaluum ſe vellet, demum ſummouit omnia, quibus eius vitæ periculum creari poſſet. Furor in morbum verſus eſt, ad ſeque rediit, vxorem, domeſticoſque reuocauit, & confeſsione totius vitæ maculas eluit, & magna Ciuitatis admiratione, & gaudio non tam reſtitutus in ſuam dignitatem, quam in ea confirmatus, bene rebus publicis & ſuis conſuluit. Puella quædam ſceleris rea,

vix è Templo nostro pedem extulerat, ecce vindicta cœlestis eam persequitur: fulmen sereno, frigidoq; cœlo missum allidit ad terram, & pene prę-focat, multum turbata regreditur in templum, cadensq; ad pedes Sacerdotis delicti veniam petit, & incolumis se domum recepit.

Non indignus mihi videtur literis Pastoris Diui Mauritij, & Pastorum decurionis exitus tragicus. Hic à primis annis in Scholis nostris educatus, studiis pene confectis, & vicaria parochia aliquot annos administrata, sæpius orauit, vt in Societatem nostram cooptaretur, & summis tandem precibus exoranit. Verum sub initium primi tirocinij, quia non erat ex nobis, decisionem fecit à nobis. Egressus itaque quod vtilis Ecclesiæ Dei, & Societati coniunctus fore putaretur, commendatione nostra ignotus opimam, celebremq; parochiam adeptus est. Is interea se tanto indignum munere, humeros impares oneri, nisi nos Athlantes haberet, professus, memoriam tanti beneficij sempiternam promisit. Sed neglectis pedibus oculos in caudam superbus pauo conuertit, erectoque supercilio sanæ mentis vsum perdidit aliquot mensibus; virus, quod occultum animus texerat, euomuit, forasque proiecit. Societatem diris conuitijs tam priuatim, quàm publicè insectatur, eam notauit infamia; munia Societatis nulla esse proclamat; acrioribus comminationibus è suggestu suos parochianos à nobis abducit: quos nouit nobis amicos exsibilat, eos insectatur. Iam duos pene ipsos annos maledicta congesserat, cum pœnam suo scelere dignam suscepit. Nam adeo vox obtusa

obtuſa facta eſt, vt nec canere, nec concionari, imò nec pene loqui poſſet, cum vellet. Nec tamen Dei vindictam agnoſcit, ſed felicem ſua miſeria Societatem profitetur: Alioqui futurum, vt ſi vox reſtitueretur, ipſam natiuis coloribus depingeret. Verum peſtis manauit latius, atq; ita inualuit, vt tribus annis non potuerit vllo medicorum conſilio, nec medendi arte depelli: ita fauces intercluſit, vt ad ſtomachum nihil poſſet enectus fame tranſmittere, præter modicum lac, quo tres menſes ægrè ſuſtentatus febri totum corpus depaſcente, florens ætate infelicisſime decesſit è vita, niſi morte imminente vltricem Dei manum agnouiſſet. Diſcuſſa tandem, quæ fuerat animo primum offuſa caligo, & in extrema calamitate, mens illi melior accesſit. Nam quindecim ante mortem diebus præcipitante iam die Vicarium ad Patrem Rectorem miſit, qui ſuo nomine delicti in Societatem admisſi veniam rogaret, noſtrasq; preces & vota poſtularet. Annuit Rector, eaq; dicit, quæ religioſum animum, & iniuriarum immemorem decebant. Et eum ſtatim viſitandum curauit, eique offerenda quæuis charitatis officia, quibus emollito animo continuo lacrymatus, & in ſeipſum exardeſcens, ſuam deteſtatus eſt inſaniam, & ingratum animum caſtigauit. Neque potuit ipſe Rector dum eum viſitaret, nō ad commiſerationem inflecti. Nam vt Paſtor eum cubile ingredientem vidit, fluxerunt ex oculis lacrymæ, nudatoq; capite, manibus iunctis remitti ſibi rogauit, quod in Societatem deliquiſſet, nec ab ea voce deſtitit, quotieſcunq; ab aliquo noſtrûm viſitaretur.

Nec

Nec his contentus, ſi qui amicorum noſtrorum decumbentem inuiſerent, optimè de Societate loquebatur, eiuſque nomen inique ſordibus affeciſſe fatebatur. Atq; vt paucis multa complectar, quæ dicere potuit in Societatis commẽdationem dixit, nec mori voluit, niſi prius totius vitæ noxas cuidam è noſtris confeſſus. Mors eius vita præſtantior fuit, pluraque potuit in Societatis laudem moriens, quàm viuus in eiuſdem detrimentum. Illud poſtremo memoria dignum, quod paucis ante mortem diebus in Sodalitatem Beatæ Virginis, cuius antea fuerat hoſtis, poſtularit aſcribi, cuius voto factum eſt ſatis, & more cæterorum Sodalium elatus eſt: vniuerſa Sodalitas, quæ ducentis & triginta Sodalibus conſtat; cuius præter cætera munus hoc videtur eſſe proprium, vinctos & ægrotos piis monitis, & collata ſtipe ſubleuare.

Pauperum ærarium, quem montem pietatis vocant, hac in vrbe opera noſtra conſtitutum. Vir quidam erat diues, & bene nummatus, anceps & maximè dubius, quo loco tute, vtiliterq; pecuniã ſuam collocaret, perſuaſum vt initium huius ærarij faceret, rem Deo gratiſsimam, Ciuitati & egẽtibus vtiliſsimam, ſibi, ſuisque honorificam eſſe facturum. Conſilium probauit, ad eamque rem octoginta ferè millia florenorum contulit. Actum deinde cum ſenatu, vt publico ſumptu domum ædificet, annuaq; miniſtris huius ærarii ſtipendia perſoluenda ſuſcipiat, & ſumptibus in auctionem deſertorum pignorum, in ſingulos annos faciendis ita proſpiciat, vt de ærario nihil vnquam detrahatur,

hatur, vt pauperes omnino gratis mutuum accipere posſint. Non modo Senatus aſſenſus eſt, ſed & noſtrum in Ciuitatem ſtudium collaudarit, oblataque ſibi tali occaſione maximè ſe lætari verbis ampliſsimis teſtatus eſt. Aliis acceſsionibus amplificatum iri ſperamus iſtud ærarium.

Ædificium Collegii templiq; publicò cœptum impendio multum aſſurgit, eaque nos complectitur Magiſtratus beneuolentia, vt (licet noſtri ſtudioſiſsimus ſemper fuerit) æſtate ſuperiori in magnis publicarum pecuniarum anguſtiis quinquaginta millia florenorum in ædificationem noſtrã dederit. Nec ſe his limitibus cohibuit eius liberalitas, etiam Collegio noſtro duo millia in ſingulos annos ad triennium decreuit.

Sacro cratere templi ſupellex accreuit benignitate primum honeſtæ matronæ iampridem de Collegio benemeritæ, in quem mille quingentos florenos impendit, cum pegmate nouo multo ſplendidiori illo, quod ſuperior annus ad imaginis Diuæ Virginis Apricollis ornatum excitarat: deinde Cruce argentea non parui momenti, veſtibusq; Sacerdotalibus aliquot vna cum peripetaſmate. Huc inſumpti, credo, floreni bis mille quingenti.

Scholarum porro iuuentus ordinum religioſorum verè ſeminarium eſt. Hoc anno duodecim ſacris familiis adiuncti ſunt. Triginta ſocietatem ambiunt: Sex Reuerendo Patri Prouinciali ſua vota aperuerunt, quibus facta ſpes abſoluto ſtudiorum curriculo.

Stegris Oppido Flandriæ, duo de noſtris in ad-

uentu

uentu & quadrag^{ma} munia Societatis obiuerunt: Ibique opera nostra Beatæ Virginis instituta Sodalitas. In hanc ascriptus Magistratus, alijque complures, in qua iam numerantur centum, confitenturque singulis mensibus, & sacris epulis sese reficiunt. Speramus auctum iri numerum Sodalium, vbi Audomarensæ sedis Antistes illius Indulgentias impetrarit.

COLLEGIVM BRVXELLENSE.

QVadraginta septem hic fuerunt nostri, Sacerdotes ex ijs viginti duo, Mag^{ri} quinq; studiosus vnus, Coadiutores vndeuiginti. Ad promouendã inchoati superiori anno Templi structuram, asignatus à quodam de nobis benemerito census perpetuus annuorum mille florenorum: Eo verò perducta est ędificij quadri pars vna, vt iam habitetur à nostris.

Viginti duo cum viri, cum fœminæ nostra disciplina exculti, ad varias religiosorum familias transierunt. Diem suum obijt virgo quadr^{mum} ferè agens ætatis annum, quæ tametsi lignis è sylua deportandis ad forum sibi victũ quæreret, solita fuit tamen singulis hebdomadibus, ad Confessionis & sacræ Synaxis Sacramentum venire. Pauperibus duos asses, & dimidiatum elargiri, plures etiam inediæ vernæ tempore ventre fraudato. Cumq; sæpius ad Capucinos cibaria portaret, interrogata aliquando cuius nomine eiusmodi ferret? meo, inquit; admirantibus illis, quod ipsamet potius aliorum indigere benignitate videretur, subiunxit illico, se concionibus (quas nunquam intermitte-
bat,

bat, etiam profanis diebus, cum præsertim à nostris haberentur) ita se edoctam esse, pauperum munera Deo esse gratissima. Triplex illa statuebat eorum genus, nam alia dicebat esse aurea, alia argentea, alia denique plumbea, aurea quidem quæ darentur ab homine firmo corpore, & integris viribus, argentea verò, quæ in extrema vita propinquæ mortis terror extorquet: plumbea deniq; quæ obita morte testamento distribuenda legantur. Locum illi quidam in gynæceo Pater è nostris impetrarat, sed recusauit illa, quod deinceps eriperetur illi facultas colligendi flores venerabili Sacramento, sacræ statuæ Beatæ Virginis, Sancti Christophori in sacello nostro, & imagini quæ iuxta portam Collegij est posita.

Vocatus noster sacerdos ad audiendam confessionem vincti cuiusdam, qui tertium aut quartum diem ita ischuria torquebatur, vt vita desperaretur: misertus eius, ligneam & è Beatæ Virginis Aspricollis arbore crucem porrigit, hortatur vt magno sit animo, credat firmiter, se Beatæ Matris ope posse morbo liberari, qua appensa collo implorauit eius auxilium. Sacerdos triduo ad eundem reuersus, illum omni dolore, & morbo liberatum deprehendit.

Adolescens octauo quoque die apud nos confiteri, & cœlesti pane se recreare consueuerat. Eidem animam agenti, quam toto vitæ decursu magna fuerat veneratione prosequutus, Dei Mater obtulit sese iucundo vestita lumine: perfusus inde gaudio protinus exclamauit; Videte sorores meæ gloriosæ Virginis pulchritudinem, videte venu-

venuſtatem; tum verò fœlicem animam exhalauit. Sorores tam beato fratris exitu commotæ, factæ ſunt etiam pietatis hæredes, laudabilem iniecerunt conſuetudinem octauo quoque die confeſſione peccata delendi, animique ſacris epulis reficiendi.

Etſi pactæ cum hoſte ſunt induciæ, noſtri tamen qui verſabantur in Caſtris, in præſidiis militaribus, in extremo Belgio collocati ſunt, quibus occaſio de multis benemerendi non defuit. Etenim non modo populus, ſed & Paſtores diuturna hæreticorum familiaritate corrupti, quibus ante ſacram communionem non cibum modo ſumere, ſed etiam famem explere, generatim confitentes abſoluere, nulla religio: mira Romanorum rituum ignoratio, mirus Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptus. Noſtri quotidianis ſuis laboribus id aſſecuti ſunt, vt optime de multorum ſalute ſperetur. Comes ipſe Soranus, qui toti illi Regioni præeſt, ab eorum aduentu magnam omnium Ordinum mutationem factam eſſe teſtatur.

COL-

COLLEGIVM MONTENSE.

HAbitarunt hic Socij viginti quatuor, Sacerdotes tredecim; Magiſtri quatuor, Coadiutores ſeptem.

Schola doctrinæ Chriſtianæ frequentior hoc anno fuit in Vrbe acceſsione Ciuium omnis ætatis & ſexus, cuius vtilitatem vt perſpexit nobilis quædam mulier, cum ad ſuum pagum, cum nobilibus fœminis ſe conferret, puerorum puellarumque cætum conuocauit, & ijs fidei noſtræ myſteria tradidit, ad quæ vicinis ex locis magnus etiam concurſus factus eſt.

Ita ſunt concionibus animi paganorum exculti, vt primis dominicis cuiuſq; menſis, præcipuiſque feſtis diebus ad templum noſtrum confeſsionis & Euchariſtiæ gratia veniant ita frequenres, vt excludantur vrbani, neq; duodecim Sacerdotes ſint ijs audiendis pares.

Data eſt Templo noſtro inſignis ædicula venerabilis Sacramenti, ferè mille trecentum florenûm.

COLLEGIVM CAMERAcenſe.

SVnt hic viginti numero. Sacerdotes nouem, Magiſtri quatuor, Coadiutores ſeptem.

Ab hæreſi liberati ſunt duo, & ad Catholicorum cætum aggregati, quorum alter miles Heluetius in ea educatus & adult⁹ fuerat. Alter Adoleſcens parentibus hæreticis natus, & ipſe paren-

tum opinionibus imbutus: vterque confeſsione totius vitæ ſcelerum labem abſterſit.

Caſteletum arx eſt Galliæ, pars tamen diœceſis Cameracenſis, vbi hæretici Catholicis permixti, nec inde procul hæreticæ conciones habentur magna frequentia: ita excitati ſunt illi ad ſeruandam fidem antiquam, vt templum, quo adhuc caruerant, ædificarint, & ad exitum ſingulari diligentia perduxerint. Abſolutæ ſunt hoc anno Scholæ duæ publico ſumptu elegantes & firmæ, in quarum parte ſuperiori facta ſunt cubicula ſeptem vſibus noſtris commoda, tres alias propediē ædificatum iri ſperamus, vna cum aula ſatis ampla, quas duabus prioribus adiunxiſſet hic annus, niſi optimatum conſilium temporum, & belli calamitas diſturbaſſet.

Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Dominus Guilielmus à Bergis, ad ſuperiora beneficia in nos collata annuum cenſum ſexaginta duorum florenûm adiecit.

Hæreticus autem quidam nobilis, cuius animum litteræ Principis & Epiſcopi Leodienſis, & Dominus Ioannes Riuas Gubernator huius vrbis nobis conciliarunt, quadringentos ſexaginta florenos ſibi debitos remiſit.

COL-

COLLEGIVM BERGENſe.

VIginti Socij hic commorantur, Sacerdotes decem, quinque Magiſtri, quinque Coadiutores.

Nec Collegium abſolui, nec Templum inchoari potuit, oppreſsis nouo & inopinato militum præſidio ciuibus, quo neceſſario coacti ſunt alio & ſtudia & opes conuertere. Villæ malè materiatæ Collegij ſumptibus inſtauratæ, aliaque in commodiorem vſum conuerſa. Nec parum aucta piorum liberalitate ſacra ſupellex, ornamentis aræ & Sacerdotis omnium colorum, vt vſus Eccleſiæ Romanæ poſtulat: Argenteæ deinde hierothecæ venerabilis Sacramenti corona ſeptuaginta florenûm, quibus in templo noſtro frequentia populi maior, & pietas excitata.

Ab hæreſi noſtrorum concionibus, ad catholicam fidem reuocatus vir ætate prouectus, quem à primis iam annis Lutherana labes inquinarat: virgo præterea quindecim annos nata, quam inter Catholicos agentem ipſius propinqua corruperat.

COLLEGIVM ATREBATENSE.

DEgunt hic duo & viginti, Sacerdotes decem, Magiſtri quinque, Coadiutores ſeptem.

Collegium hoc indies Vedaſtini liberalitate creſcit, qui per hunc annum promouenda noſtræ Domus exædificatione, ducentos ſolipedes occupauit.

Hic idem porticu penſili nouis ædibus commiſit veteres, quo leuata prioris habitationis anguſtia, noſtris cōmodare poſsit, quicquid in noua æde perfectum eſt. Nec tamen familiæ Vedaſtinæ accidit infructuoſa ſui Patris erga noſtros benignitas. Nam quidam Religioſorum opera noſtra literis inſtituti, quidam ſanctis commentationibus ad virtutem inſtructi, ac in multis vnus pendens animi, & de commutatione vitæ religioſæ ſerio cogitans, vim & firmitatem animi hac è ſancta mentis exercitatione concepit.

Hac in vrbe noſtri caret templo, ſed de ſponſam modo & deſtinatam ſcholarum vſibus aulam, in templi vicem vſurpant. Neć certe coit hunc in locum infrequens hominum multitudo. Feſto Circumciſionis Chriſti die, cum Atrebatenſis Epiſcopus, hoc in loco ſacris operatus ſanctiſsimi Corporis Domini cōmunicationi miniſtraret, illa fuit animi voluptate perfuſus, vt iam tum in eundem diem inſequentis anni ſibi eiuſdem communionis impartiendæ, toto ante meridiani temporis ſpatio poteſtatem à noſtris fieri poſtularit.

Hic

Hic annus auxit ſacram ſupellectilem vaſis, veſtibus bombycinis, & omne genus ſimili altaris ornatu: atque adeo viſus eſt Deus magna bonorum liberalitate vnius è noſtris Patribus modeſtiam compenſare, qui panni ſerici promiſsione nũquam à fœmina deinde adduci potuit, vt ſe iniquę cauſæ patronum addiceret. Creuit & res familiaris acceſsione bis mille florenorum, quos moriens nobilis mulier teſtamento nobis iam ante legauerat.

Latum auxilium & hæretico iuueni. Miles ille ab Hollandia ſuum Regem, & religionem oppugnarat, ſaucius grauiter factus, captiuusq; Buſcoducum abductus à vulnerum moleſtia militiam faſtidire cæpit. Vulnerum dolore tandem & vinculis exſolutus Atrebatum venit; Hic multo noſtrorum labore factum eſt, vt hæreſi eiurata prauitatem cum virtute mutaret.

Itum in carceres perfrequenter, & maximè boni ſenis Patris Eleutherij cura, nexorum inopiæ ſubuentum eſt, cuius rogatione, quidam nexu quadringentûm quadraginta florenûm abſolutus: alijs aut ſolutio prorogata, aut condonatio debitorum exorata.

Hæc in vrbe; foris etiam perfectum eſt, vt paganorum quam plurimi via per lutum moleſta & difficili longum iter conficerent, confeſsionis & communionis gratia profanis etiam diebus obtinendæ: quod ante noſtri Sacerdotis aduentum erat illis locis, vel etiam feſtis diebus inſolens cogitari.

COLLEGIVM LVXEMBVRGhense.

NOuendecim hic verſantur, horum Sacerdotes ſeptem, Magiſtri ſex, Coadiutores ſex, vnus hinc in cœlum emigrauit.

Funeſtus Collegio fuit hic annus morte chariſsimi fratris noſtri Ioannis Hartebij, qui præmatura morte confectus eſt, cùm vix annum integrum in erudienda iuuentute poſuiſſet. Fuit ille natus in Germania parentibus per hæreſim deprauatis, & puer miſſus à Patre Geneuam, vt pernicioſius ab impio Doctore Theodoro Beza, ad omnem improbitatem efformaretur: Verum à ſuo Patruo puer idem in Belgium adductus, & literis apud noſtros, morumque præceptis inſtitutus: prius in noſtram Societatem aſcriptus eſt, quam illum Pater Geneua abeſſe cognoſceret. Paucos annos in Societatis inſtituto magna cum virtutis opinione verſatus: Patri ſuo per frequentes litteras ni domum rediret ſeuerè comminanti, ipſe pugnaciſsimè reſtitit, & morbo preſſus illa fuit erga ſuperiores, ſicut & Cœlites obſeruatione, vt quantumuis ſtomachus acerbiſsima vexatione turbatus, cibum omnem cum nauſea repudiaret, tamen interpoſita ſuperiorum auctoritate, vel Beati Patris Ignatij, aut cuiuſuis cœleſtium interpellatione, vim ſtomacho faceret, cibumque cōſumeret. Clauſit diem extremum decimo ſeptimo Ianuarij: in locum vnius intermortui duo nobis hac è Ciuitate ſubiuncti: quorum alter cum hoc vitæ inſtituto non paruam parētum offenſionem incitaſſet; eadem ipſa ſua conſtantia parentum

tum animos eo vſq; recreauit, vt Pater hac in vrbe primarius, per literas Patri noſtro Prouinciali fusè gratias egerit, de filio in Societatem aſcripto.

Fructus à paucis qui hoc in Collegio commorantur nō paruus exſtitit. Plures ab errore in viam veritatis abducti. Puer annos natus quatuordecim, nobilis cuiuſdam fœminæ famulus, cum hera Luxemburghum aduenit. Laborabat ille ſumma rerum quæ ad religionem pertinent ignoratione, atq; hic fortè ſacram ædem ingreſſus, primo Ceremoniarum, ſacrificijq; nouitatem admiratur, deinde ſanctæ rei dignitate permotus, cœpit magno deſiderio peruidendæ veritatis incendi: ab hera, quoniam illa inueteratis prauitatis ſordibus tenebatur; quo ſe abduceret, diem ſolidum ieiunus exegit: & tandem noſtram in domum, vt in locum tutiſsimum ſe recepit, affirmans ſibi certum eſſe, duram potius vitam emendicato pane tolerare, quam iterata cum hæreticis vitæ cōiunctione miſceri. Quapropter religionis & fidei documentis inſtructus à noſtris, & in Sanctæ Matris Eccleſiæ Regnum inductus, conceſsit in familiam Præfecti huius Oppidi. Cum altero quodam hæretico de fidei cauſis accuratè quidem, ſed inani labore diſceptatum eſt. Non paruo tamen illi ſtetit, nā repentina morte ſublatus, & in locum profanum illatus eſt. Etiam tribus in pagis Sodates inſtitutæ, illisq; à Paſsione Chriſti nomē impoſitum; quarum in legibus quæ prima, iubet per annos ſingulos diebus feſtis celebrioribus, vnumquemq; Sodum maculas animi confeſsione deponere, ſanctaq; corporis Chriſti communione paſci. Sodalium inſtitutum

imitantur etiam cæteri non sodales: factumq; præter morem antiquum in vno pagorum, vt omnes Pagani festis anni huiusce solennioribus suos animos confesſione, & sancta communione curauerint. Atque ne Sodales à legum constitutione decedant, vnicuique Sodalitati est à nostris imago consecrata, quam ipsi summi Pontificis instituto venerantes, omni peccatorum debito liberantur. Quamobrem diebus festis ad eiusmodi imagines supplicat frequens maximè Sodalium multitudo: frequensq; de Sodalitatis legibus explicatio, & à nostris instituitur ad virtutem ad hortatio.

Ibidem aliquando quidam è nostris, pro concione vehementius in ventris intemperantiam inuectus fuerat: aderatq; Parochus quidam assuetus huiusmodi turpiter abdomini seruire: motus fuit ille dicentis rationibus, sed non & à vitio tamen remotus: eiusdem hebdomadis quarto die, cum ex Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto cibis abstinendum fuisset, ille vir in quadam pagi vicini caupona cibo se vinoque ingurgitauit: ac deinde domum reuertens equo lapsus vitam infelicẽ cõclusit euentu; nam ita grauiter latus offendit, vt nec potuerit vocẽ efferre, nec dolentis de peccatis animi signum dare. Adfuit tristi spectaculo Sacerdos alius, qui frequenter, vt à cibo nimio continẽs, sordidusq; fuerat ab illo infelice reprehensus: hic explorans vtrum alter extinctus esset, cum eius ori digitum iniecisset, erupit teterrimus fœtor, certisſimum, vt ipse postea affirmauit, diuinæ in ebrioso punitionis argumentum.

Supellex nostri Sacelli creuit adiunctione ve-

stis

ſtis bombycinæ, quæ quinquaginta coronatis æſtimatur: etiam & imagine affabrè facta è quercu Beatæ Virginis Aſpricollis.

MISSIO HOLLANDICA.

VERſantur in hac Sacerdotes è noſtris ſex; quanto autem fructu in tam vbere meſſe, vnius manipuli, quādoquidem cæteri ſuos non miſerint, facilè declarant.

Periculorum & timoris plena quidem omnia fuere, ita tamen zelo Domini armatus noſter ea contempſit, vt centum triginta nouem vicibus concionem habuerit: idq; tanto audientium ſtudio & profectu, vt concionem hæ voces exciperent. Deus bone qua fiducia ille loquitur! valeant hæretici: modo, quidquid oblatrent, nūquam dimouebor. Imò & non nemo ita fidei amore exarſit, vt affirmaret malle ſe potius quam fidem desereret, equis in diuerſum actis quatuor in partes diſtrahi. Ecce ſemen; nec malignè fructus reſpondit. Euchariſtia refecti mille ducenti nonaginta duo: matrimonio tredecim paria legitimè copulata: Baptiſmo quinq; tincti; Chriſmate cæteriſque ceremonijs adhibitis muniti tres & quadraginta fuerunt. De vita vniuerſa generalem confeſsionem quatuor inſtituerunt; quinq; inſtar filij prodigi è cœno vitiorum emerſere. Porrò ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ adducti, cū nunquam ea vſurpaſſent, ſeptuaginta quinque: poſtliminio verò ad hæc reducti, cum toto hoc ciuilium bellorum tempore ita intermiſiſſent, ſedecim, & in his erant tres fermè ſeptuagenariæ. Eximium

mium in hoc genere eſt, quod illegitimè coniugatus, cum miniſtrum ægrum ſe inuiſentem faceſſere iuſsiſſet, voce diuinitus admonitus fuerit; quæ ſic agere & in antiqua fide permanere ſuaderet. Dicto audiens, confeſsione animi maculas, quod antea fecerat nunquam, eluit, & cum coniuge ad Eccleſiæ gremium reuerſus eſt. Idem frendentibus hoſtibus fecit mater quondam conſiſtorij. Cùm enim ægritudine, votiua peregrinatione obita, liberata fuiſſet, hæreſim eiurauit, filiiq; Chriſmate vncti ſaniores partes ſequuti ſunt, vt autem illi magis exploratum eſſet à malo corporis ideo ſanatam, vt anima ſalua euaderet, mox vt ſuam repetiit domum, rurſus eodem morbo fuit afflictata, quod intelligens alio commigrauit.

PRO-

PROVINCIA POLONIÆ.

IN primaria Regni parte Poloniæ, quæ à Viceprouincia Lithuanica diſtinguitur, Socij numerantur trecenti & decem. In Domo Profeſſa Cracouienſi vnus & viginti; Sacerdotes quindecim, ſex rei domeſticæ adminiſtri. In Domo probationis, quæ eſt ad S. Stephanum, quatuor & quadraginta; Veterani vndecim, ſex videlicet Sacerdotes, quinque Coadiutores; tyrones triginta tres, quorum viginti ſex ſtudijs, reliqui operis domeſticis deſtinati.

Collegium Poſnanienſe perſonis ſtetit ſexaginta ſex; ex quibus viginti Sacerdotes, quorum Theologiæ Profeſſores quinque, Philoſophiæ, Rhetoricæ, & Grammaticæ ſinguli: è fratribus tres inferiorum ſcholarum Magiſtri; auditores Theologiæ ac Caſuum conſcientiæ vniuerſim triginta tres; Coadiutores decem. Collegium Caliſſienſe ſexaginta cenſuit: decem & nouem Sacerdotes, è quibus ſuperiorum diſciplinarum ſex Profeſſores; fratres Philoſophicis ſtudijs addictos ſex & viginti, quinque inferiorum claſſium Magiſtros; decem reliquos rei domeſticæ adminiſtros. Collegium Iaroslauienſe tenuit triginta quinque; Sacerdotes viginti tres, ex quibus in tertij anni probatione tredecim, in Schola Rhetorices vnus: reliqui qui ſacris initiati nō ſunt, partim quatuor Scholarum inferiorum Magiſtri, partim officijs domeſticis dediti.

Colle-

Collegium Lublinense numerauit vnde quadraginta, Sacerdotes tredecim, quorum vnus Cōtrouersias, alter Casus Conscientiæ prælegit, tertius fratres duodecim qui Rhetoricæ dant operam, docuit: Magistros Humaniorum quinque, Coadiutores nouem.

Collegium Torunense habuit quatuor Sacerdotes, tres Coadiutores. Residentia Leopoliensis Sacerdotes octo, quinque à domesticis operis fratres. Residentia Gedanensis Sacerdotes quinque, Coadiutores duos. Residentia Sendomiriensis quatuor Sacerdotes totidemque fratres. Missio Aulica, tres Sacerdotes totidemq; Socios. Residentia Luceoriensis, vbi nouum nobis apparatur Collegium, duos habet Sacerdotes. Missio Russiaca, duos itidem Sacerdotes. Adscripti in Societatem hoc anno septemdecim: transcripti in cœlum, vt speramus, decem.

DOMVS PROFESSA CRACOuiæ.

ANnus hic à Sexcentesimo septimus, vt multis calamitatibus apud nos grauis & acerbus: ita ad exercitationem virtutis, nostrorumque functionem munerum, eumprimis ferax & benignus fuit. Cum enim turbulentissimam in Regno hoc peccata nostra concitassent procellam, qua non proceres modo & vniuersus gentis nostræ ordo, vnâ cum Augustissimo periclitaretur Rege & Regno; verum & ipsa Societas nostra in grauissimo versaretur discrimine: visum est tanto acrius

acrius cœleſtem inuocare opem, quanto hîc reſtare videbatur facultatis minus ad ſeruiendum proximis, DEIque Optimi gloriam promouendam. Coniunctis itaq; animis DEO, imprimis rerum omnium molitori, eiuſq; curæ ac prouidentiæ nos dedere inſtituimus, ſupplicationibus, piisque precum auxiliis ad eum ſcopum, quâ publicè, quâ priuatim indictis. Et publicas quidem, à nobis exemplo ſumpto, omnium templorum clerus, deuotione continua, feruenti cum populo iuxta & frequenti, eſt ad multos menſes proſecutus; priuatis autem Domus noſtra, eam quam potuit Eccleſiæ & Regno impendit charitatem. Et non precatione tantum menſe amplius continua, verum etiam afflictatione corporis, ieiunio & flagellatione ſingulis hebdomadis, durante procella, noſtrũ quiſque ſuam iuuare contendit patriam. Idem factitatum ſæpius eo præſertim tempore, quo in vſitato Comitiorum campo, Rex cum Proceribus de Regni agebat pace.

Nec ſilentio prætereunda, quam hoc primum anno feliciter DEO fauente auſpicati ſumus, tridui Bacchanaliorum precatio, multis illa nominibus inſignis, ſed liberalitate ſummi Pontificis ita illuſtris, vt nullum fuerit hominum genus, quod eam non omni admiratione, laudibus, ipſoq; cultu celebraret, & de exhibita indulgentiarum delibaret munificentia. Erat quippe tantus hominum ad eam concurſus, tanta Religioſorum & Secularium Sacerdotum frequentia, tantus pœnitẽtium quoque numerus, vt vix triduo audiendarum Confeſsionum pares eſſe poſſemus. Exornauit

nauit ſua præſentia primum diem Sereniſsimus Rex, vna cum auguſtiſsima Coniuge ſua, adoleleſcentuloque filio ſubditis amabili Principe Vladislao. Aderant & complures Epiſcopi, quibus ipſiſmet per triduum illud ſacri officij decantandi relictus labor. Debemus nonnihil in hoc nouo pietatis tyrocinio religioſæ Familiæ Sancti Dominici Concionatori, qui non modo inſolitum hoc, & in Polonia hactenus non viſum religionis genus, verbis ampliſsimis pro Concione commendauit; verum etiam in laudes Societatis excurrit, argumento eo, quod noua ſemper aduerſus vitia comminiſceretur remedia. Habuêre quoque hîc laudem perilluſtrem religioſi cœtus, tum PP. Carmelitarum, tum S. Franciſci de obſeruantia, qui magna vagabundæ plebeculæ in templum noſtrum agmina deduxêre, & vltro delectis ac ſtatutis ſibi ad propitiandum Numen horis, exemplo ſuo ad pietatem alijs præiuêre. Sed nec Sodalitates, quotquot in hac vrbe ſunt, huic Solemnitati deeſſe voluerunt: proceſsêre ſaccis indutæ, acriter in terga ſua ſæuientes. Præ cæteris palmam tulit & pietatis ardore, & concentu muſico, & in corpus ſuum feruenti animaduerſione, Sodalitas à templo S. Annæ, partim ex Magiſtris Vniuerſitatis & Baccalaureis, (quorum plerique nudi pedes) partim ex adoleſcentibus in celeberrima vrbis huius Academia degentibus collecta. Etenim non contenta terna peracri flagellatione, dum Pſalmi Dauidis à Pœnitentia cantu arte facto decantantur; quartum, quaſi in hoſtium terga ſæuiret, dum nouo

com-

commento Paſsionem CHRISTI bacchantibus Inferni furijs modulatur, adiecit; vt vel hac expreſsione ſanguinis æternum flecteret Numen, amentemq́ue plebem à voluptate pœnas æternas conſequentem, auocaret. Et videtur vota eorum ſuſcepiſſe DEVS: tanta quippe fuit affluentis multitudinis vis, vt mutuo ſe anguſtijs templi impediti eliderent homines; tantus ardor propitiandi DEI, vt multi dum alij oppipare conuiuantur, totis diebus cibo ſibi interdixerint; tantus voluptatis diuinæ ſenſus, vt in poſterum diem Cinerum, ſuauitate guſtus dulcedinis deſuper conceſſæ illectus, ad templum noſtrum populus conuenerit tantus, qui numerum ſuperiorum exæquaret dierum. Hoc exordium noua illorum dierum excepit precatio. Speramus in annos ſequentes fructus vberiores; quos ominari videtur duorum improuiſa mors, ſub Orationis tempus immodicas ſaltationes compotationesq; belluinas exercentes, ſubſecuta.

Ad domum noſtram redeo. Et illa quidem etſi paucos, ob anguſtias loci & diffi^tem^ temporũ præſentium, poſsit alere operarios; nihil tamen omiſſum, quantum diuina adiuuit gratia, eorum quæ à nobis vocatio exigit noſtra, bonorumque virorum in nos ſtudium ac propenſio, tam in vrbe, quam in Pagis adiacentibus. Inprimis verò animis eorum à ſordibus eluendis operam impendimus; qua in re non contemnendus fructus eſt ſubſecutus, cum multi pluribus annis Confeſsiones intermiſſas, aut male factas reſumerent: alij etiam à prima ætate ſe colligerent, & per generales

Con-

Confeſsiones Conſcientiæ prouiderent, quorum frequentia trecenteſimum propè concernit numerum. Erat inter alios, qui grauiſsimis Conſcientiæ vexationib. ita agebatur, vt de nece ſibi conſciſcenda cogitaret; is confeſsione facta ad priſtinā animi rediijt pacem, complures alij à ſuis angoribus tali via vindicati.

Hæreſim eiurarunt duo de quadraginta. Terribile illud quod vni ad hæreſim propendenti euenit nuper. Viſus eſt ille ſibi videre puteum, fumo mixtas eructantem flammas, ad quem detrudebatur quidam æui maturus ſenex, qui & flagris exceptus eſt acerbis, ita vt aëra compleret eius eiulatus, perſonante alia eum cædentis voce, qua miſero illi ætatem iuuenilem in peccatis exactam frequens exprobrabat. Vidit idem mox parentem ſuum vita functum, de imo putei caput attollentem, & ſe filium ſuum ad pœnitentiam, per duras Inferni pœnas prouocantem. Filius vt primum nocturnum excuſsit ſomnum, ſe ad tēplum noſtrum recepit, & peccata omnia plenè confeſſus, Diuino numini gratias perſoluit. E Schiſmaticis duo errorem ſunt deteſtati: è Iudæis vnus ſacris ablutus aquis. Perſuaſum impuris fœminis, vt ſe integritati darent: fecerunt ex animo quinq; & triginta, curaruntque labem temporis anteacti piarum exercitationum vſu, & Sacramentorum frequentia detergere.

Vir nobilis in dignitate ſeculari facile primus, dum coram Iudice cauſam agit, à Societatis noſtræ hominibus orationes expetijt, tali præſidio, vt ipſe poſt teſtatus eſt, victoriam de ſuo aduerſario po-

potentiſsimo, quo cum illi res & lis erat, obtinuit, damnisque innumeris ac vitæ periculo eſt ereptus.

DOMVS PROBATIONIS CRAcouiæ.

OMnes tam veterani quam tyrones, aucto per Spiritualia Exercitia Spiritus feruore, alacrem tota fermè huius anni æſtate nanarunt operam, ad placandam Diuinam iram, & malum quod toti vrbi Cracouiæ totique Regno, ex eiuſdem Regni Ordinum inter ſe diſsidiis impendebat, auertendum, nec non ad propriæ domus afflictiones, quas ab incurſionibus militum crebras patiebatur, ſubleuandas: diebus Dominicis & Feſtis omnibus à mane vſque ad veſperum, continuæ coram venerabili Sacramento orationi inſtabant, certos cuiuſque hebdomadæ dies corporum diuerberationibus, cilicijs, ieiunijs, alijsq; mortificationibus concedentes: nec irrita hæc omnia fuêre; nam & Domus neceſsitatibus piorum eleemoſynis, & cenſu annuo ſeptingentorum florenorum, diuina benignitas ſuccurrit, & Regno aliquam tranquillitatem conceſsit. Sereniſsima Regina à noſtris tyronibus quadraginta horarum orationem haberi aliquoties expetijt, ad mala Regno imminentia depellenda; cuius deſiderijs factum eſt ſatis; necnon & Illuſtriſsimi Cardinalis Macieiouij Archiepiſcopi Gneſnenſis, poſtulãtis eaſdem preces, cum ad celebrandam Synodum Prouincialem Petricouiã properaret, qui

vtramq; diem precationum, in Sacello noſtro domeſtico, (quod etiam ſibi pro audiendo quotidie Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, quouſq; Cracouiæ moraretur, delegerat) habitarum, ſolenni ſacrificio ipſemet cohoneſtauit, ipſeque fratres omnes cœleſti pane, vtroque die refecit, ac poſtea nobiſcum in communi Refectorio pranſus eſt, eleemoſynamque Domui pro ſua erga nos liberalitate & beneuolentia impertijt.

Sereniſsimus Rex in feſto S. Stephani templum noſtrum, eidem Sancto Protomartyri dicatum, ſua præſentia condecorauit, coram quo Illuſtriſsimus Cancellarius Regni, Epiſcopus tunc Præmislienſis ſacris perfunctus eſt: qui poſtea nobiſcū in Refectorio cōmuni pranſus, magna erga Domum noſtram, & Soctem vniuerſam beneuolentiæ & amoris ſigna monſtrauit: dum Aulam in qua Nouitij ſua peragunt munia, cæteraque Domus loca obiret, ob decentem rerum omnium diſpoſitionem, cum quodā deuotionis affectu dixit, ſe tanquam ad Paradyſum ingreſſum eſſe.

Cœperunt hoc anno, die Purificationis B. V. ſacro, tyrones noſtri circumiacentes pagos doctrinæ Chriſtianæ inter rudes ſeminandæ cauſa, inuiſere; nec exiguum toto anno collegerunt fructum, multos enim ad expianda per pœnitentiæ Sacramentum peccata perduxerunt, præſertim verò aurigas Regios, homines plerunque ab huiuſmodi exercitijs alienos, quippe ocio, compotationibus, & ludis chartarum deditos. In quibus tantum diuina gratia profecerunt, vt & ludi

di illius & compotationum vſus à toto ſemeſtri in loco illo non comparuerit, & frequentia Sacramentorum, & ad ſalutem animarum propriarum procurandam ſtudium in illis creuerit. E quorum numero vnum, qui à quatuor annis Sacramenti Confeſsionis vſum reliquerat, in eamque iam deuenerat dementiam, vt diceret ſe in CHRISTVM non credere, colloquijs ſuis eo pertraxerunt, vt dementia ſua cognita, de ea doluerit, illosq; ad templum ſecutus non ſine lacrymis peccatorum ſuorum ſarcinam ad aures Sacerdotis depoſuerit.

Hoc ipſum tradendæ doctrinæ Chriſtanæ initium Diuina bonitas inſigni miraculo voluit illuſtrare. Vir quidam vicinam domum illi pago, quem noſtri ad Doctrinam Chriſtianam petebant, habens, vt noſtros vidit, accedit, ſalutat humaniter, cum lacrymis & ingenti mœrore coniugis ſuæ afflictionem exponit, quod iam triduo toto vehementiſsimis partus doloribus cruciaretur, conſilium quid facto opus eſſet, expetit. Vnus è tyronibus conſolatus afflictum, conſulit, ad propinquam Beatiſsimæ Virginis ædem, in qua eiuſdem Virginis Sacratiſsimæ miraculoſa imago aſſeruatur, eat, pauperibus eleemoſynam largiatur, illorum Orationes ad DEVM flagitet; Beatiſsimæ Virgini ipſi ante eius imaginem rem commendet; & voueat prolem, ſi feliciter in lucem edita fuerit, oblaturum ſe eiuſdem congregationi de Carmine (eſt enim ędes illa ſub cura PP. Carmel[rum]) placet conſilium; quod exequuturus

ad templum recta pergit, illud ingressus orat; & ecce nuncius aduolat, vxorem masculum fœliciter enixam nunciat. Ille votum factum postridie expleturus, domum lætus regreditur, nostris obuijs factum narrat, ac pro salubri consilio, ingentes gratias agit .Ita benignissimus Dominus & afflictum consolari; & nostris ad incæptum munus ob maiorem suam gloriam, ritè ac feruenter obeundum animum addere dignatus est.

Complures totius vitæ Confessionem instituerunt; multi diu male celata peccata detexerunt; repetieruntq; pluribus annis omissum Pœnitentiæ Sacramentum non pauci: quorum vnus in somnis admonitus, quod flumen quoddam transire nequiret, alijs transeũtibus, Confessione, quam ab octo annis intermiserat, peccata expiauit. Contigit quosdam è tyronibus nostris in Peregrinatione versantes, ad Magnatem quendam secta Arrianum diuertere, qui cognita ex nominibus eorum generis nobilitate, cœpit à Sancto Religionis instituto dehortari, commoditates varias, quas in sæculo habere potuerunt, in memoriam reuocando; Paupertatem Religiosorum, incommoda, & alia id genus obijciendo, Catholicæ fidei sancta dogmata deridendo. Quibus tyrones humili modestia elusis, eleemosyna ab illo donati abierunt.

COL-

COLLEGIVM POSNANIense.

MAgnus in vinea Domini fructus expectandus fuiſſet, ſi non iniuria temporis, cum inteſtinis motibus, tum vſitata & pene quotanni à longo iam tempore, ciuitatis ob peſtem deſæuientem diſperſione, noſtrûm omnium votis obſtitiſſet. Supplicatum vero ab omnibus DEO & Diuis tutelaribus, tam pro incolumitate patriæ, quam pro auertenda contagione longe impenſius, quam vnquam antea; quod facile quiſque credat, quem malorum identidem recurrentium non latet aſperitas. Parthenicæ iuuentutis hoc in negocio mirus emicuit ardor, vt dierum aliquot comprecationibus nomine ſuo publicè inſtitutis, plebem reliquam ad diuinam implorandam opem permoueret, vt precibus voluntarias corporis diuerberationes ferijs ſextis adderet, vt ſingulis Dominicis & feſtis dieb⁹ matutino tempore partem horæ orationi impenderet: cæteraq; mitigandi furoris Diuini inſtrumēta alacriter aſſumeret. Quin peregrinationis etiam laborem ad Templum B. Virgini dicatum, ſex circiter paſſuum millibus ab vrbe ſepoſitum, libentiſsimis animis ſuſcepere, eoſque ſummo mane auſpicatos iter, præfulgente vexillo Virginis Annunciatæ effigie inſigni; eodemque die ſub veſperam, velut agmine longo diſpoſitos redeuntes, feſtiuus Symphoniæ concentus, & magna populi frequentia ad noſtrum vſque Templum deduxit. Votiua

poſtmodum ab iiſdem Sacrificia Miſſæ, in varijs templis quauis Hebdomade ſemel eo fine celebrari procurata, diebuſque vacationum, ne quid hoc obeſſet ſtudijs, ea religionis debita ex animo perſoluta. Mitto plurima vſitata Mariano cœtui virtutum experimenta: liberalem ſubticere non poſſum in pauperes animũ, quos non lautis ſolum excepere prandijs, verum nobiliſsimi quique pedibus abluendis, adhibita ad menſam pia lectione, aliisq; humiliorum obſequiorum generibus, attonitos & gratos reddidere. Duo ex Sodalitate nomina noſtræ Societati dederunt. Dum ita anxios inter ſpem & metum, ancipitis euentus formido deſtinet; ecce tibi ſcintillis prioris incendij ſenſim emergentibus, ſubito flamma ingens erumpit, onus aliquantiſper euitatum, in pœnam peccati rurſus imponitur, noſtrosq; fere primum parietes tetra lues adoritur, magno noſtro incommodo, non minore Ciuitatis luctu.

Collegarum albo detraxit primum mors inopina P. Adrianum Iungium. Vir erat & de Ciuitate hac, & de Prouincia noſtra præclarè meritus, quatuor votorum profeſſus, continuò religioſæ vitæ laboribus triginta ſex annos conſecrauit; Linguarum peritia, & doctrina, quæ ad politiorem literaturam & controuerſias Fidei pertractandas deſiderari poteſt, abunde inſignis. Duos annos variis & præcipuis locis, cum fructu & magna ſemper audientium Corona concionatus eſt. Extrema etiam ætate labores ſcholaſticas minimè abhorruit. Acer in conuellendis hæreſibus, non paucos & vtiles libros edidit, plures in lucem emiſ-

ſurus

ſurus iam obtenta à R.P.N. Generali facultate, ſi vixiſſet.

Nihil ſe aiebat bonus Pater habere charius in vita, epulo auguſtiſsimo Corporis & Sanguinis Domini, & ſacrorum Codicum lectione; & verò tam in Annalibus Eccleſiaſticis Sanctorumq; Patrum dictis percenſendis, quàm in ipſis diuinæ ſcripturæ monimentis, promptiſsimus fuit. Diuini penſum officij quotidie, fractus iam laboribus ſenex maxima cum attentione & prouolutis genibus in templo, ſiue in cubiculo perſoluit. Tertiò ante mortem die accedens ad Confeſſarium, extremum vitæ ſuæ tempus præſagiens, cum lacrymis petiit, vt totius vitæ ſuæ delicta exciperet.

Poſtero die ſequutus eſt eum Iacobus Kraſicki, Scholaſticus. Venerat is hoſpes ad noſtrum Collegium, curſu expleto Philoſophico, primam Doctoris Angelici partem aggreſſurus. Hac eadem arte vſus, pecuniæ non leuem ſummam eidem Nouitiatui, ad extruenda pro exercitantibus cubicula, per quendam miſit ciuem. Perſeuerantiæ in vocatione magnum in eo ſemper eluxit deſiderium. Frequens ei fuit, & vt videbatur non coactus, de rebus piis ſermo; leuiſsimas etiam culpas, publice coram Fratribus euulgandi optima conſuetudo, à multis item in eo probata erga Sanctorum reliquias & Patronos menſtrua ſortitione obtingentes veneratio, generoſus non defuit in rebus etiam aduerſis animus, & moderata eius index hilaritas, pueros & rudes doctrina Chriſtiana imbuendi ardor is, quem Societas

in vnoquoque deſiderat. Pridie ſuæ mortis æſtu peſtilentis febris elanguidus, memor tamen adhuc Indulgentiæ Mexicanis Granis, quorum vnū penes ſe habuerat, conceſſæ, pro ea lucranda preces requiſitas proſtratus in terram recitauit; quod ipſum duabus ante obitum horis, ſalutari dum muniretur viatico, fecit. Verum neque hac lues ſatiata præda, aliquanto pôſt tertium è noſtris Coadiutorem abſumit, duobus ei è familia externa additis comitibus. Frater is erat Laurentius Coadiutor, promptus & alacer in miniſterijs domeſticis. Cæteris igitur, vt periculum euitarent, è Collegio amandatis ſex perſtiterunt, qui inuiſendis infirmis, egentium multitudini liberalibus Eleemoſynis ſuppeditandis, peſte emorientibus adhibendo ſolatio, munus ſuum egregiè præſtiterunt. Noſtri porro è Collegio vitandæ contagionis cauſa emiſsi, poſt multā explorandæ ſecuritatis factam moram, oppido quodam (dicto Zbaſzyn) prope fines Sileſię ſito exceptis; domus ad habitandum conceſſa, anguſta quidem illa Noſtrorum multitudini; grata tamen & lata, cum ob charitatem eximiam R. D. Præpoſiti Templi, ſe in anguſtum tuguriolum, cum vniuerſa ſuppellectili è proprijs ædibus in gratiam noſtri conijcientis, tū propter ſingularem incolarum loci, & circumiacentis viciniæ erga nos affectum, qui nobis venientibus menſas, ſedilia, ſcutellas, lectos, & alia neceſſaria prompte ſuppeditârunt. Quin domus etiam proprias (ſi accipere voluiſſemus) vt tanto libentius & cōmodiꝰ apud eos demoraremur, obtulere; magnam à DEO benedictionem domibus

ſuis

ſuis eueniſſe rati, quoties noſtrum aliquos renitentes in eas pertraxere. Redeuntibus porro, multis cum lacrymis valedixerunt, & rebus deportandis currus & equos mirum quam liberaliter miniſtrarint.

Qui hæreſim cum vita præterita eiurarunt, propè ſeptuaginta fuere. Triginta ex ijs, cum à concione delicta ſua Confeſsione expiare volentes, nullo deponendæ hæreſis, quin in eadem perſiſtendi facto propoſito, ad Sacerdotē acceſsiſſent, id fieri poſſe negante; cauſam ab eodem edocti, ob quam illos, tametſi (quod in contrarium opponebant) commune cum Catholicis Symbolum, & Angelicam Salutationem Virginis recitantes, abſoluere nollet, monitis ſalutaribus morem geſſere, alijs planctu vxorum quibuſcam venerant, retractis in proteruiam. Eadem opera pagus confirmatus in fide Catholica, qui priore anno in eam reſtitutus opera noſtrorum fuit.

Confeſsiones ibidē de tota vita inſtituere plurimi. Magna vbique quamprimum noſtri comparerent, ad Sacramētum Pœnitentiæ accedentium frequentia. Duo præcipuè pagi in eo genere ſingulares fuere, in quibus nemo qui non hoc ſalutari vteretur remedio inuentus.

Percommode Collegio obuenere Eleemoſynæ mille ducentorum florenorum. Ad ornatum Altaris Templo acceſsit Calix Argenteus quinquaginta florenorum precio æſtimatus, & præterea guttus cum pelui abluendis Sacerdotum manibus, affabrè extructa trecentorum florenorum pondo.

COLLEGIVM CALISSIENſe.

AD initium anni è numero noſtrorum Michael Szygonski Mazouita, lenta conſumptus phthiſi deceſsit annos viginti quatuor natus, iam ſeptimum in Societate Coadiutor; Reliquum numerum, tribus in Septembri ac Octobri ſublatis, fœda lues diminuit. Primus fuit P. Iacobus Molerus, vir & doctrinæ & pietatis dotibus, ad Societatis inſtitutum egregiè inſtructus: Hic cum ſeceſsione ex ciuitate, cum cæteris noſtris vitandi mali cauſa, ad Oppidū vicinum facta, peſtilentia extinguitur, deſiderio ſui relicto. Roſarium Diuinæ Matri religioſiſsime recitans, extremum ſpiritum efflauit; cuius Sodalitij moderator moriebatur.

Eum proximè ſecutus eſt Matthias Bydgoſtienſis Coadiutor, ſingulari charitate, & ſui rara deſpicientiâ omnibus amabilis, ſuperioribus præterea obedientia ſemper hilari, mire charus erat, quam ſanè ne minimum violaret, vitam amiſit; ſiquidem moribundo P. Molero ad vltima obſequia deſtinatus, & morienti adfuit officiſiſsimus, & mortuum ſuis ipſe manibus, magno contra contagionem ſpiritus robore animatus, ſepeliuit. Ex qua deinde cauſa paulo poſt ipſe occumbens, non magis exemplo præclarę virtutis, quàm ſui deſiderio, motus animorum fecit. Tertius fuit Albertus Camenſcenſis maior, Polonus annorum quinque ſupra viginti, quorum tres nobiſcum

cum exegerat. Hic fuit vnus ex illis qui iuuandorum in morte contagioſorum cauſa, è Collegio cum cæteris non ſeceſſerant: quo in periculo, vti & alias munere ſuo ſtrenuè functus, à mendicis, quibus ad portam cibos miniſtrare ſolebat, peſtem traxiſſe creditur, qua & extinctus eſt, ſextus nimirum ex eo numero, qui in Collegio manſerant, quinque reliquorum ad ſubſidium animarum incolumitate diuino beneficio ſeruata.

In iſtorum locum ad Tyrocinium noſtrum quinque magnæ ſpei Iuuenes, ex hoc Collegio ſunt miſsi, omnes Philoſophi, è quibus tres, propoſitionum ex vniuerſa Philoſophia propugnationem cum laude ſuſtinuerunt.

Vtilitatis fructus, tum ex erudienda iuuentute, quæ hoc Anno numeroſior fuit, quàm ſuperiori: tum ex alijs Officiorum Societatis muneribus, aſpirante Diuino numine, multiplex: quanquam ſub anni finem nonnihil lue impeditus fuit. Decem & ſex, abiurata hæreſi ad gremium Sanctæ Eccleſiæ rediêre. Inter hos Virgo quædam nobili loco nata, feruore illuſtrior. Aſpexerat iam, diuina eam luce irradiante, infelicitatem ſuam; & quibus errorum in tenebris caligaret, perſpiciens, exhorruerat: Verum patentibus Lutherum profeſsis modum emergendi non reperiebat. Illis ergo in conſilium non vocatis, noſtrum adit Sacerdotem, deſiderium exponit, conſilium petit. Sacerdos in re tanti momenti, vbi vita ac ſalus agitur ſempiterna, non immorandum; illam

illam ipſam opportunitatem hæreſim abiurandi percommodam, omnino non prætereundam reſpondit. Quid plura? Omni mora poſthabita, vitam illa ſuam confeſsione detegit, hæreſim deteſtatur, abſoluitur, & pane cœleſti accepto, contra impugnantium dæmonum inſidias & machinas roboratur: inſtructa ad extremũ, quo domi modo agendũ eſſet, ne ita ſubito Parentibus, id quod actum eſt palam fieret, dimittitur. Quid verò illa? Vix domum pedem intulerat, cum Matrem trepidatione depoſita, de totius negotij conſilio ſucceſſuque certiorem facit. Attonita illa inſperatæ rei nouitate, ne verbum contra proferre potuit, & tantum abeſt, vt filiam eam ob cauſam moleſtia aliqua afficeret; vt etiam ipſamet, exemplum illius ſecuta, cum altera filia à Luthero ad CHRISTVM quamprimum ſe contulerit, cum ſpe idem & Maritum paulo poſt facturum. Alius quidam vix dogmatum nefariorum abiuratione facta abſolutionem obtinuerat; cum animo perpurgato domum etiam ſubitò hæreſi expiauit, libris ea labe violatis Confeſſario traditis, ad comburendum. Sacramenta more ſolito, magna frequẽtia plurimi quot Menſibus, nõnulli etiam quot hebdomadis adire conſueuerunt, vno id atque altero exemplo manifeſtum fiet. Ab vno Sacerdote Confeſsiones totius vitæ Generales exceptas conſtat ſexcentas octodecim; apud alterum tempore Quadrageſimali ſacro, qui peccata expiarunt Confeſsione, fuerunt nongenti; inter quos plurimi in totam vitam ſuam animaduerterunt. Centum quinquaginta florenorum reſtitutio facta: à pellicatu nonnulli abducti:

abducti. In noſtri etiam B. Patris Ignatij fidem ac patrocinium, in hac ciuitate non pauci ſe contulerunt, & quidem non ſine deſiderata conſolatione multi. Puer quidam honeſto loco natus, ex graui morbo ad agonem peruenerat, iamque triduum cum morte luctabatur; certamen horribile mœſti parentes miſerati, fruſtra humana remedia tentabant, in mentem venit B. Pater Noſter; imaginem ipſius morbundo admouent, admota illa puer ad ſe redijt, & in quo iam ſpes vitæ nulla erat, vitam & perfectam ſanitatem recuperauit. Parentes deinde, cum puero in noſtro templo B. Patrem Noſtrum grata beneficij memoria corã imagine cæreis accenſis coluerunt; & publica id tabula teſtati, iuratiq; iam pridem fuiſſent, niſi ciuitatem peſtilentia perturbaſſet; teſtaturi certè vbi tranquillitas perturbationem depulerit. Qui vota, peſtilentia violati, eidem B. P. Noſtro fecerũt, & mortis periculum non adierunt, numerati ſunt ſex ſupra centum nonaginta octo, ad initium reditus noſtri ad ciuitatem, in honorem B. Patris, ſacro cũ cæreis accenſis decenter interfuerunt: vota ſua illos perſoluturos ſpes eſt, pleniore poſt diſperſionem Ciuitate. Omnes incolæ huius vrbis & ſuburbiorum erant. Ita mirabilis vbique Dominus in Sanctis ſuis.

Viſitationes ſolitæ carcerum, Xenodochiorũ, & infirmorum aliorum non omittuntur: peſtis certè tempore difficillimo, noſtri Sacerdotes penè ſoli (qui enim id muneris obiret præter illos, erat nemo) ſuam hominibus charitatem non mediocriter probarunt: dum ſingulis diebus plateas

& vi-

& vicos cum tintinnabulo obirent, contagiosos, moribundos vbique conquirerent, animos illorum expiarent, egentibus cibum quotidie ministrarent, omni ope omnibus adesse laborarent; quo etiam tempore fruméto à magistratibus impetrato, egestati non paucorum consuluere.

Missiones nostrorum non sine fructu vsitatarum exercitationum Societatis factæ. Plessouiæ (Oppidum id à vico nostro Taconom, vbi peste sæuiente mansimus, duobus passuum millibus fermè abest) frequenter nostri sacra, & conciones habuerunt; multaque præclara in populo à religione pene desueto, perfecta. Ac imprimis templum præcipuum Oppidi, ab hæretico Domino Lutheranis execrationibus, iam olim à multo tẽpore addictum, eoque mortuo, quod vxorem orasset moriens, ne vnquam illud Catholicis concederet, clausum manebat; persuasum tandem est Domino Catholico, cui ipsa nupsit, vt ne tantum nominis sui dedecus, in gratiam fœminæ inhærere pateretur: offendi omnes & mirari, quonam modo à Dominis Catholicis, templum Catholicum Orthodoxis orantibus negaretur. Iuramentum vxoris, quod priori viro fecisset pro eo, nullum esse. Gessit morem ille tandem his, aliisque rationibus, & obtenta potestate peragendi in eos ritus diuinos; antequam dedicetur, summa gratulatione omnium Oppidanorum atque externorum apertum est. Non tenuêre plurimi lacrymas præ gaudio, cum viderent à quadraginta annis amplius profanatum templum elegans & peraptum, iterum in cultum immortalis

lis DEI rediisse. Breuique omnes propè dixerim, sacra Confeſsione & communione DEO reconciliati & refecti. Aliquando grauiter in concione noſter inuectus contra ebrioſos illud effecit, vt magiſtratus edixerit publicum per præconem, ne à tertia hora poſt occaſum, potationem protrahere, aut id volenti quiſquam potum vendere auderet: qui ſecus faxint, mulctam grauem certam, & carcerem paſſuros. Præterea ne diebus feſtis tabernæ mercatorum aperirentur, perfectum. Eleemoſyna templo noſtro centum florenorum data. Exercitationibus ad pietatem, tum Studioſi, tum Sacerdotes hoc anno perpoliti octo.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

HOc anno vita functus eſt vnus è fratribus Albertus Rfecius, Grammaticæ Magiſter. Confeſsiones, etſi ad calculum non ſunt reuocatæ, quot tamen pœnitentibus omnes aures dederint, colligi poteſt ex Confeſsionibus ab vno, quæ erant quadringentæ, nonaginta octo aliorum. Non prius auditus vir nobilis, quam ſeriò promitteret reſtitutionem decem millium florenorum, quos ex iniuſtis contractibus corraſerat. Ad Eccleſiam Catholicam ſeptem redierunt, quatuor à Schiſmate Ruthenico, tres ex hæreſi: quorum vni fortè incommodum corporis, fuit animæ commodo: is ſiquidem pendens animi diutius deliberabat, hæreretné, an emergeret ex errore: tandem vulnere accepto ab aduerſario veritati conſenſit. Ex ijs qui literis & pietate à noſtris imbuuntur, quatuor inſti-

institutum Ordinis S. Francisci de Obseruantia complexi sunt: omnes hi erant pene Partheniani. Vt fidem desereret quidam, nec carcer, cui propterea à Domino hæretico addictus erat, nec vxoris amicorumque preces extorquere potuerunt; is effractis vinculis ad nos venit, & se inde contulit eo, vbi extra periculum Catholicus viuere posset. Oratio quadraginta horarum persoluta nostro in templo, & Indulgentia promulgata, clausit. Res fuit, vt noua in hac ciuitate, sic ad plurimorum spiritualem vtilitatem opportuna, & efficax: Videre erat toto triduo, tanquam in aliquibus maximè solennibus festis, magnum concursum hominum diuinis laudibus vacantium, sacramentaque Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentátium. Quod admirati quidam dixerunt, Iesuitas effecturos, vt in posterum proscriptis Bacchi ferijs, in horum locum succedant dies festi DEO dicati. Possesiones nostræ non meliore vsæ sunt fortuna, quam aliorum in hoc Regni tumultu. Nam prædium Collegio vicinum aliquoties à militibus rapinam est passum, alia tamen ex parte, piorum benignitate recreati sumus. Ad supellectilem templi accesit peluis argentea, cum vrceo & velo, dono Ducissæ. Cum tarde certiores facti essemus, ad nos Congregationẽ Prouincialem fuisse Cracouia ob Regni motus translatam, breui tempore tantum eleemosynæ à tribus potisimum matronis collatũ est, vt satis superque esset, quo hospitibus gratissimis, charitatis & hospitalitatis officium declararemus. Magnum porro diuinæ prouidentiæ fuit argumentum in tanto armorum strepitu, qui hic

vbique

vbique locorum fuit, eos ad nos ſaluos perueniſſe, eademque fortuna lares ſuos repetijſſe. Tribus diebus Pentecoſtes ſacris, quo tempore hic religioſus cõuentus agebatur, datum eſt tempus noſtro in templo, à populo precando DEO, vt Regno in eius grauiſsimis neceſsitatibus propitius redderetur. Præterea cum, vt malis impendentibus occurreretur, indicta eſſent more Regni generalia Comitia, pro felici eorum conuentu, ducta eſt noſtrorum ſuaſu ſupplicatio à templo Parochiali, ad ædem DEIparæ Virginis extra Ciuitatem, magna populi Sacroſanctam Euchariſtiam comitantis, frequentia; Vnde ſacro ibidem cantato, cum eadem multitudine reducta eſt.

. Miſsio in Decanatum Croſnenſem inſtituta fuit: hîc vbi noſtros intellectum eſt adeſſe, magnus concurſus ex diuerſis locis etiã à multis milliaribus fiebat, cauſa Confeſsionum: quatum auditæ ſunt duo millia centum viginti vna. Ex ijs à prima pueritia inſtitutæ viginti; à multis annis nõ paucæ.

Dinouum quoq; miſſus eſt Sacerdos cum fratre Coadiutore, quinque, quos Schiſma abſciderat, Eccleſiæ inſeruit. Sextum ita inflexit, vt ſpem fecerit non dubiam ſe alios imitaturum. Vni vt hæreſi nuntium remitteret, perſuaſit. Aures dabat pœnitentibus, vt plurimum in multam noctẽ. Qui vitæ totius peccata euoluerunt, fuerunt octo, qui multorum annorum, plurimi. Vnum à conſilio inferendæ alteri neci reuocauit, & hoſti reconciliauit. Fœminæ cuidam impugnatæ à Spiritu blaſphemiæ, adeò vt vix à propria cæde manus co-

hiberet, remedium adhibuit, alteri contra deſperationem medicinam prouidit. Virgo nobilis, poſt Confeſsionem vniuerſæ vitæ, Catholicæ Eccleſiæ eſt aggregata. Ciuis in fide in qua vacillabat, eſt confirmatus. Dederat is in vulgus ſuæ inconſtantiæ ſigna, formidine carceris & mortis, ad quam ſe exiſtimabat deſtinari à Domino hæretico, cuius illud eſt Oppidum, eo quod ipſo annuente in ædibus illius, ſacris noſtri operati eſſent. Eo iam ventum erat, vt ipſe Dominus arbitraretur eum omnino deſciuiſſe à noſtra religione, vnde lætus quo teſtaretur ſuum erga illum amorem, conuiuio eum excepit. Correxit itaq; inconſtantiam, Catholicum ſe publicè profeſſurum, data prima occaſione recepit, vehementer dolens, quod non potius vitam cum morte, quàm cõſtantiam in fide Catholica cum inconſtantia cõmutaſſet. Gorai feria quinta hebdomadæ ſanctæ pauperib. miniſtrarunt; vna cum ciuibus in prandio eorundem ciuiũ ſumptu parato. Die Paraſceues ſupplicatio ducta eſt ꝑ forum ad templũ. Conſtabat agmen potiſsimum ruſticis, qui poſtquam ad templum venerunt, ſe virgis egregie diuerberarunt, deinde proſtrati pro neceſsitatibus publicis, & priuatis, DEO ſupplicârunt. Trahebatur in multam noctem Oratio, tẽplo perſonãte cantu puerorum, qui ornatu effingebant Spiritus cœleſtes, atq; inſignia CHRISTI paſsionis ad ſepulchrum Domini oſtendebant. In Pagis quos adierunt, tredecim infantes baptiſmo abluerunt, & ne ſine hoc Sacramento alij raperentur, quod iam nõnullis acciderat, incolas modum baptizandi docuerũt. Nam nec templa Catholica

ſunt

ſunt vicina, & miniſtros hæreticos, eorumq; baptiſmum execrantur. Hæc plebs ruſtica doctrinam Chriſtianam cum magna auiditate & ardore diſcendi audiuit, ex qua colonus primarius petijt, vt ſibi liceret conuentus ruſticani, qui ſolet frequenter haberi, à decalogo initium ſumere, & eodem recitando finem imponere. Inoleuerat conſuetudo apud rude vulgus orientem Solem quibuſdam verbis conceptis excipere & adorare: Ea ſuperſtitio abolita, & aliæ Orationes aniles ſublatæ ſunt.

Qui ad Caſtra Regia miſsi fuerant, magnam Caritatis & zeli animarum opinionem noſtris conciliarunt, viſitando, Sacramentiſque muniendo ſaucios & infirmos, eos præſertim, qui in locis fœtidis abiecti iacebant, auditæ ſunt voces huius opinionis teſtes cum ab alijs, tum ab hæretico, qui infirmus noſtri obſequium expertus erat, aiebat enim neminem ſe noſtris operibus miſericordiæ addictiorem vidiſſe.

Plurium Confeſsiones à multis annis neglectæ, exceptæ ſunt. Duo captiui exempti, tertius iam in furcam actus erat, in eaq; aliquandiu pependit cum reliquijs Sanctorum & ænea imagine piaculari, quæ eius manui Pater alligauerat: hic præſecto fune, cum magna admiratione multorum ad vitam rediit. Duo ab hæreſi abſoluti, quorum vnus erat Arrianus. Inter duos coniuges diſsidentes ſex annos, pax conciliata. Miles grauiter ſauciatus noſtro deprecante iniuriam remiſit. Alter ad focum, iniecto à noſtro ſermone de acerbitate ignis infernalis, permotus eſt, vt detractori iacturam grauem famæ ſuæ condonaret, à

quo hoc ipſum non potuit antea extorquere. Dicebat enim malle ſe à barathro abſorberi, quam ab ira & vindicta ſuperſedere.

COLLEGIVM LVBLINENſe.

DVO è noſtris extincti hoc anno ſunt: Alter Grãmaticæ Magiſter Iacobus Manuczenski. Alter Iacobus Oſſolinski, qui Romæ Societatem ingreſſus, poſt ſtudia Philoſophiæ Poloniam repetens, eamq; aſſecutus, euerſo curſu qua vehebatur, pedem inter radios rotæ fortuito immiſſum, ita comminuit, vt crure penitus fracto, tibiaque multifariam fiſſa, pars reliqua pedis è neruis duntaxat penderet; inde igne ſubſecuto, & in reliquum corpus ſe diffundente, cum nullis medicamentis abigi poſſet, medicorum ſententiam, præcidendus pes fuit; ſed in ipſo apparatu tam acerbæ curationis, expirauit. Funus amicorum, etiam Hæreſi infectorum, magna frequentia elatum; eos in ora Lublinenſi multos, copioſos, & illuſtres habuit.

Infeſtum fuit hoc anno domeſticorum Regem inter, quique illum ſecuti ſunt, & alterius factionis autores bellum, quod iam propè duobus annis intra Regni viſcera nutritum; hunc annum clade paucorum Nobilium, maiore multitudinis obſcurioris cæde memorabilem fecit. Ex eo prælio victa pars, diſsipata verius quam cæſa, vniuerſam oram Lublinenſem, rapinis & prædationibus compleuit: quippe cum impedimentis & ſarcinis

bello

bello amiſsis, plerique Viſtulam amnem, & viri Principes & multitudo palata ſingulis cum equis & veſtibus ſuperaſſent; collectis in alia ripa ſociorum reliquijs, nihil præter arma circumferentes, non maiori terrori quam detrimento fuêre. Tulit eos idem ardor in noſtra quoque prædia, quos peſsimè oderant, tanto bonorum damno, vt quæ parata erant egeſtis, domos patentibus oſtijs relinquerent, & niſi meſsis in propinquo fuiſſet, difficilem victus rationem effeciſſent. Vnum duntaxat prędium virtute Tribuni militum, qui tametſi in bello ab aduerſa parte ſteterat, nobis tamen in pace præſidio fuit, integrum ſeruatum. Par pene & ante & poſt conflictum rei familiaris accepta iactura; nam & in ipſo belli apparatu, hiberna, alterius factionis milites, duobus & eo amplius mēſibus, alijs alij ſuperuenientes, in noſtris prædijs habuere, & poſtmodum prælio profligato, ad caſtra aliquoties ſubuecti commeatus. Accesſit incendij periculum, quod per incendiarios excitarum, potiſsimam maximamque ſuburbij partem abſumpſit; & iterum ſubiectus ignis in vicina nobis æde, tanto terrore omnia impleuerat, vt nō niſi accepta inſigni clade, periculo nos eximendos crederemus; & iam tecta, vim ignis vento in domum noſtram agente, flammam concipiebant, ſed opportunè ſtudioſorum adoleſcentum, qui eo ipſo tempore ad ſcholas conuenerant, opera nobis ſubuentum eſt.

Cæterum & ferendo & agendo Sociorum virtus eximia fuit, & dum noſtra nobis temporalia diripiuntur, ad lucra immortalia mentem & ſtu-

dium conuertimus: Septem ſupra triginta ab Hæreſi & ſchiſmate ad Eccleſiã traducti, nobiles pleriq; ij ipſi, qui in rerum noſtrarum dimicatione, commoda noſtra oppugnarant. Fœminæ conuerſio miraculi ſpecie non caruit: ea manus vſu deſtituta, Virginis DEIparę, quam impie oderat, audacia felici opem implorauit, ſeq; omnino malo leuatam ſenſit, interuentu poſtmodum Sacerdotis vitam in errore & perfidia actam Confeſsione expiauit. Sacramentum pœnitentiæ frequentantium ea multitudo, quam par eſt eſſe in hac vrbe, quæ ab inſita animo pietate, rei tam ſalutaris vſum familiarem ſibi fecit. Quare eorum qui conſcientiam maculis vitæ, totius & maioris partis expurgarunt, plures quingentis fuêre. Nefarius quidam adoleſcens, nullum dæmonum auxilio rebus afflictis numen præſentius exiſtimans, execrando carmine eos euocabat, imo etiam certam pecunię ſummam, quo manifeſtius eſſet, illum & ſe & ſua in poteſtatem eorum velle dare, in terram offerentis more abiecerat, cum ne quicquam furias illas ex inferno cieret, ſacerdotem demum ad peccata totius vitæ adhibuit. Non deerat, quem magiæ vir peritus, ad cultum DEI deſerendum ſollicitaret, oblatis duabus teſſeris, quibus à ludo victor ſemper diſcederet; ea mercede, vt orationi Dominicæ recitandæ, quo haud dubie diuini numinis execratio continebatur, conſuetudinem abrumperet: ſed adoleſcens magni animi nequaquam par periculum præmio ducens, potiorem Diuini honoris, quam lucri pecuniarij rationem habuit. Nobilis præterea & præſtanti ad virtutem

tem indole iuuenis, calumnia grauiſsima, & iniuria vinculisque à potentiore hero oppreſſus, iram & vindictæ cogitationem multo tempore fouebat, & in omnem occaſionem intentus, in aduerſarium ſclopum vel ferrum dirigere ſtatuerat; is blando alloquio & multa humanitate noſtri Patris ita emollitus, vt abſterſa iniuriæ recordatione, ſupplex à DEO erratorum veniam popoſcerit: plerique alij à ſimili cæde patranda abducti.

Domum teſtamento legatam accepimus, è cuius venditione millia Florenorum ſeptem confecta, magnum ad æs alienum diſſoluendum momentum acceſsêre. Fœminæ vero piæ tam benè de nobis meritæ, ſepultura noſtro in templo conceſſa, elatumq; funus magno proſequentium numero. Duo præterea calices ex eiuſdem argento reſiduo cõfecti, auxêre ſacram ſupellectilem. Mille fœmina pia conſtruendo altari teſtamento aſsignauit; Mille à non paucis floreni collati, magno ſubſidio inopiæ domeſticæ fuerunt. Ad veſtem deniq; ſacram, par argenteo filo adiectum, liberalitate illuſtris viri, qui Orator ad Turcam miſſus, poſtquã redijt, munus ſua magnificentia & ſplendore dignum templo noſtro reliquit.

Innocentis pueri à Iudæis cæſi, & in noſtro templo ab Illuſtriſsimo Cardinali Macieionski depoſiti, DEVS inſignem gloriam rebus, quas humanæ vires non attingunt, patrandis facit: maximè vero caſtitate tuenda.

COLLEGIVM TORVNENSE.

EMensi difficultates anni superioris, & pristinis vtcunq; restituti sedibus, consueta tandem (præter Scholarum vsum) agimus vocationis nostræ munia, in quantum diuina adiuuat gratia, hæreticorumque ciuium obdurata in nos sinit maleuolentia. Omnino in rebus nostris liberi non sumus, conuitijs ijsdem impetimur quibus ante. Auctum odium grauissimo Senatusconsulto in totius Regni Comitijs anno proximo habitis sancito, & in lucem edito, quo nefarij ausus in Patres nostros Gedanenses & Torunenses vehementer compressi, potestasque data in eo cuiuis læso, agendi iure contra eos, coram quibusuis iudicibus. Omnem proinde mouerunt lapidem, vt decretum illud vel abrogaretur penitus, vel immutaretur, contra Torunenses, ius suum tutati sunt. Famulos famulasque Catholicas, nostram Ecclesiam adeuntes, exagitant mirè, in fercula ieiunorum diebus, clàm butyrum vel lardi partes minutissimè cōcisas iniecere, vt vel sic eos in abstinentiæ incautos violationem deducerent. Aliquos sub prætextu alicuius damni, reuera tamen ob constantiam in fide Catholica, sine mercede persoluta dimittūt à se, & nonnunquam conficto crimine in carcerem detrudunt. Pectora tamen Catholica, Confessorum suorum monitis salutaribus imbuta, & iacturam hanc paruifaciunt & vincula. Puella quædam à Ministro hæretico ad defectionē à religione vera sæpius

ſæpius perurgebatur, quæ ſemper argutationes eius & blanditias, forti reſpuebat animo: ne tamen diſcrimen ſalutis aliquod ſubiret, & Dominum & ſtipendium ſibi pro multis ſeruitiis debitum, reliquit. Iuuenis item optimæ indolis & ſpei, hæreticis parentibus natus, hæreticus & ipſe tam diu, quam diu in ſtudio literarum, noſtrorum Magiſtrorum opera non vteretur, qua vſus, ante eiurauit hæreſim: id vbi parentes cognouerunt, ad pædotribas eum Torunenſes amandarunt, etiam atque etiam illos obteſtando, vt eum à propoſito ſuſcepto dimouerent; ipſi quoq; minaces illi literas mittunt, ni redeat ad vomitum. Cæterum is firmus in ſua ſententia perſtat; quam licet non omnibus palam faciat expreſſe, vbi tamen commentitias narrationes de nobis vel Catholicis illi referunt, indignabundus ab eis recedit. Vnde illum nouum Ieſuitam vocant, vt qui ſolus penè inter trecentos adoleſcentes Catholicus ſit. In diſceptationibus de fide vltro citroque habendis, agit feruenter contra hæreſes illorum, cuius cum argumenta verbis ſoluere nequeant, pugnis ac maledictis eum onerant. Is non ipſe modo deteſtatur hæreſim, ſed etiam ſalutis animarum ſtudio ſuccenſus, exemplo & ſermone ſtudioſe contendit æquales alios CHRISTO lucrifacere: & iam quidem duos in eam ſententiam pertraxerat, vt relictis ſcholis hæreticorũ, ad noſtrorum aliquod Collegium ſeſe conferrent, & iſthic veritatis lucem aſpicerent. Sed rem moloſſi ſubodorati, ad Magiſtratum negocium deferunt, eoſq; carceri mancipiant, ac Catholicis omnem aditum ad illos

præcludunt. Duo illi Sodales vt minus rei, facile liberi pronunciantur; at vero auctor horum, in arctiori custodia seruatur. Euocatis tandem ancillam hospitis sui Catholicam, ab eaque petit audientibus custodibus, vt rem hospiti totam exponeret, chartulamque porrigeret, quam nutibus indicando docet nobis reddendam esse. Res ea nobis innotuit, sed nullum afflicto potuimus dare auxilium, præter preces pro illo ad DEVM fusas. Tentata constantia illius & patientia diebus aliquot, tandem mittuntur ad carcerem certi homines, qui mouerent eum, vt si liber esse vellet, promitteret se leges scholasticas seruaturum omnes.

Ego verò, respondit ille intrepidus, & nullam violaui legem, & posthac animus mihi firmus est seruandi leges, etiam humanas, quæ CHRISTI legibus non sint oppositæ. Qua responsione data liberatur. Demissus, noctu ad nos ventitat. Interdiu enim obseruant diligentissime, si qui sint ex illorum numero, qui audeant cum nostris agere. Et loco & parentibus meditatur iam penitus nuntium remittere, cum altero comite quem acquisiuit. Nullus enim in Ciuitate talium patronus reperitur.

In his vero exercitationibus, multis diuinæ beneuolentiæ argumentis subleuati sumus. Qui contra Serenissimum Regem manus suas leuare fuerant ausi, cum fusi fugatique essent, in diuersas Regni partes sese proripuerunt, nec intactam

Pruſ-

Prusſiam noſtram reliquerunt, depopulatisque aliquot pagis prædijsq; , noſtris iam imminebant, cum benigna vero DEI manus, & hos à bonis noſtris auertit, & alios quibus à varijs terrebamur, continuit.

Aliquot Regni Senatores & harum terrarum nobiles, primarij, partim dum ciuitatem adeunt, partim dum in excurſionibus ad eos deſcendimus, pro ſua humanitate qua præditi ſunt, & animi propenſione erga nos, magna cum beneuolentia noſtros homines ad ſe venientes excipiunt; & nonuulli eorum noſtram domum viſitant, afflictæ rei Catholicæ & nobis ex animo compatiuntur; & ſe nobis ſecuritatiq; rerum noſtrarum ſtrenuos adiutores futuros promittunt.

Sanè vnus vir magni nominis in hac terra teſtatus eſt; ſe cum Torunenſibus ad pacis conditiones non venturum in controuerſia, quæ illi eſt cum ciuibus, priusquam noſtra cauſa cum illius coniungatur. Non defuerunt tamen aliqui ex equeſtri ordine, Catholicum nomen tantum præferentes, qui hæreticis contra nos conſilio & auxilio fuêre, exituque conſiliorum ſuorum gaudere dum incipiunt, ecce vitam hanc breui miſerrime finierunt. Nam vnus illorum eodem anno, quo procella illa nos fuit concitata, laqueo vitam ipſe ſibi ademit. Alij duo noſtris poſtliminio reuerſis, miſerandum in modum mactati ſunt.

Ger-

Germanica vna & duabus Polonicis concionibus, proximo ſeruitur bono fructu, qui maior in dies appareret, ſi per Magiſtratum liceret omnibus, conciones & templa Catholicorum, vt olim, frequentare. Feſtis natalitijs CHRISTI, quingenti cœleſti pane refecti, in Paſchate multo plures. Ab hæreſi ad Eccleſiæ commuuionem decem redierunt. Totidem in fide Catholica nutantes puellæ, vt ſexus infirmioris, confirmatæ. Quarum vna à Domino hæretico ſollicitata ad facinus, & Dominum & ſtipendium reliquit. Altera violenter in nauim à nauta coniecta, dum impuro non præbet aſſenſum, in Iſtulam fluuium rapidum & profundum præcipitatur; ſed DEI munere ad inſulam quandam inter frutices deuenit, & quæritantem ſe latuit tamdiu, quoad alius integritatis cultor appulit ad eam, & in nauim receptam reddidit ſuis. Auditæ etiam in cœnobijs tribus ſacrarum Virginum Confeſsiones annuæ, & exhortationes habitæ, cum eo qui expectabatur religionis fructu.

RESIDENTIA LEOPOLIENſis.

AD Eccleſiam hoc anno eiurato ſchiſmate rediere ſedecim, Hæretici nouem, & vna præterea Miniſtri filia, honeſto matrimonio locata. Confeſsiones totius vitæ auditæ plurimæ. Fœminæ ab infami genere vitæ abductæ tres: Nouem ad ratum legitimumque matrimonium adductæ. Habita quadra-

draginta horarum ſupplicatio ſub initium Iulij, pro præſentibus tunc Regni neceſsitatibus: ordine inſigni, quem tota inter ſe ciuitas diſtribuit, Conſule cum Magiſtratu præeunte.

Nobilis quædam matrona annos complures honeſto in matrimonio marito conueniens, terna prole edita, viro ſuo ſtatum perfectiorem ſerio cogitanti promptè aſſenſit; ita vt voto vterq; publicè coram Vicario Epiſcopi, caſtitatis perpetuæ facto, vitæ ſe perfectiori dederint. Ergo proli iam maturæ ſufficiēti patrimonio relicto, vir familiam Religioſorum ingreſſus; ipſa verò vxor etiam eſt in procinctu ſuſcipiendæ religioſæ perfectionis. Alius à ſpectro quodam ad dura ieiunia inducebatur, certos in hebdomada illi dies aſsignante, mortem nî faceret, cum ſude & acuto veru propius accedendo minitante: confeſſarij conſilijs vexatione illa liberatus eſt. Puer calculi cruciatibus remedia apud nos quæſiuit, Pater noſter diuino auxilio implorato, & ad deuotionem domeſticis compoſitis, manna S. Nicolai puero bibendum præbuit: paulo poſt lapidem grandē iam moribundus puer eiecit, & repente conualuit. Perſona quædam à dæmone infeſtata, Agno DEI & alijs piis mediis munita, libera effecta eſt.

Excurſum eſt ad proximum Oppidum, in quo Plenaria à SS. D. Noſtro cuidam templo attributa, tunc promulgata fuit Indulgentia, quò magna hominum multitudo confluxerat, & peracta Cōfeſsione, apud noſtros cœleſti pane refecta eſt. Eodem loco, ad diem S. Laurentij, recurrente eadem Indulgentia, ſupra duo millia hominum peccata

con-

confeſsione expiarunt, communioneque ſacra refecti ſunt. A concubinis abſtracti duo; quorum alter matrimonii vinculo vitam cohoneſtauit. Vſurarius ad reſtitutionem adductus.

Multis pagis in tradenda doctrina Chriſtiana ſeruitum. In gratiam rediêre quidam cognati inter ſe diù diſsidentes; & offenſam ex animo dimiſſam in præſentia noſtri Sacerdotis multis lacrymis teſtati ſunt. Mulier piarum fœminarum eleemoſynis, ex carcere liberata. Crudeli quidam ſupplicio afficiendus, Ruthenici Popi filius, ſemel in vita ſua quondam Catholico Sacerdoti confeſſus, hæſitabat vtrinam fidei adhærere, & in qua vitam finire deberet: cùm ad eum in errore roborandum Popus veniſſet, à noſtro nihilominus in Catholica confeſsione expiatus eſt. Ductus ad locum ſupplicii, reprehenſus à Ruthenis circumſtuntibus, conſtans nihilominus in fide Catholica, ſtrenuè corpus diſſecandum carnifici tradidit. Alter iam Ruthenus, neglecto ſuo Popo, mori Catholicus potius elegit, quàm Schiſmaticus.

Duo è noſtris, his temporibus calamitoſis, quibus rebelles contra Regiam Maieſtatem arma ſumpsêre, in caſtris commorati, militem (vti locus & tempus ferebant) exhortationibus & confeſsionibus audiendis, maximè inſtante prælio iuuerunt: priuato colloquio, ad fidem Regi ſeruandam multis perſuaſerunt. Poſt prælium nonnulli moribundi, ad dolorem de peccatis sũt adiuti; qui etiam poſtridie prælii, imò poſt triduum, variis in latebris à noſtris quæſiti reficiebãtur.

tur. Aduerſariis in prælio cadentibus, primi operam ſuam offerebant noſtri, exhibebantq; vt ſecurè ex hac vita decederent, quibus etiam à Duce militum ſupremo curatores vulnerum impetrarunt, eleemoſyniſque corrogatis ſolatio fuerunt. Tria lethalia duella iam haſtatis & gladiatis in acie conſiſtentibus, dirempta ſunt, & ad pacem partes adductæ.

RESIDENTIA GEDAnenſis.

NOſtri adhuc domo Parochi Gedanenſis B. Virginis, in quam ab initio ab R. D. Officiali recepti fuerunt, vtuntur. Et quamuis ante duos fermè annos è templo S. Brigittæ, arte hæreticorum, qui felicibus ſucceſsibus rei Catholicæ inuidebant, excluſi fuerunt; tamen nihilominus feruor Catholicorum conſtans permanſit, nihilque remiſſum ab audiendarum concionum frequentia, & frequentandorum Sacramentorum diligentia. Receperunt fidem Catholicam viginti quinque. Et quoniam elapſis annis, iuuentuti egregiè profuerunt noſtri; Magiſtratus animum adiecit, ad reformandas ciuitatis Scholas, ſi qua ratione deſideria iuuenum auertere à noſtrorum conſuetudine valeat. Accurrunt nihilominus illi, duo hoc anno primarii, Eccleſiæ reconciliati ſunt. Ipſe Proconſul ciuitatis quoſdam patricios ad ſe vocatos ſeriò monuit, vt à conſuetudine noſtrorum abſtineant.

Præ-

Præcipuæ nobilitatis viri quatuor extra vrbem, à primá ætate infecti hæresi, reconciliati sunt. In missionibus versantur duo Sacerdotes è nostris non sine fructu; ad fidem conuersi sunt extra Ciuitatem nouem, non pauci melius de nobis instructi sunt.

RESIDENTIA SENDOMIRIENSIS.

ELaboramus inprimis animis nonnullorum componendis, odia multis annis fota, sopita sunt. Tres alij dissidentes in mutuos reducti sunt complexus. Duobus Sacerdotibus, quorum in ea ciuitate fama periclitabatur, consultum mature est, alij ad recte obeundum Sacerdotale ministerium salutaribus doctrinis exculti, ijs præsertim, quæ ad conscientiæ munus pertinent. Vacillantes Catholici aliquot, cõfirmati & in auita fide stabiliti. Miles vnus Ecclesiæ est aggregatus. Alius ab annis viginti duobus inter hæreticos degens, rebus salutis neglectis, tandem rediit. A turpi cohabitatione fœminarum quinq; iuuenes liberati. Concubinæ sex à variis abductæ. Data opera, ne parentes flagitio vnius efferati Nobilis suam permitterent filiam, quantumuis fureret, minasque intentaret. Facta restitutio quinquaginta florenorum. A superstitionibus abducti nonnulli. Res futuri Collegij aucta, empta vitalitate, vt aiunt, suburbani prędij. Accesserunt annuente Parocho duo perampla pomaria in fundo Ecclesiæ sita, cum tribus aliis hortulis; florenis propè mille æstimanda.

RE-

RESIDENTIA AD AVLAM Regis.

PErſeuerauêre noſtri in ſolitis exercitijs Societatis circa Aulam adminiſtrandis, in cōcionibus continuis tum coram Rege ipſo, & filio, curiaque tota; tum coram Regina & Gynæceo ſeorſim habendis, in Confeſsionibus Principum frequenter audiendis, in libellis pijs varijs, partim proprijs ſcribendis edendiſque, partim alienis recudendis; ſimilibusq; Societatis officijs conſuetis exercendis. Perſeuerauit verò etiam mundus paſsim in Societatis innocentia impugnanda, ipſoque adeo etiam Sereniſsimo Rege. Quare iam inde ab initio motuū, publicæ ſupplicationes toto ferè Regno à locorum ordinariis indictæ fuêre, magnaque populi frequentia paſsim vbique celebratæ. Acceſſere vbicunque id ferret loci opportunitas, publicæ quadraginta horarum Orationes & creberrimè inſtitutæ, & maximo concurſu hominum ac pietatis ſignificatione frequentatæ. Non defuere ieiunia, tum publicè à Paſtoribus Eccleſiarum hinc inde imperata, tum priuata deuotione à plurimis aſſumpta. Vota item & peregrinationes pro ſalute publica, ad loca etiam remotiora ſuſcepta, ad celeberrimam inquam in tota Polonia B. Virginis Czeſtouienſem ædem, ad Lauretanam etiam in Italiam vſq;. Quin non defuit inter haud infimæ nobilitatis viros, qui extrema licet ætate iam, tamen Hieroſolymam vſq; viſitandi ſanctiſsimi ſepulchri Dominici gra-

tiâ, votum & emitteret, si prælio vltimo Rex Serenissimus victor euasisset, & subitò victoria obtenta executioni mandare properaret, ipsum illud tam longum vix toto post pugnam Mense exacto, iter ingressus. Sed ijs potissimum in locis, quibus contigit, interim vel Regem ipsum adesse, præsentem, vel Reginam, hoc est Varsauiæ Cracouiæque, omne huiusmodi studium Numinis placandi viguit eluxitque. In ijs enim prout & templorum & Religiosorum Ordinum copia est maior, & varij generis piarum confraternitatum numerus copiosior; ita & pro occasione tali, illustrior fuit omnis exercitatio deuotionis, idq; Cracouiæ vt in Metropoli Regni inprimis. Ita Quadraginta horarum precatio, per varia Religiosorum domicilia distributa fuit, vt singulis septimanis alio, atq; alio in templo recurrentes multo tempore continuaretur, ac magna celebri[te] exerceretur, ductis ad eandem cum solemni supplicatione confraternitatibus omnibus, ac tanto communiter publicè se flagellantium, tum numero, tum ardore adiuncto, vt spectantibus compunctionem semper, non raro verò etiam horrorem cruentæ disciplinationis intuitu commouerent.

Nec verò ipsi Ser[mi] Principes in eo genere muneri interim suo defuere. Rex ipse inprimis ea præstitit omnia, quæcunq; tali in rerum conditione Catholicissimum Principem par erat præstare. Nullo vnquam tempestatis cuiusquam imminentis horrore à statu mentis deijci se passus fuit. Nunquam quicquam remisit à solita sibi pietatis exercitatione, in diurno suo consuetarum orationum

pen-

penſo, in quotidiana Sanctiſsimi Sacrificij Miſſæ, etiam in medijs campis caſtrisq; ,auſcultatione,in frequenti conſcientiæ ſuæ, Catholico pro more expiatione, in communione ſacrorum, aliisq; ſimilibus ſtudijs religioſis. Sed illud inprimis fixum animo obfirmatumq; retinuit ſemper,vt nihil eorum,quæ DEO deberi à ſe ac Religioni ipſius intelligebat,ſibi labefactandum putaret,nihil quantum in ſe eſſet,aduerſus ea vel conſtituendum,vel iniquis quorumuis flagitationibus, importuniſsimis licet minaciſsimiſq; concedendū: ratus,quod res erat(nec fefellit expectatio)ita demū ſe quoq; ſua per diuinum auxilium integra obtenturum, ſi ipſe prius,quod in ſe eſſet,ea quæ Dei ſunt,integra DEO conſeruaſſet. Sed & cum vltimo prælio cōmiſſo intellexiſſet ab vno Patrum So^tis^ qui circa ipſum erant,in ipſo certaminis ardore,votum Deo Beatiſsimæq; Virgini DEIparæ ſuo nomine nuncupatum, ſi victoriam obtinuiſſet, fore vt ipſe ædem Czeſtochouienſem B. Virginis religioſe viſitaret: etiam id reuerenter admiſit recepitq; ſe pro occaſione ſtudioſè executurum.

Nec minus interea Sereniſsima quoque Regina Conſtantia Auſtriaca , in idem iuſtæ iræ Diuinæ auertendæ ſtudium intenta fuit. Reſpondit & ipſa primum nomini ſuo, toto eo tempore,quo Sereniſsimus eius abfuit coniunx. Nihil enim tot tantisque procellis, quibus ab ipſo prope primo ſuo in Regnum hoc ingreſſu, excepta fuit, atque huculque exagitata, fracto fuit animo debilitataué, quin conſtanter, placideque magis etiam, quam pro prima iſta adoleſcētia ſua, omnem eum

insultum fortunæ semper excepit. Frequentissima vero interim piis in precibus ad DEVM fundendis ipsamet fuit, frequens in diuinis Ecclesiæ Sacramentis participandis; frequens in locis sacris, ac Religiosis familiis visitandis, quæ non raro etiam habitu mutato cum paucis obibat. Quo quidem in deuotionis exercitio, illud quoq; aliquando ostendit Christianæ pietatis exemplum singulare, quod cum quodam in monasterio, inter Virgines Deo sacratas vnam inuenisset filiam germanam illius, qui primus ac præcipuus habebatur omnis istius turbationis author ac incentor, committere noluerit, quin eam etiam in ipsa cella sua benignissimè visitaret, eidemque humanissimè asidens ac familiariter colloquens, omnem Christianæ charitatis ostenderet significationem.

Indixit ad hæc ipsa quoque sibi suisq; puellis, haud semel quadraginta horarum deuotionem continuam, eandemque & ipsa religiosissimè prosecuta fuit, medijs etiam ad eam exurgens noctibus, si sua forte tum hora ipsam tetigisset, precibusq; vacans, ac facem ita omnis vigilantiæ Christianæ præferens suis. Et retulit denique fructum peculiarem etiam ipsa suum, omnis huiuscemodi religiosæ suæ pietatis. Ipsis enim ijs horis, quibus pro more illo suo in sacrorum locorum visitatione occupata ipsa fuit; præcipuas omnium retulit Rex victorias. Nam & cum ad Oppidum Ianoniec Anno 1606. 4. Octobr. ipso die Diuo Francisco sacro, Rex aduersarios primum in potestatem suam redegisset, eadem illa hora, ipsa in templo quodam Ordinis Diui Francisci deuotioni suæ to-

litæ operam dedit, ſingulari quadam Spiritus conſolatione tum perfuſa, licet cauſam eius nullam præſenſiſſet. Et cũ iterum hoc ipſo an. 1607. 5. Iulij prælio aperto hoſtes fudiſſet fugaſſetq;, eo quoque ipſo tempore habitu diſsimulato in templo viſitationi B. Virginis dicato Cracouiæ, in ſimili opere magna cum animi ſui quiete diſtenta fuit. Difficile eſt percẽſere vniuerſa pietatis ſtudia, quæ illa in opera flagranti patriæ cõtulit vberrimè, non in ea vrbe tãtum, vbi tum degebat, ſed latius quoque ſe effundendo, nempe ad illam vſq; celeberrimam ædem DEIparæ Czeſtochouienſem, vbi diuinum cõtinuo trimeſtri placabat Numen, diebus ſingulis ſacrum Miſſæ ſacrificium à Sacerdote quodam ad eam rem illuc miſſo, offerendo deuote, pauperibus aliquot audientibus illud, Roſarijsq; proſequentibus. Eadem, vix Rege victoria obtenta reuerſo, grati animi ergo Patrem qui illi à Confeſsionibus eſt, eodem miſit, qui octiduam DEO eiusq; Matri illius nomine gratiarum redderet actionem.

Datum ab eo tempore quieti nonnihil, Diuina nobis parcente manu. Verum ne ſecuritate ſolueremur, tempeſtas excitata rurſus eſt, cui vt maturè remedium adhiberetur, viſum fuit Sereniſsimo Regi Comitia Regni Generalia ad ſeptimam Maij Anni huius Varſauiam indicere; quo tanto facilius communi conſilio Regni totius, remedium plenum tumultibus illis reperiretur. Conuentum igitur fuit ab omnibus Regni Ordinibus ad diem condictum frequenter; dumque variè conſultaretur de reſtituenda in integrum Regni tranquil-

litate, illud visum fuit consultissimum, vt omnes illi Articuli, quos aduersa pars coitione sua Sendomirensi Regi proposuerat, sibique confirmari postulauerat, resumerentur examinarenturq; singuli. Factum ita, ventumq; ad illius trutinam, qui Societatem spectabat nostram. Articulus ille in eo erat præcipuè, vt ex aula Regia exire iuberentur; cedere item locis pluribus Collegiorum suorum; nec fas illis esset vllum præterea Collegium admittere nouum, idq; totum grauissimis mulctis propositis. Hîc vero opportunissimè adfuit diuinæ prouidentiæ manus, plura etiam nobis, quam expectáre poteramus in tanta Regni perturbatione, tribuens auxilia. Simul enim præclare ibi testatum fuit, quis de Societatis instituto in animis proborum fuisset sensus, siquidem plerique eorum, qui suffragii ius habebant, ne legendum quidem dictum articulum censuerunt, vt qui ipso primo aspectu iniquus ijs videretur, quàm vt vel patientibus auribus exciperetur. Sed noluit Deus silentio ista transiri, quò plenius integritas Societatis toti Regno constaret.

Lectum igitur fuit plebiscitum illud, simulq; propositum, licitum esse sententias vt singuli dicerent, numquidquam dignum occurreret cuiquam, vnde confirmanda talia contra Societatem viderentur. Nullus inuentus fuit aliquandiù, qui adferret quidquam. Prodijt tandem vnus de nuncijs terrestribus (ita vocantur ij, qui ex omnibus Regni partibus, nomine nobilitatis ad comitia mitti solent, vt vnà cum Senatu Regeque ipso, de

de Republica deliberent decernantq;) fuit is hæreticus, qui publicè conteſtatus eſt, ſe fuiſſe vnum Sendomiriæ ex deputatis ad Articulos illos ſcribēdos, ſcireq; probè originem eius decreti, quod Ieſuitas concernat. Nec enim eſſe quod Euangelicis ſuis (ita ſe nominant Hæretici) id imputetur: Non ipſos eius ſanciendi authores fuiſſe, ſed ex ipſis Catholicis quoſdam: qui ſanè non ſine iuſtis cauſis tale quid ſtatuiſſent in ſuos proprios Sacerdotes. Quarum illa fuit præcipua, quod publicis ſe Regni negocijs immiſcerent. Sed mox è contra alius quidam Nunciorum ſimilium Catholicus prodijt, magna cum laude Societatis noſtræ, qui teſtatus fuit, potuiſſe quidem fuiſſe Catholicos aliquos, qui iſta poſtulaſſent, attamen reclamaſſe ſe illis, aliosq; plurium Palatinatuū Nuncios. Interlocuti fuêre inde etiam alij nonnulli magnates nonnulla: ſed omnia in Societatis approbationem. Ergo is qui tum ſententijs rogandis præerat, Illuſtris D. Felix Kryski Regni Poloniæ Referendarius, & in hiſce Comitijs Nunciorum terreſtrium (qui dicitur) Mareſcalkus, vir Catholiciſsimus & Societatis magnus amicus, vtpote à puero diſcipulus, reſumpta primum ſententia illius, gratias egit, quod ſponte teſtaretur Euangelicos ſuos non fuiſſe Authores talis legis ferendæ; cumq; nec Catholici habebant quicquam aduerſus eos, meritò nihil tale decernēdum. Communi iam tum ſilentio res confirmata videbatur, quando alius è Cat^cis ſurrexit, & plus nomine totius diſtrictus ſui pro Soci^te petijt, videlicet vt Toruniæ aliisque in locis, vbi aliquid paſſa eſſet, in integrum

quantocyus restitueretur. Efficaciter res ea cessit, illiusque postulato factum satis. Eo die multi amici ad nos accurrerunt, gratulantes illustre innocẽtiæ testimoniũ Societati à Regni Proceribus præstitum, idque ita consensu facili & vnanimi, vt ipsi quoq; hostes nostri mirarentur. Conatus erat die postero vnus hæreticus famam nostram lædere, vrgebatque serius nostrorum in aula ad negocia Regni peragenda leuitatẽ, qua se ijs quæ ad Rempub. essent, facilè immiscerent. Sed Regni Cancellarius ei respondit, ita vt nihil obijcere posset eorum, quæ se contra nostros habere simulârat, cum potestate ad eam rem sibi data, nil proferre potuerit, quod personam aut negocium certum concerneret. Etiam plures Palatini in ea re pro nobis illustre dederunt testimoniũ. Ergo is quem supra nominauimus Illustris D. Kryski Referendarius, concludendam rem ratus, repetijt breuiter: Nihil igitur haberi contra Societatem iustæ accusationis; nil igitur contra eam decernendum. Vt autem de illorum integritate toti cõstaret Regno, decretum vniuersale auctoritate Regis omniumq; Ordinum factum est mox conceptis formatisq; verbis; vbi non solum labes, si quæ maleuolè inusta nobis erat, est detersa: sed etiam in integrum omnia restituta, tanto cumulatius, quanto res nostræ proiectæ videbantur magis. Faxit DEVS hominum in nos ita ferantur animi, vt DEI gloria incrementum sumat quam maximum.

):(

RE-

RESIDENTIA LVCEORIENſis.

LAboratum eſt circa fundationem Collegij, cum Illuſtriſsimo Luceorienſi & eiuſdem Capitulo; iamq; res ſuum accepiſſet finem, niſi ad ſucceſſorem Reu^mi^ dilata eſſet; vt hoc totũ fundandi Collegij negocium ipſius etiam autoritate & confirmatione niteretur; ſperamusq; breui rem ſucceſſuram, cum ſingularem ſuã ad hanc rem polliceatur beneuolentiam & liberalitatem. Maior in dies cernitur in populo Volhinenſi, ad res diuinas promptitudo & alacritas. Ad conciones enim & Doctrinam Chriſtianam confluunt, multorum iudicio alijs temporibus frequentiores. Ad Confeſsionem autem & Communionem ſacram, mirati ſunt non pauci, quòd pro feſtis Natiuitatis Domini inſolitum viderint concurſum hominum. Auxerunt hunc numerum non mediocriter, milites Sereniſſimi Regis, qui ſuam in hac Ciuitate habent ſtationem. Ex his enim omnes ferè, à multis annis neglectas confeſsiones reuocarunt, ſacroq; CHRISTI Domini corpore refecti ſunt. Singulare autem quorundam hac in parte extitit zeli & pietatis exemplum, quod ſi quempiam inter ſe cunctãtem, ad Confeſsionem faciendam notarunt, illum tam diu ſuis oppugnabant vocibus, donec victum ad Sacerdotem perducerent. Erant aliqui inter hos, quorum mirabantur de anteactæ vitæ noxis, admirabilem in eluendis peccatis vim lacrymarum, ardenſq; emendationis deſiderium.

Captiuus quidam qui apud Turcas Conſtantinopoli octodecim annis abductus tenebatur, iamque Religionem Cath^cam^ eiurare ſtatuerat, nocte diem illum antecedente (quo CHRISTO Domino renunciare, & ad Machometiſmum tranſire Domino ſuo ſe velle promiſerat) territus quadam viſione profugit; & vt tantum crimen expiaret, veniens Luceoriam ad vnum ex noſtris ſe contulit Confeſsionis gratia, ſingularem diuinam erga ſe prædicans prouidentiam. In conuiuio quodam, cum vnus nobilium qui Confeſsiones ſuas de die in diem differre ſolebat, & parum nobis affectus eſſet, periculoſo corripitur morbo, quęrente quodam familiari ipſius, quemnám Sacer^tem^ in tanto vitæ diſcimine vocari velit? acciuit vnum ex noſtris, qui intempeſta nocte hominem, vno milliari diſtantem conuenit, non ſine admiratione ægroti, de eximia noſtrorum in auxilijs ferendis promptitudine.

In feſtis Natiu^tis^ Domini effectum eſt, vt ſchiſmatici ab omnib. opificijs feſto durante vacarent; cum aliâs malitioſè illo ipſo die ſancto, non ſolum in foro, verum etiam in officinis vel maximè perſtreperent. Magnam ea res Catholicis attulit conſolationem, quod vt ſequentibus in poſterum ſeruetur annis, laborandum erit. Contigit ſemel quendam ex noſtris cuidam Schiſmatico (quem hi homines eiuſdem farinæ magni Doctoris loco habent) de rebus fidei colloqui; is victus rationibus obmutuit, ita vt audientibus moueret riſum.

Pauperes in noſodochio non minus in Spiritualibus,

libus, quàm in his quæ ad leuandam paupertatem necessaria erant, adiuti sunt; ad illosque iuuandos non sine fructu populus in concionibus est excitatus.

Ex vicinis Oppidis ciues expetierunt aliquando operam nostram, & ad nos inuitandos primarij missi sunt; sed cum duo tantummodo sint ex nostris, nec desint domi labores, satisfacere illis non erat possibile. Idem & à nobilibus postulatum fuit. Ad promouendam Collegii fundationem sunt pleriq; bene animati.

MISSIO IN RVSSIAM.

NON exiguos DEI beneficio tulit fructus hoc anno instituta Missio in Russiam Poloniæ, quæ ad initium quadragesimæ cœpta est in aula magnæ Cancellariæ, magnæ illius olim iam vita functi Cancellarij coniugis, id tam pij negocij postulante & vrgente ipsa pientissima, & communi totius Societatis nostræ, atque eximia benefactrice. Tribus igitur in hebdomada diebus conciones ibi de pœnitentiæ Sacramento habitæ, tribus vicissim Christianæ Doctrinæ rudimenta explanata. Fructus ille subsequutus; auditæ Confessiones aulæ totius, nonnullorum de vita anteacta repetitæ: immicitiæ sedatæ, ad menstruam exomologesim multorum, imò ad Hebdomadariam non paucorum accessio facta: Iniqui contractus sublati: Duo Hæretici Ecclesiæ gremio restituti. Tartarus sacro baptismatis fonte ablutus.

Ex Christiana verò doctrina, illa messis. Maior quædam lux in mysterijs fidei Christianæ animis rudium

rudium oborta, vt paſsim dicerent, nunquam ſibi quædam audita, multa de nouo cognita. Quidam Tartarus Chriſtianam religionem iam complexus erat ante aliquot annos: dixit ille tum lucem ſibi allatam in rebus veræ fidei ex doctrinæ CHRISTI explicatione, quam alias nunquam expertus eſt. Domina ipſa Illuſtriſsima tanto affectu cœpit hoc tam pium exercitum proſequi, vt illi attendere nunquam intermiſerit, ſuos ſuasque ad illud ſtimulauit ſæpius, præmijs etiam affecit eos, qui diligentiam ſuam probaſſent; imo perſæpe cum alij tardius reſponderēt ad interrogata, ipſa reſpondebat, quo magis animos excitaret omniū. Ad extremum ne quid incitamenti deeſſet, omnibus non modo ſuis in aula, verùm etiam ſubditis in Oppidis, pagiſuè ſuis, ac Filij, ad tam vtilem exercitationem comparauit pulcherrima duo vexilla parua illa, pro paruulis, at ſexaginta florenorum, pretij. Hæc multum illuſtria, præferri cœpta per vicos, ad vnum paruuli, ad alterum paruulæ ſuis choris diſtinctæ, præcinentes illi maribus, hæ fœminis doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, mox proſequentibus omnibus. Hæc tam pia vidua potita eſt fructu ſuo, nam diebus præſertim feſtis & Dominicis fuit plurimis id inſtar freni cuiuſdam, per quod auocabant animos ab ebrietate & ab ocio.

Quin etiam accidit, quod cum ad Feſtum Diui Ioannis Baptiſtę, morem quendam barbarum adhuc & Ethnicum habuiſſent ſubditi illius, per multas noctes choros agendi & canendi circa rogum in campo accenſum, quod inquam, ſub idem eius

eius tempus verſus eũdem rogum producti cum ſuis vexillis paruuli fuerint, qui quando ad circũfuſam illam hominum, penes ignem multitudinem propius acceſſerunt, mirum dictu, omnes omnino ſecuti vexilla, choros ſuos cum choris puerorum coniunxerunt, cantumq; illum barbarum ſuum, cum cantu Chriſtianæ doctrinæ commutarunt. Itaque ſublata barbaries. Et quia Doctrinæ Chriſtianæ bona referimus, non tacebimus illa etiam quæ ex ea ſunt ſubſecuta commoda nõ minora in alijs eiuſdem piæ matronæ, atque eius Filij Oppidis. In altero illorum, poſteaquam paruuli bis in die per hebdomadam ſalutis neceſſaria exactè didiciſſent, altera hebdomada de Confeſsionis Sacramento inſtructi, confeſsi propè omnes, de manibus ſui Parochi Sacroſanctam Synaxim acceperunt; multa cum voluptate boni Paſtoris & Parentum conſolatione non minori. Quo die ab eis diſcedere debuimus, repetionem publicam eorum, quæ didicerunt inſtituimus. Eo tempore is qui cæteros diligentia antecesſit, præmio eſt ornatus ſuo cum laude; vt verò id perpetuum eſſet in illa ciuitate, tum Parochi approbatione, tum ipſiusmet Senatuſconſulto effectum eſt, vt paruuli ſingulis diebus Dominicis & Feſtis, matutinis pomeridianisq; horis forum obirent compoſito ordine, &, ea quæ à nobis didicerunt, decantarent; quod ne violetur, ipſa Illuſtriſsima Domina omni ratione cautum eſſe voluit.

Ad alteram digreſsi ſumus ciuitatem, celebriorem illã appellatam Zamoiſcium, vbi digit Filius bonæ matris Thomas Zamoiſcius. Ciuitas hæc magna

magna ex parte, & nobilis in ea iuuentus, quæ in Academia ibidem erecta dat operam litteris, alienissimo à nobis & nostra Societate fuit animo. At posteaquam pro concione, Christiana doctrina commendata fuisset, & ad eam inuitati omnes, tantusque ad eam concursus horis pomeridianis factus esset; ita post eam animi omnium immutati, vt & nobis cœperint multum benè affici, & doctrinam Christianam ita frequentare, vt constantes in ea permanerent; & quod maius est, tota penè nobilis illa iuuentus, nulli alteri præterquam nobis pro die Virginis DEIparæ in cœlum assumptæ, qui tùm proximus erat, confiteri statuerit, quod & fecit adeò, vt ad mediam propè noctem fuerint illorum confessiones productæ. Aduertit id Illustrissimus eius Diœcesis Antistes; quapropter vna cum Dominis Prælatis & Thoma Zamoiscio, aliaq; multa nobilitate Christianæ Doctrinæ adfuit, probauit studium nostrum, & pro paruulis benè meritis Xeniola obtulit. De Thoma vnum addiderim: continere se non potuit pius Adolescens, quin sumpto pugillari, nonnulla scitu digna, ex doctrina de Sacramento Confessionis, palam sibi adnotaret, eademq; coram pia matre, quæ tum Zamoiscij aderat, exactè repeteret. Omnino DEI beneficio Ciuitas hæc propensa in nos ac nostram Societatem ita esse cœpit, vt iam longè meliora de ea sint speranda.

Excurrimus ad tertium quoddam oppidum Scebresinum nuncupatum: ibi non ita diu ob periculum contagionis manere licuit, vna tamē fere atque altera hebdomada eo loci, operæ nostræ posuimus,

fuimus, in habendis ad populum de Sacramento pœnitentiæ ter in hebdomada Concionibus, & in exponenda alternis diebus Christiana doctrina. Produximus in medium forum paruulos, qui illud obirent, & rudimenta doctrinæ CHRISTI decantarent. Nouum id oppidanis visum & iucundum, & Arriana peste infectis incolis ita graue, vt Catholicos amentes factos vociferarentur. Diuertimus aliquoties ad oppidū quoddam, plenum quidem Catholicis, sed Pastore, verius deceptore seu lupo hæretico ministro. Bonæ illæ animæ, sub iugo Domini hæretici per aliquot iam annos degentes, posteaquam aduertunt nos Catholicos Sacerdotes diuertere ad quoddam in foro extructum diuersorium, extemplo accurrere cœperunt supplices, postulantes Baptismatis & Confessionis Sacramenta: non defuimus in multam etiam noctem ferre opem. Baptizati igitur vltra centum, & expiati Confessione plusquam ducenti, Christiq; corpore refecti.

VICE-PROVINCIA LITVANIÆ.

NVMERANTVR in hac Viceprouincia domicilia decem: in quibus versati sunt Socij ducenti & sexaginta. In Collegio Vilnensi sexaginta duo. In Braunsbergensi vnde quadraginta: In Pultouiensi tres & triginta; vno plures in Niesuiensi: In Potocensi viginti; Quatuordecim in Rigensi. Quinque in Derpatensi: In domo Probationis Vilnensi triginta septem: Octo ibidem in futura domo Professa. Asciti in Societatem septemdecim; superis, vt speramus, additi tres. In domo Professa warsauiensi duodecim.

COLLEGIVM VILNENSE.

COllegium Vilnense numerauit personas sexaginta duas, è quibus Sacerdotes viginti (inter quos Professores quinq;) Magistros non sacerdos sex: Auditores Philosophiæ, & Theologiæ viginti duos, relíquos Coadiutores. Duos ex Magisttis Deus ad beatam Societatem euocauit. Trecenti ex discipulis sunt, qui duplicem Sodalitatem constituunt, præter Episcopos aliquos, & Prælatos nō paucos, multosque ex

ex prima nobilitate, & ciuitate. Atque isti, licet ad Regulam Sodalibus conuiuere non possint, suum tamen animum, & cum animo suam magnificè explicant liberalitatem, iam sacellum, & pictorio, & serico opere ita vestierunt; sacramque supellectilem, argenteam præcipuè, ita locupletarunt, vt nihil ad perfectum ornatum desiderari posse videatur. Et sunt hæc eiusmodi, quæ hominum animos ad pietatem illectant; sed exteriorem tantùm cultum faciunt, in interiore animorum, studiosi Adolescentes multò magis elaborabant. Post solennem cum vniuerso populo per triduum Pentecostes peractam continuam orationem, votiuam Sodales conceperant ad loca sacra visitationem. Itaque peruigilio SS. Trinitatis rebus omnibus cultissimè instructis, tres classes ordinarunt; vnam gestientis, alteram dolentis, tertiam triumphantis Virginis mysteria docentes; sequebantur Sodales corpus, & pedes nudati, & linteis tantùm amicti saccis, vnam manum rosario, aliam disciplina ornati; processus erat per mediam ciuitatem ad S. Stephanum, cuius ædes longissimam claudit ciuitatem, ibi omnes in Crucem prouoluti Missæ sacrificium audierunt. Reditus fuit ad S. Casimirum longè distantem, cuius tunc opem, & oratione, & multa verberatione expostulauit. Nec publicæ tantùm, sed priuatæ etiam miseriæ est subuẽtum. Multum enim ex ære collatitio, in pauperes erogarunt. Sacerdos quidam morbo confectus, & rerum indigens, ex remotis venit partibus, si fortè medicam inueniret artem, & acciperet opem. Sed iam mortis certior, quàm vitæ fuit, Sodales vt

intellexerunt hominē eiuſdem eſſe Sodatis ſuſce-
perunt illum in curam ſuam, de omnibus proui-
dent neceſſarijs, defunctum denique ſuis humeris
ad Sodalitatis tumulum deferunt, funere illuſtrāt,
& ſacrificijs. Quæ res apud homines maximam
exiſtimationem Sodalitati conciliauit. Quin
etiam Dei Mater acceptam ſibi ſuorum pietatem
non ſemel oſtendit. Pauperes aliqui à cœna ſe do-
mum referentes, in armatorum hominū turmam
impegerunt, fugiſſent pauperes, ſi potuiſſent, ſed
interceptis nihil erat peruium: interea aliquis ex
aduerſaria parte ſclopetum exonerat, vnus ex ti-
rocinio Sodalitatis globum in ventre, iuxta vm-
bilicum excipit; traiectus ægrè vicinam ædem in-
greditur, accerſitur chirurgus, is vt vulnus inſpe-
xit, ſpem omnem depoſuit, & quaſi morientem
reliquit; mox æger Sacramentis ſibi conſulit, &
vt cum plenaria indulgentia emigraret, in nume-
rum Sodalitatis excipitur, fidem igitur ſuam Dei-
paræ obligat, noctem ſequentem, præter ſpem
ſuperat, & etiam deinde mortem, retento in cor-
pore globo. Alter hominum iniuria non minori
periculo in capite vulneratus, non minori bene-
ficio ſuperuixit. Tres alii in veſpertinas furias de-
lati, & iteratis gladiis atrociter percuſsi, ſoſpita-
tem ſuam Dei parenti adſcribunt. Emendatæ
ſunt Mahumetanæ, & Hæreticæ, & Schiſmaticæ
ſuperſtiones, ignorantiæ in fide craſsiores, perdi-
tæ conſcientiæ, aſperatæ contentiones, & odia,
illicitæ cupidines & coniugia. Ex Machumetanis
Tartari duo infidelitatem ſalutari fonte eluerūt,
quorum alter, cùm extremum iam ſupplicium
ſubiturus eſſet, ex hæreticis tres, & quadraginta
lucem

lucem Catholicam aſpexerunt, & didicerunt veritatem. Quatuordecim Schiſmatici Romanæ Sedi, & authoritati ſe vniuerunt. Quidam in Deum blaſphemus, & animam morti aſſerens, Deum ſibi confeſsione, & animam immortalitati profeſsione reſtituit. Duo ex nobilitate præcipua, qui vniuerſam ciuitatem concitare poterant, irarum incendiis in Collegio extinctis, in mutuam reducti ſunt gratiam. Nouem, & viginti mulieres profligati animi, & pudicitiæ, & animo, & pudori cōſuluerūt. Multæ præterea nuptiæ, & illegitimæ ad Matrimonium conuerſæ, & adulterinæ ſublatæ. Mulier, quæ à viro tranſierat, & alteri annis 25. conuixerat, priori reconciliata eſt. Hoc primum anno, inſtituta eſt ad Ro^am imitationem triduana Oratio, quæ Antecinerales dies olim per omnem impunitatē ſolutos, ad modeſtiam ita cōpoſuit, vt ēt ipſæ noctes homicidijs infeſtę, & clamoribus ebrię, ab armis, & motu quieuerint. Triduo illo tria ferè hominum millia ſanctis Euchariſtiæ myſterijs operati ſunt, die vltimo tantus numerus Orationē concluſit, vt templum ampl^mum multitudinem excluderet, totum triduum admirabile erat numero, & ardore eorum, qui acerrimè ſeſe diuerberarent, ex quibus plurmi linteis tātum induti, diu in horrido frigore ante altaris faciem percubuerunt, hoc etiamſi ad miſerationē ſatis eſſet, acceſſerunt tamen pueri, habitu, & actione Angelos imitati, qui elaboratum Carmen ſuper ipſos recitarunt; & impijs ēt pietatē, pijs exclutiebant lacrymas. Sacerdotes lucrandorū animorum cauſa excurrêre. Vna è reliquis miſsio, rogatu Ill^mi Viln.

Antiſtitis in Rusſiam, altera Vilcomirienſi Capitaneo inuitante in confinia Curlandiæ, in Samogitiam eiuſdem oræ Epiſcopi poſtulatu ſuſceptæ. Præclarè vbiq; poſita opera. Infantibus plus trecentis viam ad Chriſtum per Baptiſmum Sacerdos noſter aperuit. Nonnullos eorum ſtatim à ſuſcepta fide, ipſe fidei author in Cœlum euocauit. Adulti etiam, & deuexa iam ætate ſenes, eodem ſacræ ablutionis Sacramento initiandi erant; eos vel anilis parentum ſuperſtitio, qui arborum tantum quarundam nomina ipſis indiderant, vel Curionum defectus, ad ſenium vſq; ſine Baptiſmo prouexerat. Sacramentum Matrimonij ſupra triginta ducentis ritè adminiſtratum. Qui vitæ malè actæ nooxas confeſsione emaculauêre, ad mille ſeptingentos numerus aſcendit. Complures partim in Hæreticorum obſequijs, à pia confitendi conſuetudine, in ſuorum dominorum iam mores abierant, partim animorum ob continentes inter ſe rixas, exulceratione abſterriti, medicinam omnem cõtempſerant, plurimos vel Sacramenti tam neceſſarij ignoratio, vel vitæ licentioris impuritas ad pecudum viuendi ritum abiecerat, omnes opportunam ſenſere opem. Puella vt ſecurius in omne ſe libidinum genus ingurgitaret, proprijs parentem ædibus eliminârat; Mater filiæ ſalutis, quá vindictæ ſumendæ ſtudioſior, à Sacerdote filiæ quæſiuit medicinam; conueniens malo tanto adhibita curatio; Ergo matris pium ſtudium filiæ in melius vitæ cõmutatio ſecuta eſt. E ruſticis quendã comitialis implicuerat morbus, votis ad D. Caſimirum Lituaniæ tutelarem nũcupatis, per Con-

feſsionem

fesſionem omni inualetudine liberatur. Eiſdem excurſionibus ab hæreticorum perfidia ſex ſupra 40. diſceſsêre. Illuſtris inter hos fœmina, quæ totam pæne domus familiam hæreticam monitis & exemplo ad ſalutem quærendam incitauit. Alia coniugis Caluiniani verberibus adacta, parſi prudens & ipſa Caluino adhæſerat, ſed peruaſa iterũ virus illud peſtilens, nihil repugnante marito egeſſit. Matri reddita ſalute, filiam quoq; de hinc ipſa reſpexit ſalus, eamque è graui, per vitæ expiationem diſcrimine eripuit. Corporibus etiam, non tantum animis depulſæ ægritudines. Illuſtrem quandam matronam, in eum iam ſtatum morbi grauitas depoſuerat, vt viæ ad vitam aliam memor, cœleſti opus haberet viatico. Tanti Sacramenti veneratione in terram ſe iubet abijci, acceptaque B. Stanislai Koſta effigie, intenta voce per eum ſibi ſanitatem impetrari orat. Conceſsit, iuuenis Beatiſsimi illius meritis, diuina bonitas, vt ægritudinis grauitas infringeretur, eodem pœnè quo eum pro ſalute deprecata eſt momento, neq; multo poſt omnino conſanuit. Solemne fuit ruſticæ Lotauorum genti, quorum olim in has partes aliqui commigrarant, Die Virgini in cœlum aſſumptæ ſacro, ad quoſdam ſubterraneos ſpecus, vel ſacra etiam cœmiteria turmatim cõuenire, varia eſculentorum, poculentorumque genera deferre, inconditis eiulatibus lymphatorum more, & complorationibus replere omnia, adeo, vt Sacerdotem in quadam Eccleſia, ad quam eiuſmodi debacchationes fiebant, eo die ſacris operantem, tantum non ab altari ſuis intempeſtiuis lamentis

abſtraxerint. Inſigniter pro Concione, tam abominandus parentandi ritus exagitatus. Capaces tandem barbaræ huius eliminandæ conſuetudinis facti ſunt. Saxis ineſſe aliquid numinis rebantur alij. Verè ſaxei & ſtolidi, veritatem edocti, nunc ſaxa præter ſaxa nihil aliud eſſe credunt. Sortilegorum manibus tartarea, & in hominum perniciem excogitata inſtrumēta erepta, eorumque nefandis machinationibus obuiam vt iretur, curatum eſt pro viribus. Alibi etiam rotarum quarundam contra incubos, & fures vigebat vſus, qui quoniam ſuperſtitionem oleret, ſublatus eſt. Quæ diſciplinam Chriſtianam concernūt potiſsimum, omnibus abunde per temporis anguſtias vbique prouiſum. Si quos inter odia, quâ priuata, qua publica exarſiſſent, fideliter extincta, fomentis huiuſcemodi diſsidiorum ſublatis. Iam in Samogitienſibus alterius Sacerdotis excurſionibus, operæ etiam precium conſtitit. Alij famæ, fortunarum alij, multi immortalis iuxta, & mortalis vitæ, hanc ne ſcilicet perderent, illam vt obtinerent; periculo ſubducti. Porro qui Numini læſo conciliati ſunt per Confeſsionem, ſeptingenti, & viginti quatuor. Per ſalutaris lauacri ſuſceptionem cum infantes, tum puberes plurimi, per fidei Romanæ profeſsionem duodeuiginti numerantur. Adoleſcenti cuidam Germano, iam inde à puero Lutherum profeſſo, ſæpius à Sacerdote noſtro, quo cum iter faciebat, fidei lumen obiectum erat, ſed noctua ille omnino ad Diuinam lucem, nec manus prius dedit, quam ipſiuſmet DEI ſeu monentis, ſeu moram culpantis, expertus eſt manum

num. Cum enim caſu (non ſine occulto Dei quopiam monitu) celebrante Patre noſtro, rei Diuinæ, cuius apud eum frequentandæ religionis conſuetudo ante nulla, intereſſe vellet, curioſius in ſacroſanctam, dum fidelibus adoranda proponitur, hoſtiam intentus, ſacrum illum panem, cruore quaſi ſtillantem, cœleſti videt ambiri luce, & ſanguineæ inſtar Lunæ, quaqua verſum in orbem explicari. Terruit rei inſolentia hominem: Ad ſolum ille corpus affligere; mens tota Deo ſe ſuperfundente, in lamenta, & ploratus abire, eo vſque vt totum ille diem à reliquorum ſecretus conuictu, in fletum, & tempeſtiuam mentis ab hæreſi exonerandæ curam conuerterit. Inde factum, vt ſacerdoti ſuo antea importuno magiſtro, iam tum libentius aures accommodarit, & poſteaquam erroribus, vitiisque animum leuaſſet, conceptam angoris nebulam, Sol ſerenior iam menti illuceſcens prorſus fugarit. Sectæ eiuſdem Lutheranæ alter, domi ſuæ nobilis, ab impuris Lutheranorum caſtris, ad IESV imperatoris militiam allectus. Nam quantiuis ille erat precij apud ſuos, & nimium quantum in pugnis contra Catholicos depugnandis pertinax, emolliuit tamen ſaxeum illud pectus comis noſtrorum hominum affabilitas vel ad lacrymas, quas Lutherum iam exutus in Confeſsione vbertim profudit. Religionem agnitam, frendentibus necquicquam hæreticis vicinis, nunc acriter propugnat; illi Martem & mortem minitari, contra ille vt ſibi prius è corpore animam, quàm ab anima religionem extorqueant, paratiſsimum ſe offerre.

Diuina eum in his procellis bonitas ad mortẽ vſq; prouehat, protegatque. Eandem inſtitit ſalutis viam par quoddam coniugum, quos Caluinianorum fucata pietas in errore hucuſque eduxerat; nunc egeſto corruptæ religionis veneno, ſalubriori viuæ doctrinæ fonte aluntur. Transfugam quendam tanquam paſtorem, ſibi Caluinianæ ouiculæ elegerant, quibus ille viginti ferme annos, æternæ mortis propinarat venenum. Quia tamen alte eius menti inſederat ſemel concepta Religio, & ſacri Ordines, quibus ſe inauguratum meminerat, non ſinebant hominem eſſe quietum, non deſtitit, donec noſtri vnius opera, altera quadam in excurſione verſantis, viam è tam periculoſo euandendi ſtatu edoctus, ſaluti ſuæ anchoram, Romanam fidem denuo amplecteretur. Hæc animorum, illa etiam corporum præſidia. Fœminam quandam lethali decumbentem morbo, grauior animi morbus, hæreſis vexabat, hanc vbi eiuraſſet, facilè animæ malo depulſo, ipſi corpori reſtituta eſt ſalus. Tenuioris fortunæ alter, omnia pœne ſua erogarat in medicos, à quib. morbum potius emere, quam ſanitatem videbatur.

Huic luſtralis aquæ aſperſio, animo prius peccatis ſoluto, medicina fuit.

DO-

DOMVS PROBATIONIS VILnensis.

ADMissi sunt hoc anno ex varijs Regni huius Prouincijs septemdecim lecti iuuenes, fuissentq; plures multo, si eis ob rei domesticæ angustias fores patuissent. Cæterum quanto prosperiore vsi sunt valetudine, tanto plura, & euidentiora virtutis atq; constantiæ suæ dederunt documenta. Quadragesimæ tempore in templo Societatis nostræ, quod Collegij Patres gubernant, cũ plurimus esset cõfitentium numerus, ne moram confessarijs pœnitentium adferret ignorantia, cõcurrentem multitudinem ad Confessionem cum fructu obeundam instruxerunt. Idem per æstatem festis diebus in multis Ciuitatis locis, & alibi factitarunt, ociosæ in compitis plebeculæ, capita Christianæ legis explicantes. Præcipuè tamen eorum virtus in Nosodochijs enituit, in quibus multa charitatis, & demissionis religiosæ officia, haud minore suo, quam ægrotorum, & languentium commodo obierunt. Nam præter subministratas eleemosynas, abiecta ministeria impigrè suscepta, Christianæ fidei rudimenta, bis quaque hebdomada tradita, afflictos erexerunt, nimium sibi præfidentes cohibuerunt, alios confessionis rectè instituendæ modum, rosarij recitandi, conscientiæ excutiendæ, & his similia Christianæ pietatis officia docuerunt. Persuaserunt etiam pauperibus, vt Bacchanaliorum diebus, promerendæ indulgen-

tiæ gratia, summa hyeme, ad ædem sacram longe dissitam, postpositis omnibus incommodis, se cõferrent. Affuit vnus è Nouitijs pauperculo morienti, ducem se alrer cœco præbuit. Aucta quoque suppellex sacelli nostri domestici, calice, & veste sacra, piorum liberalitate.

DOMVS PROFESSA FVTVRA Vilnæ.

HÆC domus octo è nostris habet, Sacerdotes tres, reliquos domesticæ rei administros; ex his suam quisq;, tam in ijs, quæ ad fabricam sunt promouendis, quam in domesticis rebus procurandis, impendit operam. Quo factũ, vt deuotioni, & sacrorum religioni hic annus initium dederit. Sacrarium templi adiunctum habet ædificium, in vsum Sodalitij alicuius aliquando in eo erigendi. Inibi altare temporarium nuper excitatum, ad cuius inauguratione͂, vt tanto esset augustior, solemniter sacris operatus est ipse Reuerendissimus Vilnensis, & ad Concionem vnius horæ spatio verba fecit. Exinde sacra semper fieri, hominum concursu non contemnendo. Sextis præcipue ferijs, in quibus peculiari quadam in D. Casimirum, ædis, & vrbis tutelarem veneratione, & deuotione populus fertur. Multis solenne iam est, vt votorum compotes facti, cereas icunculas, ad Diui tutelaris effigiem sacelli parietibus affixam appendant. Sacra suppellex suum quoque habet incrementum. Duo argentei calices piarum matronarum beneficio oblati. Ipsemet Antistes Vilnensis vna cum Illustrissimo Palatino Vilnensi Col-

ſi Collegij Nieſuiſienſis fundatore, & Magni Ducatus Cancellario, lucuſenta inſignis in nos beneficentiæ hactenus ediderunt exempla, edereq; pergunt, & alios magnæ authoritatis viros ad ſimile munificentiæ genus prouocant. Et verò habuiſſet ædis noſtræ fabrica maiora adiumenta, ni Regni interiores motus, piam benefactorum de nobis curam in bellica ſtudia auertiſſent.

GOLLEGIVM BRVNSBERgenſe.

BRunsbergæ morati ſunt hoc anno ex noſtris, vt plurimum triginta nouem. Ex his Sacerdotes ſeptemdecim, quorum tres lectiones prælegunt: fratres reliqui, inter hos Scholis præſunt quatuor, Philoſophiæ curriculum ingreſsi decem, cæteri (præter eos, qui ætate & infirmitate impediuntur) domeſtici ſunt Coadiutores. In Conuictu nobilium adoleſcentũ Sacerdotes duo, totidem ſocij. In Alumnorũ Pontificis Max^mi^ domo Sacerdos cum Socio, ſimiliter in Epiſcopi Seminario, & hi omnes egregiè functionibus ſuis fuêre dediti. Exceſsit è viuis P. Iacobus Eggenius, Profeſſus quatuor votorum, vir inſtituti ſui obſeruantiſsimus, natione Germanus. Philolophiam quondam Coloniæ Agrippinæ prælegerat, inde in Poloniá miſſus, annis fere duodecim Rectoré egit, quo in munere orationis ad Deũ fundendæ aſsiduitate, lectionis priuatæ continuo ſtudio, negotiorũ So^tis^ cõficiendorũ ſolertia multum excelluit, monitoris & Præfecti rerũ ſpiritualium cura eidem fuit commiſſa, in q̃ gnauiter incubuit; confeſsionib. externorũ plurimũ addictus,

quas

quas in ſolennitatibus ſanctiorib⁹, ad plures horas, indefeſſo ſtudio excipere ſolitus erat. Mors eius tam noſtris, quàm externis luctuoſa accidit, quam fere incõmoditas longinq̃ acceſſiuit itineris. In eo etenim ardenti febre cõprehenſus, ſumpto violentiore pharmaco, cum vehemẽtiſsime ſudaret, interrogatus, an grauis hic ei ſudor accideret; reſpondit: Sanguinei ſudoris Chriſti pia recordatione ſeſe releuari. Cum vero fortuitò ad lectum hoſpitis, qui ægro Patri libens ceſſerat; imago mortis picta cerneretur, velletq; eam hoſpes amicus inde auferre, reſpondit Pater relinquendam; idcirco ſe religioſam amplexum vitam, ne mortem metueret: malle tamen Mariæ imaginem, quæ eſſet ſalus infirmorum, coram intueri; ſed cum febris vim omnem medicinæ ſuperaret, intellexit circumſpectus vir vita ſibi abeundum; diſponit igitur ſeſe ad mortem, munitus rite Sacramentis omnibus, & cum toto infirmitatis tempore, Ieſum Deum, & Mariam patronam pijſsime ingemi-naſſet, tandem placidè expirauit. Corpus eius Sacerdotali veſte amictum, nouem leucis Brunsbergam ſilentio vectum eſt; hoc enim bonus Pater moriturus expetierat, vt ſi minus inter chariſſimorum fratrum manus expiraret, ſaltem corpus eius fratrum commercio inſereretur. Quæ ad ſingularem Dei gloriam circa animarum ſalutem peracta tam domi, quam foris, hæc potiſsima ſunt. Hæreſi repudiata, Catholicam fidem amplexi viginti octo. Inter hos matrona quædam Nobilis, quæ hæreſim cum lacte imbiberat: cuius ad fidem conuerſio, tanto fuit mirabilior, quanto auerſio

olim

olim ab eadem maior. Adibat persæpe ad ministrum Lutheranum, animo in hæresi admodum confirmato, vt eo pertinacius in sententia stabiliretur peruersa; nouissimo quærit ex ipso, qua authoritate fultus spiritualem sibi potestatem, contra omnem antiquitatis sacrosanctam authoritatem arrogaret? Cui Minister omnes Christianos hac potestate præditos esse pronunciat, & ipsam, si Dijs placet, Dominam, Sacramentorum conficiendorum, administrandorumque, ac prædicandi verbi Dei potestate ab ipso Baptismo ornatam. Hæsit attonita prudens fœmina, domumque reuersa ministri insulsum responsum vni è nostris retulit. Qui cum falsitatem, & stultitiam eius refellisset, fœminam ad Catholicam fidem sectandam hortatus, ipsam ad integram totius vitæ Exomologesin faciendam disposuit, quod illa singulari pietatis sensu peregit. Ter ante perceptionem primam augustissimæ Eucharistiæ, confessa, ea lacrymarum copia, vt ad aliquot dies, nil nisi flere posset. Fuit ea fœminæ conuersio Catholicis magnæ consolationi. Irrepserat Anabaptistarum pestifera contagio in Mariemburgensem ditionem, Brunsbergensi vicinam. Actum cum Palatino loci diligenter; vt initijs tanti mali, potestate sua occurreret; fecit ille quod monebatur, & gnauiter malum coercuit. Circa Catholicorum salutem promouendam hæc præcipua fuêre. Totius vitæ confessiones domi, forisque exceptæ quinquaginta tres: Personæ aliquæ è locis remotioribus confessionis gratia ad nostros accurrerunt, fœlices se ratæ, si vel vnica vice nostris confiterentur,

tur, aut ſi ea quæ aliis concredere metuebant, noſtris integerrimè patefacerent. Diſsidentes reconciliati tres, in rebus grauioris momenti. Exercitiis Societatis exculti ſeptem, hos inter Canonicus vnus Varmienſis, & tres Parochi Archipresbyteri: Mira vis D. Nicolai S. liquoris, in tribus perſonis apparuit. Duæ eo adhibito melius valere cœperunt, tertia ex febri conualuit. Vir illuſtris in Inſula Marieburgenſi bonis peramplis à Regia Maieſtate cum initio negotia fidei Catholicæ remiſsius, contraquam anteceſſores ipſius factitarant, promoueret: è veſtigio hæreticæ prauitatis lues inficere ſubditos cœpit, ad templum rari accedebant, Parochi monita ſurdis auribus excipiebant, ipſi inter ſe conuentus agere, baptizare, concionari auſi. Cõuenit Dominum loci Sacerdos noſter, vt ſubditorum pereuntium miſereretur, orauit, ſimulq; ſuggeſsit, vt mulctæ olim iis impoſitæ, qui Eccleſiam negligentius inuiſerent, reuocarentur, cætus impii inhiberentur, rerum ſpiritualium tractatio ipſis ſeriò interdiceretur: hæc inquam ſuaſit, perſuaſitque. Erat Apoſtata quidam ab Ordine ſuo Regugulari aberrans, illegitimis nuptiis implicitus, oſtẽſum eſt ipſi à noſtro, quo in periculo, quanta in fœditate verſaretur. Probauit is Patris orationem, certoque certius pollicitus, ibi ſe alicui monaſterio (medicum namque profitetur) operam ſuam addicturum.

Scholarum frequentia, & ſplendor nec clarior, nec copioſior vnquam fuit. Concurrit vndiq; præcipua totius Regni nobilitas; tùm quòd inteſtini Regni motus, excepta Pruſsia vbique grauiſsimi

ſunt:

ſint: tùm quòd peſtis aliquot Collegiis imminens iuuẽtutem inde exegerit, tùm quòd Brunsbergenſis ciuitas locus Muſis ſit colendis appoſitus. Multi hic viſuntur Senatorum totius Regni filii, vel nepotes. Eſt verò cur gratias Chriſto Domino agamus. Agebatur concurſus Ordinum Pruſsiæ, hoc eſt Epiſcoporum Senatorumque Regni, qui huic Prouinciæ præſunt, aliorumque cum Regis officialium, tùm virorum nobiliſsimorum, aderant ciuitatum inſigniorum nuncii, mixti Catholicis hæretici. Hæreticorum grex confœderationis confirmationem, vt cuique ſcilicet credere liceret, quod liberet, vrgere incipit; opponunt ſe nobiles Scholis noſtris, & quidem aliqui nuperimmè egreſsi tãtoque conatu, ſtrictis etiam gladiis indignam hæreticorum poſtulationem reijciunt, vt deinceps illi, nè mentionem confœderationis facere ſint auſi. Nobilium Adoleſcentium conuictus, cui noſtri præſunt, hiſce temporibus nobilitatis eximiæ numero, diſciplinæ obſeruantia, & nominis exiſtimatione floret. Alumni Pontificis Maximi, fini, inſtitutoque ſuo præclarè ſeſe accommodant. Nec minus & hi, qui in Seminario Diœceſano degunt. Domus quoque pauperum eleemoſynis piorum indies ſubleuatur, & ſuſtentatur. Excedit eorum numerus 30. Templo ad cultum diuinum promouẽdum, ſingularis in ornamentis facta eſt acceſsio. Altaria, quod pridem à noſtris expetebatur, amotis iis, quæ vetuſtate ſqualLebant, noua pleraque erecta.

Collegij fundatio licet tenuis ſit, & vix viginti perſonis alendis ſufficiat, aluit tamen hoc anno 30.

&v-

& vnum, exceptis ijs, qui in varijs domibus occupantur. Ea fuit in nos Diuina prouidentia, & piorum munificentia. Apparet & in hoc circa nos Dei pietas; cum enim Brunsbergæ, & in vicinia tota, lues quædam pecudes inuasisset, adeoque grassaretur, vt plerisque, qui magis abundabant, ne vnicum superesset iumentum; nostrum tamen prædium, cui malum ab omni parte imminebat, & quod maxime pecoribus præstat, intactum omninò seruatum est. Creditur malum à nobis inhibitum, aquæ benedictæ assiduo vsu. Fuerunt institutæ apud vniuersa oppida, orationes frequentiores, proponebatur sacratissima Eucharistia, concurrebatur ad Confessiones, & ad placandum numen Cœleste. Ipse Antistes Varmiensis vni & interfuit, & præfuit, eo deuotionis ardore, vt sex ferme horis loco se non commouerit, qui etiam nostris gratiam singularem in abitu, pro opera collocata habuit. Venit ad hoc Collegium Sacerdos vnus, qui militibus nostris in Liuonia aderat, confessi sunt ipsi permulti post intermissam à pluribus annorum confessionem. Ille biduo cibo destitutus, suis incolumis restituitur. Cum aliqui Tyrocinio Vilnæ absoluto, ad Philosophiæ studium Brunsbergam tēderent, vento aduersante, in sinu Curlandico hæserunt. Nautæ compotationibus dediti, magis ac magis cœlestes iras acuêre: hic nostri cum turba nautica crapulam digessisset, in ebrietatem inuecti, eos ipsos contrariæ procellæ causam testati, omnes demum hortati sunt, vt deinceps ab hoc vitio sibi cauerent, & numen offensum orando lenirent; coacta itaque omni

omni familia, vno è noſtris præuio, flexis genibus, coronam B. V. dixerunt, actutum venti nō ſolum mitigati, ſed etiam in ſecundos flatus, cunctis mirantibus, conuerſi ſunt. Acceſsit ad meritum, multa patiendi occaſio; omnes morbis conflictati, fame preſsi, hoſpitijs noctu excluſi, ab hæreticis mirè exagitati ſunt, Deo tamen duce, ſalui ad Collegium omnes peruenerunt.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

SOcij tres ſupra triginta in Collegio Pultouienſi commorantur. Sacerdotes duodecim, quorum duo res ad conſcientiam pertinentes tractant, duo alij explicando Ariſtoteli, Mathematiciſque ſubtilitatibus operam nauant, vnus grammaticæ Magiſtrum agit, vnus Scholis præeſt, & ſimul Concionatoris munere fungitur, reliqui in auxilium proximorū incumbunt. Præceptores qui Sacerdotes non ſunt, quinque numerantur. His accedunt Philoſophiæ ſtudiis occupati octo, vno pauciores fratres, qui circa domeſtica miniſteria verſantur. Singulari quippe Diuinæ erga nos prouidentiæ adſcribendum eſt, quod in omnem audaciam proiectiſsimi homines, dum contra fas Ciuitatem intolerabilibus exactionibus oneraſſent, atque adeo multas de adoriendo, expilandoq; Collegio, minas effutiſſent, id nihilominus attentare auſi non fuerint. Et verò paratos illos fuiſſe ad perpetrandum, quod minitabantur facinus, vel ex eo conſtat, quod dum

ſtationem mutaturi, vrbe excederent, & iuxta noſtras ędes tenerent iter, quidam eorum tum tẽporis egenti ſtipem offerens, ipſum admonuit, vt ſolueret Deo preces, qui faciendæ rebus noſtris extremæ iniuriæ, decretam in animo, effectui dari machinationem non ſiuit. Seminarij Diœceſani, extra mœnia ſita domus, plenam omnino periculi ſuſtinuit eorum incurſionem. Quippe veriti collectæ manus ibi inſidias, armati ſub noctem, vi amotis foribus in eam irruperunt. Alumni tunc Præfecto Seminarij abſente, eius Socio adiunctum ex Collegio Magiſtrum penes ſe habebant, metuque inopinato deiecti, lumine in atrio relicto, ſe ſe ipſi in latebras coniecerant. Ergo introgreſsi milites furere, ſtrictos gladios in omnes partes verſare, & parietes ferro quatere, inconditis vociferationibus hoſtes ad congreſſum prouocare. Dum luſtraſſent cubicula omnia, nullumque præter paucos adoleſcentes, & duos ex noſtris deprehendiſſent, tunc è veſtigio, omnem penitus ferocitatem depoſuerunt, eorumque ductor, mitioris vir ingenij, inſolentis ſui facti rationem illis pertexere, nimirum quod experiundæ veritatis cauſa ex parte inſidiarum latentium, de quibus rumor in vulgus emanauerat, domum illam quieti deſtinatam fuiſſent ingreſsi, ad pedes eorundem aduolui, culpam agnoſcere, veniamque cæterorum nomine poſtulare cœpit. Quin etiam ad omnium quæ illata eſſent, damnorum faciendam compenſationem, paratum ſe eſſe oſtendit. Non minorem cæteris quoq; externis, afflictiſsima Patriæ facies ingerebat ſolicitudinem.

Itaq;

Itaq; illi etiam ſolito maiorem curam ad rei diuinę cultum adhibuerunt. Bis inopibus magna cũ charitate, & ſubmiſsione animi abluti exoſculatique pedes, epulum dederunt, ad ægrotos maximè cõdiſcipulos, ſacra deportatur ſynaxis, illi in ordinẽ diſtributi, cum cantu, & ſymphonia, quæ res mirum eſt, quantum ad ædificationem Ciuium conferat, proſequuntur. Loca pia intra, & extra mœniorum ambitum quacunque extant, voluntate ſumma inuiſunt. Cuiuſuis hebdomadæ acerbiſſimæ Chriſti paſsionis memoriæ dicatis ferijs, acriter flagris ſe cædunt. Altaria ad ſacros ipſorum vſus deſtinata, liberaliter noua ſupellectili augẽt, & exornant. Eorũ exempla ſtimuli ſunt reliquorum Scholaſticorum. Nam & hi ſæpius in menſe peccata Sacerdotibus detegunt, & menſæ Angelicæ participant. Modeſtiæ ſunt obſeruantes, quotidianis domeſticis, quas in Scholis didicerunt, precationibus vacant ipſi ſedulo, alijsq; quibus conuiuunt, ijſdem vt inſiſtant veſtigijs, facile perſuadent. Carnales ad Matrimonij honeſtatem permoti. Filius teneræ adhuc ætatis, ſed noſtræ educationis, rebus parentis bene conſuluit, nimirum petuaſit illi, vt malæ famæ iuuenculam velut peſtiferam Syrenem, è domo ſua exigeret. In loca, quæ proprijs Curionibus deſtituta erant, noſtri miſsi, eorum munia ſtrenuè obiêre: infantes ſacro Baptiſmi fonte luſtrarunt, ad ægrotos Euchariſtiam portarunt, Matrimonij fœdere multa paria ſociarunt. Ad nonnullas etiam regias Ciuitates inſtitutæ miſsiones. Iubilæum, & Plenaria Indulgentia promulgata, maximis cum incolarum,

aduenarumq; gratulationibus ſunt excepta, tanta inde conſecuta eſt vtilitas, vt innumeri priſtinæ vitæ detectis flagitijs, ad meliorem ſe ſe frugem receperint. Quamuis vero Pultouia ſit fauore Dei ab omni hæreſeos labe immunis, nihilominus nõnulli aliunde huc aduentantes, ab ea ſunt expurgati: è quorum numero adoleſcens Dantiſcanus, ita Orthodoxæ fidei amore inflammatus, à Lutherana contagione abhorret, vt etiã exhæredationem bonorum paternorum minimè curet. Optimi Præſulis Alberti Baranouij, in Cuiauiæ ampliorem Epiſcopatum diſceſſus, quanto amore noſtram familiam complecteretur, manifeſtauit. Siquidem ante abitum in noſtro templo rem diuinam peregit, eodemque tempore vnius è noſtris concioni (quibus alias mirificè ſemper oblectabatur) interfuit, vna nobiſcum in Refectorio prandium ſumpſit; dumque ei vnus ex Noſtris, totius nomine Collegij valediceret, & gratias ageret, quod in publico Regni conuentu nomen Societatis, contra maleuolorum linguas protexerit; ſubintulit laudatiſsimus Præſul, quidquid feciſſet, minus laude noſtra eſſe: quæcunq; in ſe bona animaduerteret, quæcunq; in adminiſtrando Epiſcopali officio præſtitiſſet, ea omnia ex noſtrorum omni obſeruatione digna cura, & ſtudio profecta. Inſuper in defenſione ordinis noſtri vbicunque locorum fuerit, effusè liberalem futurum patronum. Hæc ille lacrymans dicebat, & nobis pariter adſtantibus hæc eiuſdem verba lacrymas elicuerunt. Hic quoque annus luctuoſus nobis, cum aliorum benefactorum, tum præcipue magnifici D. Pauli

D. Pauli Kosthа morte accidit: hic Beati nostri Stanislai germanus frater natu maior, eius vitæ sanctimoniã egregiè est imitatus. Per annos viginti Diuinum officium, horasq; B. V. recitare nunquam intermisit, ieiunijs deditissimus, beneficentia in pauperes singularis, cultus Ecclesiarum admodum studiosus, ideoque bona sua omnia in pios vsus conuertit, mortemq; vita anteacta longe dignissimam promeruit.

DOMVS VVARSZAVIEN.

DVodecim hic commorati, octo rerum spiritualium, temporalium cæteri administri. Cui veneficiorum peruersitas, gratiam ceruisiæ bene coquendæ, magno suo damno ademerat, aquæ lustralis primum, tum deinde Exorcismorum vsus, iacturam magno cum fœnore compensauit. Cæterum in subleuandis inopum miseriis, hoc anno potissimũ nostrorum desudauit industria. Nam cum summa ex annonæ inopia, fames pertinaci malo pauperes opprimeret, morborum etiam, & maxime pestis contagio, immitius grassaretur, probe, & opportune illis, tum diuersorijs accommodis, tum Nosodochijs nostrorum hominum opera consultum est. Lucem illam, quę almo parenti N. Ignatio celebris habetur, noua hic hoc anno adhibita solennitas illustrauit. Diuinã quippe rem magno apparatu, & qua par est celebritate felici auspicio peregimus, clero, & plebe vniuersa nostris studiis annuente, & peculiari deuotione sua comprobante.

COLLEGIVM NIESVISIENSE.

QVANTA bona missiones crebras consequantur, vel huius anni 1607. experientia abundè nos docuit. Nulla villa tam vilis, nullum Oppidum tam paruum, nulla aula tam excors fuit, quæ non aliquem pietatis fructum nobis dederit. Varijs in locis, variorum hominum confessiones plurimæ sunt auditæ: aliquæ illorum, qui nunquam in vita erant confessi, nec sciebant quid esset confessio: aliquæ de integro à pueritia repetitæ: aliquæ multis annis omissæ, in vsum reuocatæ: aliquæ perfidè factæ meliore conscientia reuocatæ. Post Confessionis, & Eucharistiæ ministeria, positus est labor, in superstitionibus, vltionibus, odijs, luxuriis, hæresibus, schismatis, aliisq; id genus vitiis extirpandis. Abducta est vxor à veneficio, quo maritum in amorem sui accendere, ab omnibus aliis fœminis auertere cogitabat. Mulieres rusticanæ ferias sextas ita sanctè obseruabant, vt nefas esse ducerent, vel manum alicui operi, feria sexta admouere: contra diebus Dominicis, nendi, texendi, quosuis labores obeũdi potestatem sibi vsurparũt. Hæc vana religio ab animis illarum depulsa, & reductæ sunt in Ecclesię disciplinam. Docebat noster alicubi, quã essent damnabiles inimicitiæ, & ad mutuã Charitatem populum hortabatur, hortationem optatus effectus eodem die subsecutus. Quidam enim vir non vulgari nobilitate præditus, insidiatorem suũ hæreticum, quem penitus discerpere poterat, vita do-

donauit, imo & gladios ab eo famulorũ ſuorum magno conatu repreſsit. Venerat ſicarius ad hoſpitium viri nobilis, vt eum interficeret, lateri eius bombardam ex improuiſo admouit, rotam ignìuomam cõcitauit, pulueres erant accenſi, ſed Dei bonitate globus non exploſus, fremebant famuli, tam audacem nebulonem enſibus è veſtigio concidere cupiebant: Dominus ſedulo obſtitit, hoſtemq; illæſum ex hoſpitio abire iuſsit. Ipſe a. pro accepta incolumitate, gratias agens Deo, pœnitentiæ opus apud Sacerdotem noſtrum fecit, & quomodo repentinam mortem diuinitus euaſiſſet enarrauit. Sub idem tempus alio in loco, alius dignitate, & genere præſtans vir, militibus, qui in domũ eius hoſtiliter incurrerant, vnumq; ex domeſticis trucidauerant, ipſum in magnũ vitæ diſcrimen adduxerant, omnem iniuriá condonauit, crimine homicidii excepto, quod iure perſequeretur. Quo enim die duo ex inuaſoribus ſupplicio erant plectẽdi, audiebat Dominus Miſſam noſtri Sacerdotis, in qua Euangelium ferię ſextę Cineralium, de inimicis diligẽdis legebatur, ac dum pronunciantur verba Chriſti: diligite inimicos veſtros; ſenſit impulſum quendam animi ad ignoſcendum ſuis turbatoribus, quem eundem affectum, eodem tempore, & noſter in ſeipſo ſenſit, cogitabatque ſtatim, vbi perlitaſſet, dominum huius rei admonere. Admonuit quanquam per ſe ad clementiam incitatum. Dominus enim re Diuina peracta, confeſtim tribuno militum denunciari iubet, parcere ſe vinctis, & ſalutem donare.

 Alter

Alter probus alioqui vir, & cultor Christianæ religionis eximius, contumelia affectus à maleuolis, quæ ruinam famæ secum trahebat, consilia vindictæ animo fortiter impressa, expromere iam iam cogitabat. aderat enim opportunitas, nec deerant socij, prompti ad quæuis subeunda. Verumtamen Dei beneficio, prius consilia nostra explorare voluit, quam foras erumperet cum suis. Ergo semel atque iterum ad nos accurrit, narrat quo in statu versetur, quantam rem, quibus viis aggredi cogitet, exponit. Post multa vltro, citroque dicta, conclusum quod recta ratio, & Christiani institutum exigebat, vt modis decentibus malum à se propellere contendat, simulque ijs instructus, & confessione expiatus, animi æquior discessit. Mercator opulentus, ex Ciuitate Ducis cuiusdam libera, insimulatus fraudis apud supremũ Teloniorum Præfectum, Dynastā multis honoribus perillustrem, merces multorum millium amisit: hinc inter Ducem, & Dynastam veteres amicos, inimicitiæ: perfectum tamen est Deo iuuante, ne in lõgum procederent; & merces mercatori fere integræ sunt restitutæ. Multis religio iniecta, vt si gratiæ, & gloriæ compotes esse velint, quæ rapinis, vsuris, fraudibus, iniquitate aliqua cumularunt, ea secundum iustitiæ regulam expendant. Etiam ex impuris amoribus extracti multi, meretrices viginti septem, stabili matrimonio copulatæ. Aliquot impudicæ honestiores effectæ; adulterium coërcitum. Ex Rutheno solo Schismatico, in Catholicum Romanum transplantati sunt septemdecim: habitæ Conciones ad Ruthenos fideles aliquoties

liquoties, in æde ipſorum ſuburbana, ſermone Ruthenio. Iuuenes Schiſmatici ſororem ſuam Virginem ludibrijs, & ſuggillationibus varijs impetebant, quominus ad Noſtros, in quodam Pago commorantes, Confeſsionis gratia excurreret; illa apud vicinum equum, & currum nacta, noctu ſex milliaria bene longa inſomnis confecit, diemque natalem B^tæ Virg. Sacramentorum participatione (quemadmodum exoptabat) cum noſtris celebrauit. Eadem virgo connubium Arriani locupletis ſpreuit, metuens ne ſi illi nuberet, de fide periclitaretur: & coram noſtro eſt profeſſa, nulli hæreticorum vel opulentiſsimo, ſe vnquam nupturam. Hæretici nouem ſunt in numerum Catholicorum aſcripti: aliquot nutantes in fide confirmati, libri tam moribus, quam religione infecti, quibuſdam aulicis adempti. Narrauit quidam homo Nobilis, ſuum famulum, ex quo Catholicus eſſe cœpit, boni famuli officio fungi, cum antea ſemper, præſertim quo die Prædicationi, aut cœnacioni Caluinianæ operam nauaſſet, aliquid mali, damniue ſolitus fuerit perpetrare. Quidam plures ſectas peruagatus, perfidiam perfidia commutabat, prout occurrebant Domini, quibus famulabatur, iam ad veram fidem redactus, ne rurſus ſpiritu leuitatis circumferatur, iuramenti vinculo ſe conſtrinxit. Maritus hæreticus, vxori Catholicæ infirmæ Sacramentum non modo Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, verumetiam extremæ vnctionis, alioqui huiuſmodi hominibus inuiſum, ſollicitè, & cum lacrymis expetiit. Senex ſeptuagenarius, natus hæreticus, confeſsionem Auguſtanam

in quam iurauerat, abiurauit. Et cum à plerisq; valetudine desperata haberetur, confessus de cōtractis tota vita vitijs, & corpore, ac sanguine Dominico pastus, subito conualuit. Serui eius vxor, dum misera in morbo graui cōfessionem procrastinat, quando minime sperat, sine Sacr^tis^ è vita discedit. Similem pœnam, similis clementiæ, & altera exoluit. Illa vtrumq; in crastinum differt. Frustra. Linguæ vsu summo mane pariter & vitæ priuata est. Tradita est doctrina Christiana homunculis agrestioribus in oppidis, pagis, plateis, suburbijs: obitæ illorum domunculæ, impertitæ omnibus monitiones, & consolationes, pro cuiusq; necessitate: quorum officiorū partem non postremam Coloni quoq; nostri retulerūt, & gratias agebant nostris, quod tam humiles ipsorum casas subire nō essent dedignati, orabantq; vt sæpius eas adirent. Fuerūt aliqui adeo stupidi, vt post hanc vitā superesse aliam, & bonis in cœlo præmia, malis supplicia in Inferno parata ignorarent: aliqui qui prima principia fidei, ac mysterium SSæ Trinitatis nescirent: aliqui qui vigilias & festa Apostolorum nō nossent, quibus ad bene agendum, & intelligendū apertus est sensus. Infantes ex eadē gente villana Baptismo initiati triginta sex, coniugio sociati nonnulli. In aulis Nobilium ad flagella, & cilicia aliquot adducti: à violanda esu carnium Quadragesima, alij abducti. In Ciuitate Nouogrodensi, cuius supra mētio facta, sodalitas Ciuiū, sub nomine Dei Matris, à quodam pio Sacerdote, nō pridem instituta, atq; ob eius migrationem in alias sedes pœne collapsa, restaurata est. Excitatus feruor sodalium, hortatio-

tionibus priuatim, & publicè: factaq; ab illis processio, cum acri diuerberatione, satis frigido cœlo, ac longo tractu, ex foro ad templũ, die hebdomadæ sanctæ, quo & Christus pro salute generis humani est flagellatus. Infirmis & morientibus apud Niesuisienses nostros seruitum: quod obsequium illi ad nos solos deferunt. Carcer, & Nosocomia frequentata. Sanctimoniales Benedictinæ, crebris confessionibus, & Concionibus adiutæ. Canonicus quidam Cathedralis, priusquã munus Canonici est aggressus, pietatis exercitia septẽ diebus in Collegio fecit. Vilnæ in particulari conuẽtu Nobilium, vbi erant aliqui obtrectatores nostri, Vilnensi Antistiti dixit: mecum, inquit, erit iste labor: Ego Ecclesiæ, & Iesuitarum patrocinium sustinebo, & reuera sustinuit, multumq; nobis auctoritate, & prudentia sua commodauit. Quando filij eius redierunt ex Italia, ad prædium eũ vna cum filijs inuitauimus. Venit, vt & liberius ageret nobiscum, omnem comitatũ à se dimisit, planeq; sicut vnus ex nobis, & prandium in Refectorio, & Recreationem in horto iucundè cum fratrib. trãsegit. Fauent nobis & aulici Principis. Vnus ex co hortibus, quæ mittebantur ad comprimẽdam insolentium militum seditionem, certam pecuniæ summam in Collegio deposuit, futuram Collegij si in conflictu caderet, vel restituendam si incolumis rediret. Duos immeritò nobis inimicos, meritò fecimus amicos, vnũ ex ordine Senatorio, qui verbo vnius ex nostris se læsum esse affirmabat: alterum ex Equestri, qui ob dimissum è So^{te} Nepotẽ, ad iram descenderat. Principes nostri iuniores duo,

duo, aulici complures, Parochi viciniores aliquot, Sacerdotes quoque Niesuisienses augent numerum, & famam Sodalitatis. Puer quidam Nobilis ex hoc cætu, indole, & ingenio singulari, sua sponte hic Catholicus factus, domum vocatus à Patre, nullo modo ire voluit: malle se dicebat, vbiuis gentium viuere in miseria seruum alicuius, quàm ad domum paternam redire, vbi sciret à Patre, & Prædicantibus Caluinianis dolos primum, deinde apertam vim sibi paratam ad deserendam fidem. Adolescens quidam, vt expeditius in via Diuini obsequij progrederetur, relictis omnibus, alacritate magna Societati se nostræ adiunxit. Cultor quidam oratorij Parthenij, quod vno ante obitum anno fuerat complexus, florenos centum sodalibus testamento legauit. Egregium specimen virtutis præbuit & ille discipulus noster, iuuenis nobili loco natus, qui exosus Anabaptismum, priuatim in sacello à Parocho baptizari voluit: cumque accersitus à Patre Anabaptistarum coriphæo traheretur ad sacrilegam mersionem, liberè respondit, se iam esse baptizatum: Cum mitteretur studiorum causa ad hæreticos, dixit se esse alienum à literis, curiam sibi esse cordi, quod finxit vt contagionem hæreticam deuitaret. Sacellum nostrum D. Michaeli in colle suburbano positum, concursu hominum magno, non modo vulgarium, sed nobilissimorum etiam hoc anno est celebratum. Plurimi ad illud iam vsque à triginta milharibus nostratibus partim pedites, partim currules venerunt. Non illos dies infesti densissimis pluuiis, non difficultates itinerum,

non

non latronum circa Nieſuiſium graſſationes impediuerunt, quo minus hic diem Feſtum Principis Angelorum ſolenniter agerent. Vix erant confeſſarij, qui tot pœnitentibus ſatisfacerent. Et ſanè res admirabiles in hac æde continuantur. Fœminæ cuidam nobili natuserat puer, habens ingentem in collo ſtrumam, inſtar alterius capitis, ita vt monſtrum biceps videretur. Hunc ipſa Nieſuiſium ad medicos tulit. Sed cum nec medicus, nec chirurgi præcidere ſtrumã auderent, & puer ab omnibus breui moriturus diceretur: mater, vt erat afflicta, ne puerum morientem cum ſuo maiori dolore cerneret, vtq; eum Domino commendaret, ad templum Collegij noſtri ſe contulit. Vbi cum multis lacrymis, filium Deo commendans, ac præ mœrore veluti extra ſe poſita exiſtens, vt primum animum collegit, cœpit cogitare: quid ego me dolore excrucio, quid lacrymas fundo? fiat voluntas Dei, viuat, vel moriatur, prout ei, qui vitæ, & mortis habet imperium, viſum fuerit. Subinde autem poſt has cogitationes venit illi in mentem, peregrinationem cum puero, ſi fuerit ſuperſtes, ad ædem D. Michaelis ex voto facere. Et vouit ita ſe facturam. Gratum hoc accidiſſe Diuo euentus declarauit. Nam reuerſa ex Templo in hoſpitium, filium quem iam mortuum exiſtimabat, melius valentem inuenit, ſtrumaque ita ſenſim minui cæpit, vt intra ſemeſtre abſque vllis prorſus medicinis euanuerit, præterquam quod in loco ſtrumæ, quaſi verucæ, aut tuberculi quidam ſub cute mãſerint. Memor tãti beneficij mater, votum religioſè exſoluit,

ſoluit, atq; in perpetuã diuini operis memoriam, diſcum argenteum cum ampullis item argenteis, ſacello D. Michaelis dedicauit. Ipſo die anniuerſario patroni Sancti, mulier quædã nobilis decrepita, ab Arrianis ad Catholicos recens conuerſa, narrauit vni ex Noſtris, ſe tria maxima milliaria, ad S. Michaelis ædem peditem confeciſſe; cum ante in Arrianiſmo, nec quartam milliaris partem conficere vnquam potuiſſet.

COLLEGIVM RIGENSE.

IN Collegio Rigenſi hoc anno, recenſiti ſocij nõ amplius quatuordecim, ſeptem Sa^tes; totidem fratres, ex quibus duo iuuentutis literarũ diſciplinis informandæ munere perfuncti ſunt: à reliquis quinque domeſtica Coadiutorum miniſteria curata. Fuit a. annus iſte varijs noſtrorum laboribus in ſalutem animarum ſedulò impenſis cõſpicuus. Sa^dos vnus cum ſocio, aſsiduis ferme miſsionibus ruſticæ Lotauorum plebeculæ, egregiã imprimis nauauit operam: neq; tamen interea à Pręfectis arcium, militibus, cæterisq; viris nobilibus, idem ſalutare ſpiritualiũ rerum ſubſidiũ paſſus eſt deſiderari. Pari ratione alter Sacerdos, ternis in Samogitiam conterminam Liuoniæ Prouinciã excurſionibus, ex illo pœnè ſylueſcẽte agro, nõ contemnendis animorum fructibus horreum D^ni cumulauit. Cæteri nihilominus vicinioribus ipſi Ciuitati indigenis, ꝑplixa Ch^tus viſcera exhibuere, eos conueniendo, Sacra^ra adminiſtrando, aliaq; Soc^tis munia ſtrenuè obeundo. Porrò Ciuitas ipſa, quantumuis execranda Lutheranæ dogmata obſtinaciſsimo animo propugnet; efficere tamen neutiquam

quam potuit, quo minus rerum Diuinarũ fructus (à quo incolas ſuo imperio ſubiectos, impijs edictis arcet) in turbam Polonorũ, Germanorũ, atq; Lothariorum huc cõfluentium deriuaretur. Iuuenes aliquot præclaræ indolis, noſtrorum conſilio, & hortatu ſolum verterunt, & ſtudiorum gratia, alio ad Scholas noſtras, frementib. licet hæreticis, parẽtibus & propinquis, ſeſe contulerunt. Pœnitentiæ Sacramento per confeſsionem expiati quinquies mille, octingenti, vnde ſexaginta. Sacroſancto autem Euchariſtiæ conuiuio refecti quatuor millia, ſeptingenti triginta. In eo quoq; numero reperti ſunt ſeptingenti nonaginta octo, ætatis plerique iam prouectioris, qui maculis iam inde à pueritia contractis conſcientias repurgarunt, quippe cum nunquam ante hac ſalutifera illa myſteria frequẽtarint. Inducti etiam ad crebriorem confeſsionis vſum centum & octo, quorum aliqui à viginti, aliqui à nouemdecim, complures à decem annis, ab hoc ſecreto cum Sacer^te congreſſu abhorruerant. Eccleſiæ Catholicæ reſtituti octoginta duo: ex his Caluino ſedecim, Luthero 57. ſchiſmati Ruthenico nouem renunciarunt. Sacro fonte abluti ducenti ſeptuaginta nouem. Coniugio Eccleſiæ ritu copulata trecenta quinquaginta tria. Ab adulterio, ad legitimum thorum quadraginta ſex reuocati. Perurgebat quendam noſter Sacerdos, ad iterandam confeſsionem anno præterito, eiurata hæreſi, primitus, & imperfectius factam. Aſt ille in negotio religionis rurſus vacillans, ac monita negligens, vidit nocturno tempore virum, grandi natu, ſibi tunc morbo laboranti acerba

quæq;

quæq; minitantem, nisi hortatui Sacerdotis morem gerat; quo viso perculsus, vt primũ vis morbi aliquantulum mitigata est, à quatuor milliariorum interuallo Rigam aduolauit, ingratitudinem, atq; tepiditatem suam incusans, moxque confessione deletis noxis, sacraque Synaxi percepta, animi quietem recuperauit. Nec minus etiam admiranda Diuinæ bonitatis magnitudo spectata est, in Samogitia, circa hominem nobili loco natum, & ab ineunte ætate, Caluiniana peste infectum. Is ad decrepitam vsque caniciem, vitam suam leuitatibus, scurrilitatibus, iocis, ita transegerat; vt apud omnes hoc nomine celebris haberetur. Adueniente tandem in illa loca Sacerdote nostro, subitò ita in alium virum mutatus est, vt ipsius grauitas in agendo, morum modestia, verborum parcitas, crebritas gemituum, ob præteritæ vitæ annos impie traductos, plurimaque alia syncerę conuersionis, nec non pœnitérę signa, omnes quotquot hãc mutationem dexteræ excelsi intuerentur, attonitis similes in stuporem conuerterent. Nobiles huic inopinato spectaculo præsentes, frequentissimi è Sacerdote nostro sciscitabantur, quidnam homini illi fecisset? vnde tam repentina illius in alium virum transformatio? Quin etiam nugarum ipsius optimè conscii, eum vt hypocritam ludos facere, cachinnis excipere, omnibus modis (amicè tamen, & familiariter) vexare cæperunt. Quæ omnia ille imperterrito animo sustinuit, Diabolicas machinationes ad se à proposito auertendum, instructus agnouit, ludibria, derisionesque familiarium suorum contempsit. Pœnitentiæ Sacramentum

mentum delictis medelam adhibuit, Sacerdoti acerbiſsimo doloris ſenſu, vberrimisq; lacrymis, vniuerſæ vitæ ſuæ ſcelera patefecit, ſacrum Dominici corporis acceſsit epulum; demum ſumma omníum admiratione, longè à priore diuerſam viuendi rationem inſtituit. Per idem tempus complures in locis adiacentibus, de Patris noſtri aduẽtu certiores facti, quatuor, & quinque milliariorum, non obſtante magna cœli iniuria, totum aërem tempeſtatibus grauiſsimis permiſcente, accurrêre, vt conſcientiæ ſuæ ſarcinas apud eum deponerent. Inter alios Matrona etiam nobilis hæreſi adhuc implicita, Catholicum maritum, multis, & importunis precibus ſolicitauit, vt ſecum ad Eccleſiam iter ſuſciperet, magno ſe flagrare deſiderio Ieſuitam ſemel pro Concione dicentem audiendi. Voti eſt facta particeps, doctrinam Catholicam mirum in modum approbauit, noſtrum enixè obteſtata eſt, frequentius vt rediret, promiſitq; fore, vt ipſa quoq; cum vera Chriſtianorum matre, S^a Eccleſia Catholica reconciliaretur. Miles iam ſenio grauis, olim Confeſsione peccatorum admodum perfunctoriè facta, totos triginta annos ab ea repetenda ſe ſe abduxerat: hunc ex deſperationis prope barathro extractum, Sacerdos noſter eo perduxit, vt conſcientiæ labes, per omne vitæ ſuæ tempus cumulatas, pœnitentiæ Sacramento ejiceret, & tandem Dei beneficio, non ſine ingenti conſolatione ſua, ſpem ſalutis conceperit. In Rigenſi ſuburbio, infirmus quidam diuturno morbo iam ferè depoſitus, à noſtro Sacerdote viſitatus, abiuratis Lutheranorum pręſtigijs,

ſacræ Confeſsionis remedium, animi morbis ſanandis adhibuit: Eius domunculam nocte inſequenti grunnientium porcorum ſpecie immundi Inferorum ſpiritus, tāto impetu forinſecus inuaſerunt, vt eam à ſedibus imis ſubuerſuri viderētur, ægrotans lectulo affixus, omnibus viribus exhauſtus, aduerſus hoſce malignorum terrores, ſigno Crucis ſe munijt, Sacroſanctum nomen IESV ingeminauit: poſtero die aquæ benedictæ aſperſione facta, Exomologeſi repetita, Chriſti Corpore in uenerabili Sacramento accepto, ab infeſtatione Sathanica liberatus eſt. Mulier, infandis ſagarum veneficijs infaſcinata, quinis partubus miſerandū in modum abortiuos fœtus enixa eſt: hæc à Deo, rebusq; ſacris, calamitatis ſuæ præſidium quærendum rata, ad preces, & obſecrationes Eccleſiæ animum conuertit, ſale benedicto, aquaq; luſtrali vſa, animo per peccatorum ſuorum, apud Sacerdotem noſtrum explicationem, expiata, & hoſtię ſacræ antidoto munita, viuum tandem eodem anno infantem peperit. Quidam à Patre noſtro ad conſcientiæ rubiginem extergendam, perſæpe, & multum admonitus, verum ſemper ventis irrita verba dabantur, non longo tempore interiecto, contemptoris domus, fulmine è cœlo vibrato feritur; ignis intra ædium nil læſarum parietes diſcurrens, domeſticos adurendo, ipſum verò obſtinatum immatura morte abripiendo, diuinitus declarauit, ſalutaribus ſuaſionibus non eſſe pertinaciter reluctandum. Præfectus militum imminentibus iam hoſtibus, non ſine periculo, à nonaginta paſſuum millibus, Rigam miſit petitū, vt ſibi

vt ſibi noſtri Sacerdotis copia fieret, cui ſecreta cõſcientiæ cum euoluiſſet, ac de ſacra altaris menſa, vna cum quibuſdam militum ſuorum participaſſet, hoſtium conatus minus formidauit, & poſtea aliquot eorum aſſultus præclara victoria repreſſit.

Opulentus quidam mercator, adeo impius Caluinianæ ſectæ aſſertor fuit, vt non raro palam proteſtaretur, ſe Diabolum, quam Societatis noſtræ hominem hoſpitio ſuſcipere malle. Is in Vendenſis Ciuitatis expugnatione, à Suecis ſclopeto per brachium traiectus, Rigam curandi vulneris, dilatione iam exacerbati, cauſa, delatus eſt. Hominem Sacerdos noſter benignè inuiſit, quo ille humanitatis genere mirificè delectatus, multum primo de concepto in nos odio remiſit; frequentatis deinde officijs, eo adductus eſt, vt haud paulo grauioribus amini vulneribus curationem admitteret, atque inde confeſsione facta hæreſim eiuraret.

Cum autem animaduerteret, ſibi malo ingraueſcente, mortis diſcrimen eſſe ſubeundum, ſummis precibus inſtitit, vt vita ſolutus, in templo noſtro ſepulturæ mandari poſſet: neque fruſtratus eſt votis. Ergo qui viuus nobis hoſpitandi locum in ædibus ſuis negauerat, is à noſtris ſibi mortuo quieſcendi honorificum hoſpitium impetrauit. Præfectus cuiuſdam arcis vir nobilis, & Catholicus ita à noſtrorum abhorrebat conſuetudine, vt iureiurando ſibi interdiceret, nunquam quoad viueret conſcientiæ

ſuæ maculas Sacerdotib. noſtris manifeſtare:quo animo quadriennium integrum à pœnitentiæ Sacramento prorſus abſtinuerat. Is tandem hoſtibus Arcem nullo præſidio defenſam inuadentibus, ne in poteſtatem eorum veniret, abſtruſo quodam antro diruti fornicis ſeſe abdidit, ibique triduana inedia vitam tolerans, ſaniora conſilia inire cœpit; imprimis B. V. quæ apud Creſtochouiam, Poloniæ Oppidum religiosè colitur, votum nuncupat; deinde cum hoſtium omnes circa eum angulos rimantium, antrumque illud perſcrutantium oculos, non ſine miraculo effugiſſet, Rigam veniens, primo ab vno noſtro Sacerdote, ad faciendam exomologeſin, poſtmodum rediens ab altero, ad eandem iterandam inductus, vna cum coniuge ſua, mariti exemplo, atque ſuaſu, à biennio quoque non confeſſa, & noſtrorum conſuetudinem declinante, cœleſtis menſæ particeps effectus eſt.

Duo claritate generis cōſpicui, capitalibus odijs, & ſimultatibus diſsidebant, eos Sacerdos noſter, ſublatis, atque compoſitis inimicitijs, ad concordiam reducere conabatur; ſed quemadmodum ab vna factionis parte, omnia quæ ad pacis fœdera cōſtituenda requiri exiſtimabantur, nullo negotio impetrari licuit, ſic ab altera omnibus perſuaſionibus, & rationibus adhibitis, nihil minus extorqueri potuit, quam mutua animorum reconciliatio: totus inflammatus erat in vindictam de hoſte ſumendam, nullius, quantumuis ſummæ authoritatis precibus, vel conſilijs locum relinquens. Egit cum homine noſter, & crebrius, & prolixius, conatu

conatu irrito, ad extremum ne quid intentatum relinqueretur, quod induratum pectus emollire valeret, comitatur per alius itineris spatium alio proficiscentem, nec ibi tamen quicquam proficiens, Diuinam vltionem interminatur pertinaciæ hominis, nec ita multo post euentus ipse Sacerdotis prædictioni respondit: Per quadraginta enim, & aliquot millia passuum, Duna fluuio omnem illi transitum præcludente, reuerti coactus est. Tum demum agnita Omnipotentis voluntate, cum aduersario pristinam in gratiam rediјt, omnem rancorem, atque animi amaritudinem deposuit, vindictæ cupiditatem in fauorem, atq; beneuolentiam commutauit; nec his contentus, amoris istam redintegrationem, perceptis Sacrosanctæ Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis stabilire, ac quodammodo obsignare voluit. Quibus peractis, cõstitutam suam profectionem, melioribus ominibus aggressus simul, & emẽsus est. Superstitiosa persuasione stolidè quidam decipiebatur, existimans se certis indicijs coniectare posse, num eo anno sibi è vita discedẽdum, num verò eius munere diutius gaudendum esset; si sacra Natiuitatis nocte, nugas quasdam edidisset, superstitionem vanam, & stultam esse vt crederet, Sacerdos noster homini persuasit, eique per salutarem confessionem, & cœlestis alimenti communicationem, mentem saniorem restituit. Operæ precium fuerit hoc loco commemorare mirabilem, ac miserabilem nobili cuidam militi, ab horrendis spectris illatam diuexationem, incussumq; terrorem, ei circa domum suam, ad ripam fluminis de-

ambulanti, auicula ſuaui melodia ita demulſit, vt nonnunquam recederet, eumque nonnihil longius ab ædibus abduceret; ille tandem ſubſiſtens, voces per aërem ingeminari audiuit: Miſerere, miſerere, mox exterritus, domum quantocyus regreditur, ſed ecce auicula eadem hypocauſtum per feneſtram intrat, in medio conſiſtens varium occinit, miſerere ſubinde inclamat, tandem repente diſparet. Auiculam ſubſequitur phantaſma mulieris, miles nulla quiete perfrui ſinitur. Conuocatis omnibus domeſticis, adfuit inter reliquos maritus quoque cum vxore, cuius ſpecies præſentabatur per ſpectrum, ab ea grauiſsimis comminationibus exquiritur, num veneficijs talia efficeret: illa omnino pernegat, nobilis horrore plenus, abſq; mora fœminæ illius maritum, iunctis quadrigis, Sacerdotem noſtrum accerſitum expedit, ille in Prædio nullum reperiens, Rigam aduolat, D[ni] Epiſtolam profert, petitur quam citiſsimè presbyter vt mittatur. Interea nobilis conclaue ſpectris, vrſorũ, luporũ, ſerpentium, ranarum vndique circumcurrentium cõpletur. Vniuerſa familia formidine plena, ad orandam congregatur. Litaniæ recitantur, beſtiæ miſero in collum, guttur, aures, os, & reliqua mẽbra inſiliunt; ille ſigno Crucis ſe munit; ſpectra ſuffocationem minantur, ni à frequentando Crucis ſigno, Litanijsq; repetendis abſtineat, ille minas contemnens, nihil ab incepto deterretur, affligitur tamen noctes, dieſque, tum famulorum acerbiſsima compaſsione, tum etiam omnium domeſticuorm grauiſsimo luctu, & comploratione.

Tunc

Tunc rurſus ternæ auiculæ concinunt, ſeq; fœminarum nominibus appellant, requiem, & liberationem pollicentur, ſi eleemoſynas dederit, ponit ille pecunias in locum deſignatum, abripiuntur, plures exiguntur, non denegantur, durāt nihilominus phantaſmata, milite interim cum tota familia in orationibus impigrè perſiſtente. Protrahitur calamitas in ſextum iam diem, reſonat aër vocibus: Miſerere, miſerere, da eleemoſynam, petimus liberationem animarum triū, quarum nomina propria exprimebantur, fœminarum. Poſt hæc cernit animam cuiuſdā militis, ſibi quondam noti, ea portabatur ab alijs tribus, continuo clamitans, elemoſynas, miſerere. Mulier interea nobilis oculis ſine intermiſsione obuerſatur. Sacerdos adueniens, domum aqua benedicta conſpergit. Imagines Chriſti in Cruce patientis atq; B. Mariæ V. palam in cōſpectu omnium proponuntur, conſecratæ ceræ Agnus afflicto, Diuorumq; reliquiæ ſacræ e cello ſuſpenduntur. Dum Sacerdoti conſcientiæ reſerat latebras, vociferātur ſpectra, ſe Sacerdoti pellem è capite detractura, cōfeſsione expiatus, meliuſculè habere incipit, corpus d uturna abſtinentia exhauſtum, nonnihil refecturus, menſæ accumbit. Dein fuſis precibus, Litanijs recitatis, ſtrato etiam incumbit. Sacerdos pariter in eodem loco ad ſomnum ſe componit. Miles poſt tot noctium continentes vigilias ſuauiter obdormit. Mane experrectus, ijſdem quibus ante impetitur telis. Ad iteratam peccatorum confeſsionem, ex conſilio Sacerdotis ſe ſe diſponit, quod ſi faciat, minantur ſpectra colli obuerſionem, vel certè ſtrangulationem.

Confitetur tamen, & sacrum Christi saluatoris Corpus sumit, dehinc molestia leuatus est omni. Porro laboratum quoq; est hoc anno in doctrina catechistica idiotis, & pueris tradenda. Visitati præterea vicatim Collegij subditi. Christianæ veræque religionis rudimentis instituti, ad pietatem ardentius colendam, pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta crebrius frequentanda, sunt incitati. Inter duo coniugia diuortia facta erant, & vtrinq; ad secundas nuptias progressum, effectum opera Sacerdotis nostri, vt priorem torum repeterent, coniugibus illegitimis cum susceptis prolibus, & dote tradita, remotis. Rumor huius rei ad aures Rigennium perlatus fuit, protinus per vrbem diuulgatum à Iesuitis vxores adimi, alijsq; pro arbitrio tradi, in quo more suo splendidè sunt mentiti. Ministeria societatis collata sunt etiam in cohortes militum Polonorum, quorum precibus vnus è Sacerdotibus nostris accitus, plurimis confitentibus aures præbuit, sacrumque synaxeos epulum ministrauit. Erant in eorum numero Domini aliquot hęreticæ prauitatis sectatores, qui tamen videntes familiam suam hæc Catholicorum pia exercitia frequentare, non modo nihil impedimenti illis attulerunt, verum etiam accedentibus palam bene precati sunt, quin etiam prandio lautius instructo eos in mensa potiori loco collocatos humanissime tractarunt: ipsimet interim inferiori accubitu contenti. Illustrissimus D. Carolus Chodkieuik, Dux Exercitus, nobis addictissimus, de nostra Societate, & honorificè sentire, & optimè mereri non desinit. Eum R.P.N. Prouin-

cialis

cialis in noſtro Refectorio epulo excepit, adiun-ctis primarijs quibuſq; Dominis, & ipſius filiolo. Illu^{ma} ipſius coniunx, ſericeum pannum auro diſtinctum, magni precij munus, pro ſacra veſte Eccleſiæ noſtræ obtulit. Nobilis quidam Curlandus, iam à biennio ad Catholicam fidem conuerſus, vocauit P. Rectorem Collegij, vt infantem recens natum, ſacro Baptiſmatis fonti admoueret, ipſo Curlandiæ Duce, totáque nobilitate factum hoc indignè ferentibus, quem licet ea de cauſa virulento odio proſequantur, inuicto tamen animi robore omnia perfert, auſus veritatem agnitam in Conuiuio toti nobilitati à Duce inſtructo, publicè, ſine trepidatione propugnare. Idque adeo feliciter, vt omnes aduerſarij obmuteſcere cogerentur. Exinde ipſemet Princeps promiſit, ſe impoſterum lectioni Catholicorum librorum operam nauaturum, quod equidem faceret, niſi ab impijs conſiliarijs oblati codices à Ducis manibus auerterentur.

COLLEGIVM POTOCENSE.

HAbitarunt hoc anno in Collegio Potocensi Socij viginti; vndecim Sacerdotes, laici nouem, è Sacerdotibus vnus humanitatem, duoq; alij Præceptores Grammaticam docuêre. Coadiutores veterani sex, tyro vnus. Omnibus spiritualia munera ampla, atq; frequentia non defuerunt, domi forisque, quorum præcipua capita hæc fere sunt. Vsitatum inprimis, ac prope solenne est inter Popos, Græci ritus Sacerdotes, coniugibus diuortia, ac nouas simul nuptias, digressis ab inuicem permittere; in eo igitur errore ex animis, atque moribus hominum euellendo elaboratum est à nostris hoc anno impensius: effectumq; maiori ex parte, vt & Popos suæ imperitiæ pudeat, & vulgus tam noxium apud eos beneficium quærere desistat. Decem vt minimum fuerũt, qui reipsa tales nuptias resciderunt, & ad vetera prioris cõiugij iura redierunt: pluribus idem in voto habentibus, sed implere non valentibus, alia quæ potérant, subministrata remedia. Episcopus sanè Ruthenorum (quem Vladicam vocant) nostrorum hortatu, à tanto potestatis suæ abusu iam abstinet; Popisque sibi subiectis, vt idem faciant, edicit. Quanquam autem adhuc de vera eius cum Ecclesia Catholica vnione vulgò dubitetur, humanitatem tamen eius, quamcũq; optamus experimur. Adit Diuina Officia in nostro Templo frequentius, præsertim Festiuitatibus ijs, quibus ipse, ob antiquam, quam sequitur Calẽdarij rationem, feriatur. Processionem corporis Christi venerabundus

dus ſequitur, proximus Sacerdoti SS^{m} Sacramentum deferenti: Accedit ſæpe Collegium, ſolius officij, & amicæ gratulationis cauſa: in dubijs rebus ad ſua nos adhibet conſilia: Quæ omnia vt ipſimet Vladicæ magnum odium apud hæreticos, & Schiſmaticos pariunt; ita nobis apud eoſdem, licet inuitos gratiam, & bonum nomen conciliant. Atque haud ſcio, an non eodem exemplo, Ciues etiam Potocenſes, licet alioqui manifeſti Schiſmatici, noſtrique, & vnionis ſimul inimici; tamen cum in aliquas difficultates incurrunt, ad nos conſilij, & remedij gratia confugiunt. Cuius vel vnum recentiſsimum exemplum ſufficiat. Obit hîc vices Palatini, in re præſertim Oeconomica, vir quidam primarius, & ſimul apprimè Catholicus, inter hunc, & Ciuitatem grauiſsimæ aliquot controuerſiæ, & offenſæ interceſſerunt, iamque res in manifeſtam ſeditionem, & publicum tumultum propendebat; cum ecce Senatus, præſenti periculo motus, Rectorem Collegij accedit; rem exponit, vtque tam periculoſi, quod erupturum videbatur, incendij opprimendi prouinciam ſuſcipiat, rogat. Conuenitur œconomus, & vtraque pars ad æquitatem mentis reuocatur, lis terminata eſt, tantò maiore commodo, quantò gliſcebat in plures. Multæ præterea aliæ priuatorum hominum diſcordiæ noſtrorum opera extinctæ ſunt. Nam & binorum coniugum diſsidia, qui ab vno, & amplius anno, non ſolum cohabitare, ſed nec colloqui etiam, aut ſe inuicem æquis animis intueri poterant, ſublata. Duarum quoque matronarum mutuæ inimicitiæ

quas

quas illæ in maritos etiam suos, cognationemq; reliquam diffundebant, sopitæ. Filius deniq; vnus, qui parentes oppressos inopia alebat, sed postea ob graues offensas, eosdem domo sua exegerat, & abiecerat, ad pristina pietatis officia reuocatus. Fœminæ duæ calamitatum ferendarum impotentes, & vitæ perosæ, ne sibi ipsis necem consciscerent, absterritæ. Iam quantum nostrorum opera vsus Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ inualuerit, vel hinc liquere potest, quod totius vitæ maculas confessione sacra eluerint quadringenti. Vinculo hæreseos soluti quatuor, schismatis decem supra centum. Quatuor Catholici vsu quodam & imperitia ritus Græcos in ieiunijs festisq; obseruandis secuti, ad proprias Romanæ Ecclesiæ ceremonias reuocati. Multis annis intermissam confessionem repetierunt quadraginta, celatam triginta tres, nunquam antea ad senium vsq; factam vsurparunt sedecim. Minister hæreticus, per multos annos conscientia oppressus, scelera sua, pœnitentiæ Sacramento expiari cupiebat, adeoq; iuratus aliquoties, cum lacrymis, id se facturum promittebat: verum dum diem de die ducit, morte inopinata preuentus, citius vitam caducam amisit, quàm apprehenderet beatam. Duæ virgines Nobiles, cum diutius Diuinis Sacramentis caruissent, magnis tandem precibus apud parentes obtinuêre, vt ad nostrum tēplum, eorum suscipiendorum causa mitterentur, & licet rheda honestè expeditæ essent, pietatis tamen, & summi desiderij, erga diuinissima mysteria testificandi, pedites sibi illud iter sponte dele-

delegerunt, per octo nostratia milliaria. Vni Ruthenæ in eodem negotio, vel error ipse saluti fuit. Cum enim in templo nostro alias secuta matronas, ad osculum tantum Crucis venire decreuisset, imprudens tamen & imparata, cœleste simul epulum, quod tunc alijs statim porrectum est; suscepit. Tandem rei, quam sumpserat, maiestatis admonita, illico & crimina Sacerdoti aperire, & ad nostros deinceps ritus transire decreuit. Obstetrix quædam Catholica fuit, non minori prudentia, quàm pietate; hanc nostri cum accepissent, solitam etiam à Iudæis ad idem officium adhiberi, monuerunt, vt si quos infantes in ipso partu (vt sæpe fit) morientes susciperet, eosdem inscijs parentibus, aqua salutari, Christo regeneraret. Nec fuit inanis industria. Hac enim ratione, feliciter saluti aliquot puerorum consuluit, & quibus huius caducæ vitæ vsuram producere nō potuit, cœlestem & æternam aperuit. Collegij ipsius nomen, & bonam vel apud meleuolos existimationem, nō mediocriter auxit perillustrium aliquot virorum, in Caluini sectam seductorum, ad nos aduentus, qui humaniter suscepti, nostramq; viuendi rationem, & ordinem, templiq; cultum, & ornatum penitius cōtemplati, palam tam coram, quam nobis etiam absentibus dixerunt, se multò plus, & præclarius de Societate sentire, postquam omnia lustrassent, quam ei hactenus apud se vel ab inuidis detractum, vel à maleuolis tributum esset. Ac proinde se deinceps, nō solum amicos nostros fore, verum etiam fidos propugnatores receperunt. Sed non par animus militum alioqui Catholico-

lico-

licorum fuit, qui cum multa à Ruthenis, de nostra cupiditate, & opibus falsa iactata accepissent, non prius à bonis Collegij spoliandis sibi temperarunt, quam magno precio ter eodem anno placati. Vnus eorum cum quodã die omnium se nobis procacissimũ, & grauissimum prestitisset, postero die ab hoste, maxilla magno vulnere, & hiatu à facie auulsa, reliquis documentum dedit quid esset temerarijs extimescendum. Quod quidem postea palam agnouerunt culpam deprecati. Iam verò Scholarum nostrarum frequentia non mediocriter augetur, ijs pueris, qui prima literarum elemẽta, Polonicè atq; Ruthenicè discũt, ab vno externo iuuene à nobis cõstituto. Ad id enim disciplinę genus, cum alij Schismatici, tum etiam præcipuæ authoritatis Protopopus, duos nobis filios commendauit. Aliquot etiam adulti ex Ruthenis, & Lutheranis eodem accedũt, qui pro gradu in his principijs facto ad alias nostras Scholas assumuntur. Sed ne hæc sola ratio studia literarum promouendi nobis suppeteret, duæ hoc anno domus ligneæ sibi contiguæ exstructæ sunt, quarum altera est inopum studiosorum ex eleemosyna viuentium, & vulgo Bursa dicitur. Altera eorum, qui precio à parentibus collato aluntur, & conuictus nũcupatur. In priore aliquot iuuenes prouectiores ad Sacerdotiũ formantur, & tam Scholas frequẽtia, quam templum cantu ornãt. Ad posteriorem autem, vir quidam nobilis præcipuæ hic authoritatis, & doctrinæ, sed labe Arriana infectus, duos filios suos, sacri lauacri expertes nobis tradidit. Ex quo futuræ salutis eorum spes nõ dubia. Quidam stu-

ſtudioſus relicta probatione Partheniæ ſodalitatis, in periculum ſubmerſionis cum veniſſet, indoluit, ſe animum perſeuerãdi abieciſſe; at verò ſimul ac reditum promiſit, ope Virginis in nauim emerſit. Et hæc fere domeſtica. Quoniam autem in hac regione tridui aut quatridui itinere, nullũ omnino templum Catholicum, aut Sacerdos reperitur, per crebras miſsiones, Catholicis ſparſim inter Ruthenos degentibus, ac ipſis etiã Ruthenis præſto eſſe oportuit. In his itaq; expeditionibus infantes ſacro tincti Baptiſmate ſeptuaginta duo. Pueri S. Crucis myſteria, precationemq; dominicã edocti complures, adulti ad Sacramentorum vſum nunquam antea vſurpatũ adducti trecenti. Matrimonio copulati, ij quidem qui iam ſecum multis annis habitarũt, nulla Sacerdotis præuia benedictione, aut ſcitu, viginti quatuor. Alij verò, qui ſibi recens hunc ſtatũ elegerant, quadraginta duo. Multi ægroti præſidijs ſpiritualibus muniti. Omnes deniq; quoſcunque adire licuit, ſalubribus præceptis inſtituti, & de præcipuis Chriſtianæ vitæ officijs informati, maxima quidem omnis ordinis gratitudine, & lætitia, ſed longe maiore lucro animarum, & ſpirituali fructu.

COL-

COLLEGIVM DERPATENSE.

TRes Sacerdotes toto hoc anni decurſu, tum Confeſsionibus, tum alijs munijs obeundis, opera aduigilabant indefeſſa. Duos Fratres reliquos cura temporalis diſtinebat, ea nihilominus operariorum paucitas, vineam hanc, ſentibus hęreſeon obſitam, & verò diuturnis bellorum incurſionibus afflictam, eo fructu excoluit, qui maximus in tanta temporum calamitate poterat obuenire. Repoſiti cum primis in gremio Eccleſiæ hæretici octodecim, vno plures ſchiſmatici. Infantes nonaginta nouem, quibus nouiter parentes vſuram lucis conceſſerant, lucem etiam Chriſti, Baptiſmate ſibi per nos collato, aſpexerunt. Plures porrò ſacra communione refectos (vtpote bis mille, & ſeptem) quam Confeſſione mundatos nobis conſtat.

ANNALES PROVINCIÆ FRANCIÆ Anni 1607.

PRouincia Franciæ florescit quotidie magis, prolixa beneficaq; Regis Christianissimi secundum Deum beneuolentia. Nam & ei noua vndiq; domicilia deferuntur, & noui aggregantur coloni. Socios numerauit plus quadringentos. In Parisiensi Professorum domo viginti quatuor. In Residentia Collegij Parisiensis quinque. Mussipontano septuaginta duos. In Flexiensii duo de quadraginta. In Dolano triginta tres. In Bituricensi duo de triginta. In Vezontionensi viginti sex. In Rhedonensi viginti quatuor. In Virdunensi viginti quinque. In Rothomagensi viginti duos. In Niuernensi quatuordecim. In domo probationis Nanceiana quinquaginta quinque. In domo probationis Rothomagensi triginta quinq;. In Residentia Rhemensi sex. Morte desiderati duo. Admissi quadraginta quinque.

PARISIENSIS DOMVS PROfessa S. Ludouici.

PArisiensem Domum Professam tenuerunt quatuor & viginti de nostris, è quibus Sacerdotes sedecim, Coadiutores sex, Nouitij duo, qui subindeRothomago summissi, hic se vicissim ad mensem probant. Quanquam is numerus excreuit ad quinque & quinquaginta, vndequaque è Prouincia confluentibus professis ad congregationem Prouincialem, quæ Maio Mense hic habita, cùm omnis Ordinis hominum, tùm pręcipuè virorum Principum illustrem experta est municifcētiam. Ad templum nostrum magnus toto anno ad obeunda Sacramenta concursus, sed eo præsertim die, qui Diuo Ludouico sacer est, quo die Illustrissimus Cardinalis de Sourdi, & Episcopi aliquot sacris apud nos operati. Ad Catholicam fidem reuocati sunt, nostrorum opera viginti duo, in ijsque tres viri nobiles, totidem fœminæ. Ac ea de causa Sacerdos noster cum hærerico Ministro congressus, hominem ita conuicit, vt nihil iam magis quam cum eo committi nequeat. Hæreseos Magister, idemque Ordinis religiosi transfuga tàm seriò fidem orthodoxam complexus est, vt in Patrum Capucinorum familiam adsciści omni contentione efflagitet. Hugenottus quidam, cùm in concionatorem nostrum petulantius inuectus, propterea; in carcerem coniectus esset, adijt noster Iudicem, impetra-

petrauitque vt ille carcere ſolutus, & liber abſcederet.

Rex ipſe Chriſtianiſsimus cùm ex noſtris vnum de inimicis diligendis pro concione diſſerentem audiſſet, adſtantibus ſibi Principibus: fieri, inquit, non poteſt, vt qui hæc audierit, non continuo ponat omne odium & ſimultatem. Pari laude in Parœcijs tota vrbe celeberrimis, duo de noſtris per Aduentantis Chriſti ferias quotidie dixerunt: duo præterea diebus tantùm Dominicis & Feſtis. At foras etiam excurrimus. Plerique inſignes viri celebre Virginum cœnobium priſtinæ ſanctitati reſtituere fruſtra tentarant; cum ijs ſic egit Societas, vt clauſæ nunc, abiecta omni peculio, Sancti Benedicti diſciplinam ſeuerè colant, certas etiam horas inſumant in ea oratione, quæ mente concipitur, à qua adhuc abhorrebant vehementer. Qua mutatione ſic præcipuè lætata eſt anus octogenaria, vt diceret, tùm demum recepiſſe ſe velum, quo tot annos magna ſua calamitate caruerat.

Porro Chriſtianiſsimus Rex paternam, qua Societatem noſtram adhuc proſequutus eſt, beneuolentiam, & ſingularem, quam de ea animo concepit, exiſtimationem, omni officiorum genere declarare non ceſſat. Templum noſtrum ad ſacrum & concionem audiendam frequenter adit, noſtros è quacunq; Prouincia Lutetiam appulſos, accipit, tanta comitate, & ſignificatione beneuolentiæ, vt ea ſatis explicari non queat. Sed eius cùm in nos amoris intimi,

tum in Catholicam religionem pietatis euidẽs illud eſt argumentum. Rupella Xantonenſis Prouinciæ emporium maritimum eſt, munitiſsimũque, iam inde à quadraginta annis Hugonotorum receptaculum, vbi ex eo tempore nulla Catholica concio erat audita, eo cum Rex vnum è noſtris Sacerdotibus ablegare conſtituiſſet, ad conciones tota quadrageſima habendas, ad eum ſcripſit, dedit etiam literas ad Ruppellenſes, quibus imperabat, noſtrum vt in vrbem honorifice admitterent, & cum concionari, tum omnia Catholicæ Eccleſiæ munia obire paterentur. Illi principio tergiuerſari, & mittendis ad Regem legatis, querimonijs, recipiendisque ſubinde nouis mandatis tres menſes ſolidos cõſumere; Rex ad extremum ſeuera verborum denunciatione caſtigatos ab ſe dimittit, imperatque noſtrum ſine cunctatione recipiant. Recipitur itaque ſumma gratulatione Catholicorum, qui inibi plus mille quingenti numerantur, & tota quadrageſima plærumque ad quatuor millia, qui vndequaq; ex vicinis oppidis confluebant, concionatus eſt, & vel Catholicis firmandis, vel cæteris errorem dedocendis, operam egregiam nauauit. Neq; illud diſsimile eſt, quanquam in alio genere, cum regium diploma de reſtituenda priſtinis ſedibus Societate ad ciuitatem quandam tranſmiſſum eſſet, qui inter hæreticos doctiſsimus habebatur, obtulit Regi libellum calumnijs in Societatem noſtram refertum. Quas Rex illico, tam ex animo, tamque diſerte refutauit, vt admirationem mouerit omnibus; Idemq; cum intellexit indictam Romæ congregationem gene-

generalem, continuo ad R.P. N. Generalem mille aureos in sumptum misit. Alia præterea multa varijs Collegiis regia munificentia concessit, quæ suo loco ab alijs referentur. Ex quibus omnes intelligant, quanto studio pro tanti, tamq; nostri ordinis amantissimi Principis incolumitate DEVM Opt. Max. precari debeamus.

RESIDENTIA COLLEGII Parisiensis.

IN Residentia Collegij Parisiensis fuere hoc anno 1607. quinque ex nostris; tres Sacerdotes; duo Coadiutores, de more in sacello domestico confessiones multorum Scholasticorum, & aliorum nonnullorũ de vniuersitate accedentium, audiuntur, & datur sacra communio. Sex exercitijs spiritualibus operam dedere magno cum fructu, & morum mutatione.

COLLEGIVM MVSSIPONTANUM.

NOstrorum in hoc Collegio numerus fuit ad duos supra septuaginta. Quædam iniecerat collo laqueum, sibi vitam per summum furorem ereptura, cum adducta à marito ad confessionem, à tanto, tamque nefando scelere est abducta. Virtute Agni cerei liberata puella ab ignito dracone, qui ne illam in horas & monumenta singula deuoraret, magnopere timebatur. Domi aucta est sacra supellex ijs rebus, quæ aureis

centum façile æſtimentur. Exædificatum Sacrarium eo quo antea vtebamur, multo commodius, laxiuſque. Templum ipſum auguſtius & capacius redditum, translato in infimam partem, quod occupabat mediam, odeo affabre ſane elaborato. Scholas noſtras frequentant amplius mille & ſexcenti; In his centum religioſi variorum ordinum, ad quos ſtatis diebus habetur ab vno de noſtris exhortatio, eorum ſtatui, & profeſsioni accommodata. Ex diſcipulis quidam ad Capuciuos ſe adiunxerunt, quod idem non pauci habent in votis. Duodecim in Societatem adſcripti, multo plures eo aſpirant. Altera hoc anno Sodalitas Parthenica, ſub titulo Aſſumptę Virginis inſtituta, magno iuniorum Scholaſticorum bono & fructu, iamque amplius centum in eam cooptati illuſtria dant argumenta ſynceræ pietatis.

Luſtrarunt hoc eodem anno, mandato Illuſtriſsimi Cardinalis Caroli à Lotharingia, Epiſcopatum Metenſem totos octo menſes, eò vberiori fructu, quam ſuperioribus annis, quò res tunc bene conſtitutas melius ac magis cõfirmarunt, & ſubinde pullulantes abuſus, qui Chriſtianæ pietati vel maxime officiebant, ita compreſſerunt, vt aboliti perpetuùm videantur: Conciones, vel adhortationes Catechiſticas habuerunt, plerumque binas, ternas, quaternas, quinas nonnunquam, atque ſenas in die, tanto hominum concurſu, vt non magis feſtis, quam profeſtis diebus frequentes in ædes ſacras, ad concionem ex agris & operis domeſticis conuolarent. Concio-

nem

nem excipiebant confeſsiones, magno animorum motu. Quidam adductus in fraudem à Miniſtris Caluinianis, cum offendiſſet Sacerdotem noſtrum, propoſitis per biduum difficultatibus, ſolutisque, manus dedit, editataque in templo fidei profeſsione, rogauit qui aderant (aderant autem frequentes) quo in Catholica religione perſtaret conſtantius, diuinam ſibi bonitatem exorarent. Alius hæretica labe infectus conuictus erroris ex eo, quem circumferre ſolebat, codice, confirmauit, reuocantem Deum & Sanctam Eccleſiam ſe breui eſſe ſequuturum, noſtroſque medicinæ ſuis erroribus faciendæ gratia conſulturum. Dum hæc agerentur à duobus, quos modo dixi in Epiſcopatu, Sacerdotibus, Aduentus & Quadrageſimæ tempore concionatus eſt tertius in ſummma æde vrbis Metenſis, magna omnium ordinum approbatione. Eiuſdem hortatu cogitant Catholici de Collegio in eadem vrbe nobis ædificando, iamque conſtitutis certis redditibus, & loco muneribus noſtris ſatis commodo, negotium eſſet confectum, niſi Rex Chriſtianiſsimus iuſtis rationibus adductus, rem totam in aliud tempus differendam eſſe cenſuiſſet. Claudo huius res Collegij propenſa Sereniſsimi Ducis in noſtrum Ordinem beneuolentia, qui cum hàc iter haberet, iterum & tertio humaniſsime inuiſit, monitusque à Rectore de munero Scholaſticorum, quibus capiendis anguſtiores eſſent claſſes, erogauit, quo in ſequentem annum tres omnino ædificarentur. Quam verò de noſtris opinionem ille conceperit, vel inde

quiuis facile colligat. Iuerat P. Rector ad eum ſalutandum, cui ille ſeorſim: ego (inquit) Barrum (vrbs eſt ducatus Barrenſis caput) ea vel præcipua, vel ſola mente feſtino, vt Collegium, quod ibi tenetur à ſæcularibus præceptorib. veſtris tradendum curem: quo enim alio remedio fidem in illis locis partim inclinantem, partim iam collapſam in integrum reſtituam, non video. Faſſus erat paulo ante eidem Rectori, quod religio Chriſtiana ſtaret in Lotharingia, id ſecundum Deum, noſtrorum operis ac laboribus ſe referre acceptum.

COLLEGIVM FLEXIENSE.

PLures, pauciores hoc anno numerauit Flexienſe Collegium, plurimum duo de quadraginta, quatuordecim Sacerdotes, quos inter Præceptores decem, Magiſtri alij quatuor; Theologiæ auditores quinque, Philoſophiæ nouem; reliqui ſex domeſticæ rei adminiſtri. Exerciti ſacris commentationibus B.P.N. Ignatij præſtantes aliquot viri, quos inter celeberrimi non modo tota Gallia, ſed in finitimis etiam regionibus cœnobij Fontebraldi pręfectus, inſignem fructum, quem in ducentas virgines effundere poteſt, reportauit. Nempe meſsis hæc ſementis verbi Dei, quam fecimus, facimusq; in æde primaria. Habitæ ſunt & frequentes conciones in Luchenſi prioratu, (is ad Collegium ſpectat) æſtiuis maximè caloribus ad frequentiſsimam hominum multitudinem, quos à quadraginta leucis exciuit,

exciuit ſpes curandæ podagræ, calculi, capitis, oculorum, aliorumque morborum aſsiduo fontis hauſtu, qui ſub templo fluit. Erat vtilitas ſperanda maior, ſi vel vnum è Sacerdotibus noſtris operarum paucitas eo ſe conferre permiſiſſet. Hoc anno cenſus qui penditur Collegio, centum ſcutatorum millia ædificando Collegio data, principium tantæ moli datum, ineunte iam menſe Iunio, octauo illius die, quo primus in templo deſignato lapis eſt poſitus Ab Illuſtriſsimo D^{no} D^{no} Lauardino Franciæ Mareſchallo, quem vices ſuas agere, vna cum nobiliſsimo Domino D^{no} Varando Chriſtianiſsimus Rex voluit. Acta res eſt celebri & magnifico (vt par erat) apparatu, agente Proepiſcopum (Reuerendiſsimus enim Andegauenſis præſens eſſe cum non poſſet, ſuas ei partes mandauit) Rectore Collegij in ritibus ſacris obeundis. Dixi datum principium tantæ moli; vere moles, & tanta moles, vt vel longitudo ſola cuiq; eam ſpectandam ac ſuſpiciendam obijciat. Porrigitur illa æquabili fronte ad ſexcentos duodecim pedes, quos ſi reuocare volueris ad Romanum palmum, nongentos facias; & ea longitudine ſurgit opus quadrangulum, & ædificij quaſi corpus triplex, latum ducentos, & quinquaginta duos pedes, aut palmos trecentos & ſeptuaginta. Alterum vero triginta trib. pedibus, aut palmis Romanis quadraginta noue. Medium atrium Scholarum eſt, & qua meridiem ſpectat; templo: qua ſeptentrionem, aula declamationum ampliſsima, Theologiæ & Philoſophiæ Scholis; qua orientem & occidentem, alijs auditorijs Rhetoricæ, Hu-

manitatis, & Grammaticæ includitur. Aliud atrium vastissimum, quod nouum Solem spectat, & nostris vsibus tributum est, visendum fuerit quadruplici, qua cingetur, habitatione: vt tertium ad occidentem pertinens, conuictorum domo, cui si atrium inferius adiunxeris, centum & viginti pedes longum, seu palmos centum & septuaginta sex, conuictus commodis atque officinis deputatum, Collegium habueris, quod amplitudine, dispositione, & commoda habitatione nulli Collegio in Europa cedat. Porro templum, quod iam cœptum erat, angustius laxabitur, & longitudinis quidem centum & quinquaginta sex pedes, vel ducentos palmos & triginta, latitudinis verò nonaginta & tres palmos, pedes tres & sexaginta Ac demum sub fornice, vnum supra quinquaginta pedes, palmosue septuaginta quinq; numerauit. Hæc pauca de fundatore Collegij Christianissimo Rege: quam studiosus sit & Societatis, & huiusce domus, abundè satis indicabunt. Indicabit & id vel maximè, quod si quem ex Principibus viris habere filium studio, & literis iam maturum sciat; eundem monet, hortatur (tantum non imperat) ne aliò, quàm Flexiam mittat; quo fit, vt inter mille ducentos auditores, quos hoc anno diuersis distinctos duodecim ordinibus habuimus, quingenti fulgeant natalium loco, qui Ducibus, qui Marchionibus, qui Comitibus procreati; qui Abbates, qui & Episcopi nominati. Claudet has literas vnius è Theologiæ discipulis inita disputatio, cum Salmuriensi Ministello, Beraldo nomine in Sy-

in Synodo, vt vocant, prouinciali Miniſtrorum Andegauenſium, Cenomanenſium, & Turonenſium, de Imputatiua Iuſtitia Chriſti. Fuit alumnus ille Theologiæ noſtræ, Dominus Pauſanus, celebris olim hæreſis abiuratione, & miniſterij abdicatione, Biterris publicè facta. Ergo clam vocatus ad certamen, dicta die Salmurium, templumque, in quod Miniſtri conuenerant, ingreditur, fauet lingua horam & mediam, exorari tandem ſe patitur, vt aliquid dicat; dicit; ea tela, vibrat rationum, & argumentorum, vt cum ea neque retundere, neque retorquere, neque declinare Beraldus aduerſarius poſſet, ei ſubinde alij, atque alij ſufficiendi fuerint; quibus tamen æqua facilitate proſtratis, victor omnium calculo, & multorum gratulatione Pauſanus, ad nos reuertit, fremente vno Beraldo, & Pauſanum Ieſuitarum emiſſarium procaciter appellante.

COL-

COLLEGIVM DOLANVM.

DOlanum Collegium hoc anno coluerunt Socij tres ſupra triginta, Sacerdotes duodeviginti, è quibus duo Theologiam, alteream, quam poſitiuam vocant, moralem alter tradiderunt, duo Philoſophiam, duo Rhetoricam, & Humanitatem, Magiſtri Grãmatices quatuor, Auditores caſuum duo, nouem reliqui rei domeſticæ adminiſtri. Dedit Societati quatuor è pluribus, qui petebant ſelectos, duos rei familiaris curatores, Scholaſticos duos. Valetudine vſi ſunt omnes Dei beneficio proſpera, graſſante licet dyſſenteria, quæ tamen vicina oppida grauiùs, quam Dolanam vrbem perculit. Frater obſtructis Catharro ſeu angina faucibus, tertium iam diem ægrè ſpiritum ducebat: vbi tandem aduenit dominicus dies, quo ſolenne eſt noſtris ad ſacram menſam accedere, cum Sacerdos corpus dominicum ab altari ad ſacros conuiuas deferre pararet, venit ei in mentem Euangelici leproſi, cœpitque his verbis præſentem Chriſtum alloqui: Domine, ſi vis, potes me ſanare. Vix ea pectore fuderat, cum repente ſe omni dolore liberum ſenſit. Auditorum numerus ad octingentos circiter excreuit. In his nobiles non pauci, ſed germana nobilitas frequentior. Iuuentus inter eos eſt, qui quinq; continuis diebus pane & aqua ieiuniũ celebrans, ſimul etiam cilicio corpus affligeret, præmeditationis exercitatione adiuncta, qui idem genibus flexis, ſpiritualem Gerſonis, vt vocant, lectionem frequen-

frequentat, idem pauperes peregrinos conquirit, & excipit hoſpitio, cæteros egentes non externis tantum, ſed etiam ſpiritualibus ſubſidijs iuuat. Is cum ſerio quendam eſſet adhortatus, vt à graui peccato ſibi familiari deſiſteret, nec ille flecteretur, diutiùs iacuit proſtratus ad pedes eius, multis verbis obſecrans, vt ab hac mente diſcederet. Alius ex numero horum artificum, qui Conceptæ Virginis Sodalitati adſcripti ſunt, cum adeo graui & acuto artuum dolore cruciaretur, vt pœne ſuccumberet impatientiæ, quod ardenti ſtudio diuinam miſericordiam implorans, nihil, vt ſibi videbatur, exaudiretur, conuerſus deinde ad beatiſsimam Virginem, vtque ſe ipſius Clientem iuuaret deprecatus, ſubitò ſe ſenſit omni dolore leuatum, cum ingenti animi gaudio, & inſolito pietatis ſenſu erga ipſam SS. Virginem, cui ideo ſpeciale quoddam votum nuncupauit; quod & perſoluit, aucto deſiderio ei ſeruiendi in ipſius Sodalitate. Alius Parthenius poſt diuturnum morbum, nunc tetris ſpectris, nunc aliis viſis pietatem præſeferentibus, atque adeo ipſa ſpecie SS. Trinitatis oblata à dæmone illuſus, ſimulq; ad inſaniam fermè ac deſperationem adactus, atque à Sacramentis ſuſcipiendis deterritus, tandem ad Beatiſsimæ Virginis patrocinium, tanquam ad tutiſsimum portum confugit, eique magna voluntate ſe, ſuaque omnia deuouit: deinde venit ad Sacerdotem noſtrum, qui Societati præſidet, rem omnem aperit, & peccatis ritè confeſsis, conſilium ab eodem de perſoluendo voto flagitat. Inter reos quidam ob ſacrilegij crimen capitis condemnatus,

cum

cum iam morti proximus esset, posteaquam publicè quemdam falsò à se ad Iudices delatum innocentem pronuntiauit, iuniorum adstantem turbam ad virtutis amorem, ac vitiorum detestationem est adhortatus; atque ad maiorem ipsorum terrorem, parentis, cui ipse morem gerere puer recusasset, verissimam prædictionem omnibus aperuit. Cùm (inquit) me Pater crebrò ad frugem corrigere niteretur, mater contrà mihi indulgeret, ac pecunias subministraret, quas in lusus profunderem; tandem aliquando Pater me velut desperatum his increpuit verbis: tu à me sæpè correptus nihil obtemperas, huius profectò contumaciæ meritas aliquando lues pœnas, vitamque laqueo finies. Id nunc vaticinium mea culpa, vtinam ad peccatorum meorum expiationem? impleri perspicitis. Vos interim meo exemplo sapere discite, vitæ finem vt alium nanciscamini.

Quadringenti, piorum aliquot partim eleemosynis, partim pijs legatis nobis attributi, dein Virgines nobiles duæ, eædemq; sorores, quæ paribus studijs ad templi nostri cultum augendum constantes incumbunt, tùm lychnum ex argento pensilem, centum & triginta aureorum, tùm alios centum triginta aureos ad coëmendum censum in perpetuos vsus olei, ac lampadis ante Venerabile Sacramentum iugiter ardentis contulerunt. Vidua quoque nobilis & locuples, mundum omnem muliebrem, torques, armillas, & alia id genus sexcentis amplius aureis æstimanda, in Collegium miserat, vt ijs diuenditis pretium in templi ornatum conferretur, sed gratijs actis

omnia

omnia remiſſa; quæ res multos è populo ad magnam admirationem traduxit, cùm & tantam pecuniæ vim, & ab ea, quæ ſuo iure poterat, atque adeò tertiò oblatam recuſaremus. Morte demum Senatoris clariſsimi, eiuſdemque Canonici Veſontionenſis R. D. Claudij Farodij, obuenit huic Collegio ſumma mille circiter & trecentorum aureorum, quos ille nobis nè ſuſpicantib. quidem teſtamento legauit. Nos viciſsim nè tanti viri nomini iure videremur ingrati, ad pefuncti animam omnibus ſuffragijs adiuuandam, clariſsimiq; viri celebrandam memoriam, omni ope incubuimus.

COLLEGIVM BITVRICENSE.

ALuit Collegium Bituricenſe Religioſos 28: Sacerdotes 13. Præceptores 8. in quibus 6. Sacerdotes: Studioſos 5. domeſticæ operæ Adminiſtros 8. Præmiſsi in cœlum 2. Sacerdos 1. P. Martinus Zouiatius, 3. votorum profeſſus, cui ſi perfectas corporis dotes malignior natura denegauit, dedit profectò naturæ parens præſtantiora & animi, & virtutis ornamenta. Fuit ei in cognitionem rerum non mediocri, ſingularis abiectio mentis, & modeſtia. In infirmitudine virium indefeſſus ſtudiorum labor, in negotioſa occupationum multitudine tranquillum quietæ cũ Deo mentis otium. Philoſophiæ præfuit annis vndecim, vno circiter inſtitutioni Sacerdotũ. In adminiſtratione ſacrorum & conſcientiæ nodis, in in quibus diuturnæ exercitationis aſsiduitas eum fecerat limatiorem; fuit à confeſsionibus domeſticis in Collegijs diu, in tẽplo ciuibus ferè ſemper. Damnati ad triremes octoginta, hac fortè Maſ-

ſiliam

ſiliam dum proficiſcuntur, luſtrati piaculari Sacramento, in infami ſtabulo, ſpectante auidius, approbanteque vehementius ciuitate, donati omnes eleemoſyna de Collegij paupertate. Iidem admirabili Dei prouidentia Lugduno, qua via Auenionem ducit, ſeptem prope milliarib. in Rhodano ſepulti omnes, exceptis decem, quorum vnus, Noſtrorum expertus opem, in reditu rem noſtro Sacerdoti, ſicut geſta fuerat, fideliter enarrauit; & fauore Patris, piorum charitate ſubleuatus, in ipſa cura & meditatione caſtigatioris deinceps vitæ dimiſſus eſt. Inſignis mutatio viri, qui Caluinum, & Lutherum, familiaribus colloquiis inter amicos ſæpe profeſſus eſt, vix ægre tandem eo ſe adduci paſſus, & amicorum, & coniugis importuna precatione, vt vel ſemel prolixæ dubitationis arbitrum adhiberet Ieſuitam; probata noſtrorum fide non iterum, nec tertio, ſed perpetuos fere in morbo comites, & miniſtros habere voluit, quibus omnes animi venas permitteret. Horum monitis, & adhortationibus ad Chriſtiana ſacra traductus, vltimis ſalutis noſtræ ſubſidiis confirmatus, ita deceſsit, vt futuræ immortalitatis notas, nec fragiles, nes obſcuras circumſiſtentibus, cum admiratione propinquis relinqueret. Cenſi Auditores centum ſupra mille, in quibus domeſtici centum quinquaginta. In extremis domus anguſtiis, importunitate primariorum ſane quamplurium, qui ſuos habitare regiè ac magnificè ſatis prædicant, quod nobiſcum ſtrictim coarctantur. Parthenium recenti adhuc inſtaurationem reſtitutum eaſdem anguſtiarum difficulta-

tes

tes admisit, vt pluribus septuaginta non esset ingressus. Duos familiæ Sancti Francisci, Capucinorum vocant, quinque peperit Societati.

COLLEGIVM BISVNTInum.

Collegium Bisuntinum alit è nostris hominibus sex & viginti: In his Sacerdotes quindecim, reliqui vel Magistri, vel operum Adiutores. Septem in scholis docent, quæ de iure conscientiæ vnus, philosophiam alius, tertius Rhetoricam, in Schola Humanitatis vt vocant quartus, Grammaticen tres alij, obijt omnino nullus. Duo, qui probentur admissi: vota Scholasticorum admisere tres, domesticorum plærique sacris exculti commentationibus, maxime concionaturi per sacrum Christi aduentum, & quadragesimam. Lausaniensis Episcopus duobus cum Abbatibus nostri ordinis amantissimis, B. P. Ignatij celebritatem honestauit, & prandio nobiscum exceptus. Adhæc ineũte Ianuario festo die Circumcisionis Reuerendissimus Bisuntinus Archiepiscopus, vna cũ eodem Episcopo Lausaniensi, & Abbate Sancti Vincentij, Decano insuper, Archidiacono, & officiali, vt vocant, comitatus, diuinæ rei apud nos interesse voluit. Hoc primum anno instituta domi oratio est, horarum quadraginta, tribus illis diebus, qui Cineralia proxime antecedũt: magnam celebritatem habuit rei nouitas, & templi ma-

ex holoſerico efformata capita, ſubiectis puluinaribus Damaſcenis, ea variæ corollæ exornant, & ditant: tot inter proſpera nonnihil accidit triſte Amiſimus enim hoc anno grauem annis, & meritis inſignem ſocietatis amicum, & huius Collegii prolixum, munificumq; parentem. Is noſtris hominibus olim infenſior, nec ſatis caſte de religione ſentiens, noſtrorum conſuetudine ſenſim in alium mutatus, veritatus lucem intueri cœpit: Poſteaquam vero congregationi Beatæ virginis nomen dedit octogenarius licet, tum multo magis Societatem amare, de ea nunquam non honorifice loqui apud omnes mira cum libertate, ſocios omnes reuereri vt Patres, pharmacis fouere, beneuolentia recreare; non minus prompte, ac liberaliter ſuppeditabat quicquid ad ægrotorum morbos ſubleuãdos pertineret, idq; tam omnino gratis, quam ſi ab opulentiſsimo principe mercedem largiſsimam exſpectaſſet: obiit calculo cum acri admodum doloris ſenſu, ea tamen veræ pietatis, & patientie ſigna dedit, vt mirari ſatis affuſa ciuitas non poſſet. Moriens huic Collegio centum Francos reliquit. Nos vero memores tot officiorum, ac beneficiorũ nec viuo defuimus vnquam nec mortuo.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

FVimus omnino viginti quinque, Sacerdotes tredecim; cæteri partim literarum Profeſſores, partim Coadiutores. Horum quatuor in conuictorum contubernio commorantur; tres Sacer-

dotes cum Coadiutore. Nouicius fuit, qui nondum votis nuncupatis æditui vice apud nos fungebatur. Huic aliquando summo mane nondum patefactis templi foribus ante principem arã matutinæ meditationis pensum Deo persoluenti, obiecta est atri canis morsum minitantis species horibilis: canem ille ratus, flagello abigere tentauit, sed irrito conatu, spectrum enim circumiens percutientis ictum facile eludebat, laborem isthic feri noster intelligẽs, ad orationẽ intermissam rediit: rediit ad pertinatiorẽ quã antea interpellationẽ canis: verũ sic ab orante cœptus despici, mentis eius vt quietẽ nihilo turbaret, magis quam musca præteruolans, nec tamẽ orantis constantia fractus inernus ille canis incœpto destitit. Multis deinceps consequentibus diebus eodem tempore, eademque forma, sese in templo oranti, despectus tamen, ac pro nihilo habitus obtulit. Extra templum verò orantem etiam semel insectatus est. Erat prouecta ætate nonnullis è patribus nostris primo diluculo rusticatum ituris maturè sacrum faciendum: solicitus noster prima ferè post mediam noctem hora surgit, templum adit, parat de more necessaria, patrum aduentum operiens hortum templo proximum ingreditur, vbi deprehensa nimia festinatione sui statuit ibidem, quod abundè suppeditabat temporis in consueta meditatione collocare. Locum deligit sacello Partheniæ Sodalitatis proximum, vnde per fenestram in illud prospectus erat, hic genua flectit, dat se orationi, cui dùm qua potest animi intentione vacat, repentè fremitum audit, stre-

pitumq;

pitumque vehementem alicuius velut currentis, proterentis, ac ſtirpitus plãtas omnes euellentis. Mox eundem vnguibus repentem audit in arborem à tergo capiti ſuo imminentem, tollit tantiſper oculos, in ſummis eius ramis tetrum illũ canẽ aſpicit, truci minitantem aſpectu: videt deniq; ex arbore in tectum proximum inuolantem, in eoque tanto currentem cum impetu vt tegulas omnes fracturus, tectumque ipſum deiecturus videretur, quæ omnia non modò nihil terroris attulerunt orationi, ſed nè tantulum quidem ei⁹ animi quietem auerterunt, votorum tandem vinculis obſtricto apparere deſtitit, deſperans opinor, ſe quem nouitium nè leuiter quidem commouere potuerat, Chriſti militem vllo modo de propoſiti conſtantia reiecturum.

COLLEGIVM ROTHOMAGENSE.

VErſantur in hoc Collegio de noſtris duo circiter ſupra viginti, Sacerdotes duodecim, è quibus quinque Profeſſores, ijs accedunt Magiſtri tres non Sacerdotes; Adiutores operum domeſticorum ſex, & nouitius vnus, Sacerdos ex hoc Collegio Carnutum miſſus in æde Principe per Quadragenarij Ieiunij tempus concionatus eſt. Magnus ad eum audiendum cõcurſus: maior etiam fructus. Actum eſt ſub idem tempus frequenti ciuium conuentu de Collegio Societatis in vrbe conſtituendo, ſed optimorum virorũ conſilia diſturbarunt è primarijs nonnulli,

qui siue odio Catholicæ Religionis, siue inani metu, quod de ipsis postea est cognitum, nè Societatis nomen eorum efficeret auctoritati, rem populi suffragiis permittendam censuere, quod eum sperarent annui census magnitudine, à Collegii exædificatione deterritum, nunquam id suscepturum, aut suis calculis confirmaturum esse. Sed spem fefellit euentus, non solum ei publicam fidem obstringere, sed suis etiam priuatis nominibus & fortunis, si sic opus esset, cauere nō dubitauerunt. Frementibus, & ad hunc populi tàm insolitum ardorem attonitis fraudulenti cōsilii authoribus, qui cùm porrò intercedere pergerent, nouasque ad rem interuertendam artes machinarentur, placuit Reuerendo Patri Prouinciali negotii tractationem omitti, ne inuitis optimatibus nostri se in eam vrbē intrusisse viderentur. Quod cum ciuibus, nostri ordinis cupidissimis innotuisset, vix credibile est, quam id grauiter & accerbe tulerint, multi vt à lacrymis minime temperarint. Reperta etiā, quæ cum ne Sacerdoti peccata quædā euuntiaret annos cōplures fuisset vel pudore, vel metu deterrita hoc demum anno ad faciēdum officium explicationis Cathechismi sit animata. Duo hæresim animo abiecerunt, nobilis vtraq; ac vna quidem lecto libello cuiusdam è nostris. Quædam totos viginti annos ad omnium vulgata libidinem resipuit. Alia se dæmoni vouere ex syngrapha constituerat, ab ea mente reuocata. Conscientiæ multorū sedatæ, quæ nisi apud nos animi tranquillitatem nusquam reperiebant. Tres virgines institutum sancti Bernardi amplexæ, vna sancti Benedicti, vna item Carthu-

ſienſium? Abbatis iuſſu religioſi aliquot ad ſpiritualia auxilia ſibi parãda apud nos diuerſati ſunt, tres Beati Patris noſtri Ignatii exercitiis perpoliti. Conſpiratione Parochorũ fuerat; vt circa veſperam moribundis viaticum ne præberetur, præberi etiã eo tempore curatum eſt. Adhæc doctrina Chriſtiana duobus in vrbe templis explicata, parochus in pago eius tradendæ rationem fœliciter edoctus, acceptis etiã libellis, quos diſtribuat in pueros. De ſcholis hoc vnum vere dicere poſſumus, nõ illis auditores, ſed illis auditoribus, qui propterea permulti excludi ſunt, hactenus defuiſſe, nam cum tribus his annis, quibus Collegium inſtauratum eſt, vt fuerit ſcholaſticorum numerus, cui par in nullo Collegio Societatis vix fortaſſe reperiatur: factũ tamen vt ſenſim augeſcente noſtræ eruditionis, & diſciplinæ fama, in immenſum excreuerit ardor vicinorum populorum, liberos nobis inſtituendos committendi. Etenim & Belgio ipſo, Hybernia, Germania, Cantabria, Armorica, extremiſq; hominum Maurinis plerique ſtudiorum huc cauſam conuolarũt. Inde fit vt claſſes præcipue nobilitatis adoleſcentibus redundent. Inde ampliſsimi Senatus Rothomagenſis libri, plurimi etiam Pariſienſes, nõ alibi, quam apud nos virtutem, atque eruditionem condiſcunt. Experimur deinde anguſtiorem in dies munificentiã regis Chriſtianiſſimum noſtræ Societatis hominibus nunquam ſatis vel amandi vel obſeruandi. Qui hoc etiã anno noſtræ inopiæ mille coronatis ſubuenit. ac eius ſingularem beneuolentiam regni proceres imitantur. Illuſtriſ-

ſimus Princeps Montiſpenſerii Dux, Collegium adiit, audiit non libenter modo, ſed periucunde diſcipulos ſibi duodecim linguis ex memoria gratulantes, & cum ſuis ſumptibus præmia palmaribus ſtudioſis curarit, vicit etiam vehementer noſtræ fundationis cauſam in publicis Prouinciæ comitiis, ſub idem tempus Illuſtriſſimus quoq; Dux Niuernenſis cum hac iter faceret, nos interuiſit ſingulari amoris ſignificatione, & à tribus humaniorum artium ſcholis ſuperioribus magna carminum & linguarũ varietate exceptus eſt, fauet porro magnopere ſenatus. Eius enim ſecundum Regem auctoritate perfectum eſt, ne ſupplicatio vtriuſque ſexus per medium Collegium ſacro Euchariſtiæ die procederet. Nec tamẽ ſine magno labore, & multorum inuidia, cum plebecula conſuetudinis antiquæ pertinax, etiam aduerſus auctoritatem Illuſtriſſimi Cardinalis à Ioyoſa Archiepiſcopi Rothomagenſis, qui aditum domus noſtræ prohibuerat, ius ſuum ſibi eripi petulanter admodum clamitaret. Ciues deniq; pleriq; omnes, quanti nos faciant, declararunt, non magis beneuolis dictis, quam datis. Nam præter honoraria munuſcula, quibus nos obruere etiam inuitos non ceſſant, ad octingentos aureos eleemoſynæ contulerunt. Omniũ tamen liberalitatẽ longe ſuperauit vicinus noſter ciuis Rothomagenſis; hic enim ipſo peruigilio Circũciſionis illuſtri dono publicis tabulis firmato domum cum horto noſtris ædibus coniuncto pretii circiter mille & quingentorum aureorum nobis attribuit, magno

Colle-

Collegii commodo cum ex ea parte nostris antea luminibus obstrueretur.

COLLEGIVM RHEDONENSE.

IN hoc Collegio viginti quatuor numerātur: decem Sacerdotes, quorum quatuor docent, vnus casus conscientiæ, vnus idem Rhetoricam, alii duo Philosophiam. In quinq; scholis Grammaticæ infra Rhetoricam totidem docent præceptores non Sacerdotes; Philosophiæ dant operā tres, reliqui adiutores. Hic annus ad exiguum campum exhibuit, in quo posset nostrorum pietas, industriaq; excurrere; nā diarrhæa quædam pestilens popularis omnino morbus, sic non modo ciuitatem Rhedonensem, verum & finitimos late vicos, & castella peragrauit, vt plena funerum essent omnia, & morborū. Quare ante legitimum tempus scholæ nostræ siluerunt, & nostri Patres occasionem sibi diuinitus oblatam rati bene merendi de multis, ægros & morientes omnibus officiis sunt prosequuti, & fuit pene prodigii loco habitū, quod cum morbi contagio familias omnes attigisset, & religiosi bene multi eodem conflictarentur, nostri tamen qui morientium afflatus vltimos haurirent quotidie, ne leuiter quidem, sint tentati. Pretium autem operæ fuit longe gratissimum, multi enim consilio nostrorū atq; monitu, ab orci faucibus educti, salutis iter à quo diu aberrauerant fœlicissime tenuerunt, multis tū primum cognita Societas, quibus erat antea su-

ſpecta, & noſtris agendi modus ſumma omnium admiratione probatus. Vis in plurimis agni cerei declarata, quibus ſalutem præter omnium expectationem attulit. Canonicus primarius magnæ vir auctoritatis noſtros in morbo ſolos habere voluit conſcientiæ medicos, & rectores, quibus etiam moriens ſanctiſsime Bibliothecam legauit ſuam voluminibus ſane bonis inſtructam. Puer fuit paruulus decem annorum ex eodem morbo grauiſsimè laborans, & iã erat à medicis conclamatum, noſtri patres viaticum illi vltimum deferendum eſſe cenſuerunt, vt vidit Sacerdotem venientem quamuis iam effuſo cruore omni debilitato corpore eſſet, & exhauſto, excitauit tamen ſeſe tenueſq; virium reliquias adhibuit, vt in genua ſe componeret, venerationis cauſa, cœpit in Euchariſtia, quam nũquam antea deguſtarat vim in morte vitalem, & mirantibus omnibus ſubito conualuit. Sed quod ſequitur, hominis fuit ætate robuſti, & confirmati, ſui erat ordinis nobiliſsimus, qui cum eadem inualetudine conficeretur, noſtros aduocauit, à quibus eſt de more inſtructus: cumque ſolus de nocte vigilaret, voces eas de cubili audiit clariſsime, Michael, Michael quid iſtum precibus iuuas tuis? Ille primum horrore perfuſus, cum mali dæmonis ea verba ſuſpicaretur, tutelaris angeli præſidio ſuperati, ſpe diuinæ miſericordiæ concepta, vouet peregrinationem ad ipſius diui Michaelis delubriũ, quod non procul ab hac vrbe religioſa peregrinorum frequẽtia celebratur, & paulo poſt valetudinem recuperat. In alio vir diuinæ prouidẽtia ſuauiter omnia diſ-

ponentis

Ponentis eluxit: fecerat ille, quod alii bene multi, vt ex eo communi vrbis incendio rus euolaret: vbi cum versaretur, subit animum illa cogitatio, si forte morbus, morsque ingrueret, defutura sibi ea auxilia, quæ paulo ante videbat à nostris patribus morientibus adhiberi. Nulla interposita mora reuenire statuit, redit, & eo ipso die, quo ciuitatem attigit à morbo tactus est, nostros accersit, animum expiat, moritur sanctissimè. Multi nostrorum precibus recuperatam sanitatem ferunt acceptam, quippe videbant post recitatũ à nobis Euangelium, aut imagine agni cœlestis adhibita, non paucos valuisse; Hac occasione inductus aquæ lustralis vsus, quam plurimi iam priuatis in ædibus religiose custodiũt, cum antę nostrum in hanc vrbem aduentum nullus vteretur. Sed nostrorum labores non furentis morbi curriculo, quod trium fere mẽsium fuit circumscribuntur, toto anno strenue domi, forisque laboratum fuit. Restitutiones rei alienę factæ quam plurimæ, quæ nonnunquam mille aureorum summam excederent. Vsuræ repressæ: diuortia composita: matrimonia non rite neq; pie contracta, aut dissoluta, aut meliori fide conglutinata. Quam triginta & octo annos ne legitimo thoro quidã habuerat, nostrorum monitu iustam vxorẽ habuit. Lustra quædam suburbana fornicesq; lupæ insederant, monitus per nostros magistratus communem iuuentutis perniciẽ relegauit. Vir fuit in libidinum cœno diu multumq; volutatus, qui nullas corporis voluptates repudiaret, sed qui tamẽ ore incesto preces quotidie è Beatæ virginis Rosario persol-

persolueret, quod leges cuiusdam sodalitatis, cui se quondam addixerat præscriberat. Is cum aliquando meretrici condixisset, & iam in via quasi admissarius exultaret, incidit cogitans pensum orationis nondum eo die persolutum. Redit in cubiculum, ponit genua, Rosarium capit, verba sanctissimi Gabrielis vsurpat, cum ecce tibi horribilis quædam larua, quales furiæ in theatris solent exprimi, subito emergit, quasi ipsius è corpore, & odore teterrimo dissipato, per ferreos cancellos fenestræ sese eiicit è conspectu. Homo exanimis & exanguis metu cum aliquandiu iacuisset, auertit oculos in aduersam partem, videtque agitare virginē eximia forma, ea specie oris atque vultu qua Dei Matrem diuus Lucas penicillo, & suis scriptis Nicephorus, Epiphanius, & Cedrenus reliquerunt. Cuius aspectu incredibiliter recreatus, satiari contemplando nō poterat, donec tādem cum oculos demisisset, illa euanuit. Sensit munus magnæ matris, & singularem in se beneuolentiam, & nouo quodam ardore inflammatus, in eo ipso vestigio, voto se castitatis obstrinxit. Hæc ipse & alia quædam, quæ nos scire nihil interest, scripta planissime, & obsignata vni de nostris exhibuit. Et est huiusmodi, vt nec falli facile posse videatur, neq; fallere voluisse. Fuit & alius nō peritus minus, & exitu etiam haud paulo iucundior: Is nullius vir religionis, cum Deus sit, necne sit, non vehementer curaret, iam per eum annos integros à Sacramentorum vsurpatione abstinuerat, venit in hanc vrbem, cum Ludicram artem factitādo regionē omnem peragrauisset, &
forte

forte fortuna incidit in conuentum, vbi noster Sacerdos de suppliciis inferorum acri orationi disserebat. Iam commode maculosum animum pia pupugit oratio, vt horrore salutari perculsus, nullam quietem animi, corporisq; senserit, priusquam eidem Sacerdoti Labes omnes fœdæ conscientiæ cum magno dolore sensu detexisset. E confessionibus admirabiles fructus extiterunt, plurimæ hoc anno generales totius vitæ sunt auditæ. Multi ad nos longa viarum intercapedium reuotissimis & pagis cõsilii causam & Sacramentorum venerunt? nutantes in fide confirmati: Adolescentes duo à teneris annis imbuti educatiq; in hæresi, apud nos peccatorum maculas eluerũt, & sacrasancto ferculo recreati, ab Episcopo deinde Confirmationis Sacramento muniti sunt, magna vtriusque voluptate. Mulier quædam mariti bræuitate, & Lenociniis à fide aberrauerat, sed in viam ductu Nostrorum reuocata, hæresin deposuit, & tam pie vita functa est, vt marito qui prius illi caussam ruinæ fuerat, salutem peperit. Alii etiam aliquot hæretici cum parente Ecclesię reconciliati. Fructuose habite conciones duobus in vrbe locis, iisdem temporibus: tradita fidei rudimenta: inuisus carcerũ, & scelerum colluuione releuatus. Quo in genere quiddã accidit, quod quia plurimis fuit admirationi, taceri non debet. In vinculis perfidiosissimus homo tenebatur reperditus & voluntate, & ab omni religionis sanctitate alienus: Is multorum flagitiorum damnatus in hæresi mori obstinauerat: Aduocantur Sacerdotes seculares, vt ferocientem mollirent, & insitas opinio-

opiniones euellerent irrito conatu: In eadem etiam incude tundenda religiosi quidam Patres sudarunt: sed frustra. Ad nos igitur vt ad sacram anchoram, in re deposita ventum est. Noster hominem sic tractauit, sic in omnem partem versauit, vt benignam Dei manum sentiret ab importuna desperatione reuocantem: docetur, adiuuatur, generalem confessionem instituit, hæresim ponit coram iudicibus in carcere, & deinde in publico supplicii loco eiurauit summa omnium gratulatione, qui hominis vulgo noti tam subitã mutationẽ demirabatur. Sed vt in scholis tãtisper immoremur auditorũ numerus nostrã expectationẽ superauit, qui morbi metu, quasi tẽpestate in varias partes eiecti, plurimi redierunt. Ducenti omnino supra mille numerãtur, cũ ante morbos mille & quadringenti censerẽtur. Quorũ indoles, & ad omnem virtutem inclinatio, vel ex eo cognosci potest quod cum Reuerendus Pater Prouincialis hoc Collegium visitaret, oblatus illi Catalogus est vnius & triginta, qui omnes Societatem nostram expetebant. Plures etiam ad alias se religiones, & Capuccinos maxime contulerũt. Non defuerunt, qui libros malos, & impuros datis pecuniis emerent, quos deinde nos in flammas iniiceremus. Sacellũ nostrum, quamuis exiguum, non exiguam tamen pietatem continuit: Aliquot virgines, cum in eo spiritum religionis hausissent, sponsum Christum in Monasteriorũ castissimis cellis delegerunt. Aucta suppellex sacrificali veste perelegante, nonnullisq; aliis ornamentis. Quidam anceps, & in fide Eucharistiæ dubius, cum

vni

vni de Patribus rite operâti adesset, videt hostiam inter manus Sacerdotis cruore perfusam, quo portento cum perfidiam argui suam non male credidisset, omnem postea dubitationem sustulit. Foras etiam itum est aliquando, nam lustratus Sacratarum virginum conuentus paucis milliaribus ab hac vrbe dissitus, & eæ pene omnes generali confessione, piisq; monitis ad omne genus religiosarum virtutum excitatæ. Quædam fuit, quæ cæteris audientibus diceret, se beatá fœlicemq; futuram, si cum vitam morte commutaret, de nobis adesset aliquis, qui abeuntem animam consuetis officiis prosequeretur. Votum Deus benignissime exaudit. Cum eo noster nec opinantibus illis ex obedientia sexto post mense reuertisset, Antistita curriculo mittit, qui nuntiet quandam de suis animá agere, proinde perueniat, opituletur, nec extremæ desit necessitati, & verè ita fuit, ægram reperit plenam quidem iudicio, sed quæ tamen vix primoribus labris fugientem animam retineret. Tantum illi tributum est vitæ quantum ad explicandá totius vitæ peccata, & extremam vnctionem adhibendam requireretur. Tum illa voti compos erectis in cœlū oculis religioso, beatoq; fine spiritum exhalauit. Atque huius piam mortem cæteras aiunt mirum quantum commouisse, & ad omnem vitæ perfectionem inflammasse.

COL-

COLLEGIVM NIVERNENSE.

EX quo Rex Christianissimus mitiores oculos in societatem nostram coniicere dignatus est eamquæ non antiquis modo sedibus restituere, sed nouis etiam nonnullis locis stabilire, nihil habuit antiquius ciuitas Niuernensis, quam in Collegii sui restaurationem omni studio, industriaq; incumbere. Duodecimus enim iam agebatur annus, ex quo experientia ipsa Magistra sentiebat, quam multum sibi Societatis Iesu Collegium, vel vtilitatis, vel dignitatis afferret: videbat vicinas sibi ciuitates duas, alteram restituto, alteram & recens instituto gaudere Collegio: cumq; se alteri supparem, alteri etiam supperiorem censeret: exstimulabat non iniusta æmulationi ad id bonum fruendum, quo finitimos suos magno cum gaudio, & gloria frui animaduertebat. Itaq; piis eius, iustisq; desideriis bene obsecundãte numine, quẽ maxime idoneum nata est magistratum, cuius opera negotium omne susceptum est atq; perfectum. Magnum erat Societatem, & hominum penuria sub hæc initia laborante, & in Niuernense Collegium, tam male materiatũ, & ruinosum, tam paruo, tenuiterq; fundatum, non admodum propendentẽ ad se inclinare, id omni officiorum genere, si quando nostros hac transire contigisset, omni amoris significatione, precibus promissisq; prosequuti sunt. Magnum erat Regem Christianissimum qui non temere Societatem in omnia diffundi loca desiderabat, sed pro nostrorum operariorum paucitate, in vrbibus præsertim contagione

gione laborantibus, in eam ſententiam adducere, vt Niuernenſe Collegium inſtaurari pateretur. Is à magiſtratu multorum menſium ſtudio, ſumptibus, & labore, multorum grauiſsimorum hominum interuentu, in quibus Reuerendiſsimus Antiſtes induſtriam ſuam & apud Regem gratiam deſiderari minime paſſus eſt: Ipſius etiam Sereniſſimi Principis Niuernēſium Ducis precibus, quin etiam Patrum noſtrorum, Patris præſertim Prouincialis, ac P. Cottoni, quibus iam dudum Rex familiariſsimis vtebatur, humili ſupplicatione tandem aliquando Pariſiis eo die perfectum eſt, quem hic ciuitas ſancto Geruaſio Sacrum patrono ſuo celebrabat menſe Iunio an. 1606.

Et anno quidē 1606. crebro iam Niuernenſes, & verbis coram Lutetiæ, & ſcriptis percertos nuntios literis cum Reuerendo P. Prouinciali perſtudioſe agebant, vt in negotii huius ſui confectionē ſe daret, & ipſam ciuitatem vel ex tranſitu viſere, ne grauaretur, vt quid à nobis ipſo inſpecto Collegii antiqui loco requireretur, ſiue in ædificiorum inſtauratione, ſiue in conſtitutione redituum ſtatueretur. Erat tum Biturigibus Pater, cum ex condicto ciuitas, illuc vnum è conſulibus deſtinauit, qui Patrem cū ſociis ad ſe deduceret. Menſe ergo Maio Niuernum attigimus, ibique inuſitata beneuolentia excepti ſumus: Plebs ipſa primum totis gratulabunda vicis, quaſi iam redintegrato Collegio lætari, viri graues ſe viæ comites, vt fit, adiungere, in ædes magnifice apparatas, floribusq; toto atrio, gradibus, aula, cubiculiſque conſtratis deducere, atque officioſiſsime re-

crare: Illico primores ciuitatis Patres officii caussam frequenter adire, causam suam infinitis precibus commendare, certatim ad se conuiuij gratia inuitare, nullum bene precandi, officiique deferendi finem facere. Postero die visitato mane Collegio, eiusq;. Idea vtcunq; designata apud Reuerendissimum Antistitem conuenere, cum primariis ciuibus consules, vt sub beneplacito R. P. N. Generalis de statuendo Collegio ageretur. Et primo quidem de augenda annua Collegii dotatione actum est, duum fere millium Francorũ, prius ea fuerat, tria millia spospondernnt: villa quædam exigua dudum ad nos pertinuerat, & illam restituendam & duas insuper adiiciendas longe opimiores curauerunt. Elementarii pueri docebantur, ea nos molestia liberarunt. Rhetori compendium Logicæ sub extremum annum incumbebat, ea priuari passi sunt. Suppellex domestica, aut vsu consumpta nobis absentibus, aut dissipata erat, ad eam exhibendam se alacriter obtulerunt. Classes, sacellum, Collegium totum restaurandum, maxima etiam ex parte à fundamentis excitandum erat, id quoque in se forti animo receperunt: Denique ad omnem conuentionum æquitatem non inuiti descẽderunt. Et negotium quidem iam prope confectum videbatur, cum res ipsa docuit duas ingentes superfuisse difficultates, & optimorum ciuium expectatione maiores. Nam hæc tota tractatio Romam delata, eatenus quidem placuit, vt Collegium Niuerni restitueretur, neq; id negari piæ memoriæ serenissimi Principis Ludouici à Gonsaga, fundatoris eius optime

de

de Societate meriti æquum fuit, vt autem præter villarum adiectionem mille aureorum annuo reditui Societas acquiesceret, id vero exprimi non potuit. P. N. Generali quatuor millia Francorum requirente, quod cum ad P. Prouincialem, & cum per eum ad ciuitatẽ delatum esset, ingemuit illa videlicet, metum inter & desideriũ fluctuans, verita ne quæ millenos iam Francos corrogatis ciuium eleemosynis ægre conficiebat, nihil præterea, nisi ab inuitis corradere posset; cum præsertim populares morbi tum in vrbe grassantes non exiguos sumptus exigerent. Desiderabat nihilominus opus tam excelso animo inchoatũ, tam votis omnibus expetitum nulla desperatione deserere. Itaq; ciuitas centũ, clerus quadraginta aureos annuos adiecit, quibus ad summam quam requirebat Pater N. propemodum peruẽtum est, & contractus fundationis rite cum Principe, & ciuitate initus, vndecimo Ianuarii, anno 1607. Altera supererat à regiis Ministris difficultas. Nã licet Regis consensus in Collegii restitutionem à P. Cottono verbo esset expressus: illi tamen, vt ne eum scripto ederent, alias ex aliis nectebant difficultates, vt suspicari liceret, propositum illis esse, negotium, totum aut moræ diuturnitate frangere, aut tædio difficultatum. Sed res tota à magistratu, tanta industria, prudentia, fortitudine tractata est, vt Breue quidem Regium, quod vocant, deinde etiam diploma authenticum, secum sua magna lætitia, & eorum omnium gratulatione, & æmulorum admiratione retulerit. His ita ex animi sententia confectis, quum etiam dum strenue ad-

huc conficerent, & diuinis, humaniſq; auxiliis vrgerent, ciuitas quæ initium dari Collegio primo quoque tempore cupiebat, ad eius ædificationem omne ſtudium diligentiamque conuertit: & impetrato à R. P. Prouinciali vno è noſtris Patribus, qui opifices dirigeret, coemptis, diſiectiſque aliquot priuatis ædibus, quinque claſſes in edito loco ad orientem obuerſas, opere ſolido atq; egregio à fundamentis erexit, omnes centum viginti pedum longitudine, ſingulas triginta latitudine, ante quas peramplus Xyſtus pari lõgitudine protenditur, repagulis inſtructus lapideis, vnde ad ſcholarũ aream geminis ſcalis orbiculatis deſcenditur, domum præterea habitationi noſtræ continentem, quæ recreationis aulam, & decem cubicula noſtris percommoda vſibus habeat, magno ſumptu conſtruxerunt, veterem autem habitationem ita reformarunt, vt ſpecies formaque Collegii alia prorſus antiquis eius incolis appareat: Deniq; ita cum Niuernenſi Collegio hoc tẽpore actum eſt, vt communis illa ruina, non tolerabilis modo, ſed optanda etiam, atque emenda fuiſſe videatur. Factum eſt in ipſis Lucalibus in omnibus claſsibus docendi initium, habita pridie à Rhetore oratione, quæ omnium ordinum frequentia celebrata eſt, quin ipſa plebs imperita incredibili ſilentio, & deuotione à principio ad finem immobilis ita perdurauit, vt lacrymas præ gaudio recuperatæ Societatis tenere non poſſet. Poſtridie factum eſt ſolemne ſacrum, in magna procerum, & vtriuſque Inprimis magiſtratus corona, qui à ſua dignitate minime alienum duxerunt,

erunt, ad ſingulorum profeſſorum proluſiones adire, & hæc redintegrati Collegii ſui initia cohoneſtare: Simulq; tot deſideriorum, laborum, ſumptuumq; fructus ſuauiſsimos prælibare.

DOMVS PROBATIONIS Nanceiana.

COluerunt hoc nouale Domini homines de noſtris 55. Nouitii quadraginta duo, reliqui veterani. Adoleſcentem filium pater ira exæſtuans, noſtro è tyrocinio partim patria poteſtate, partim iuris actione abducere cogitabat. Aduolarat huc eo conſilio media è Gallia, ratus filiũ a nobis dolis inductum, dolis à nobis ac fallacibus Blanditiis retineri. Patẽte ædiũ ianua interrogatus Adoleſcens, num patrem quem cerneret, quem audiiſſet, abiecto Societatis conſilio ſequi vellet, præciſe ac modeſte denegat. Spectaculum longe pulcherrimũ lectiſſima Nanceiana fœmina nobis in hoc genere edidit, ea quos priore marito duos commendabili indole filios ſuſceperat, diu in noſtrorum conuictu, diu in ſcholis noſtris habitos, cum Societatẽ ambos affectare cognouiſſet, interpretata, vt eſt eximia pietate, diuinum in ſe beneficium id eſſe, quo die res matura eſſe viſa eſt, cincta fratre ac marito ſuam illam prolem geminam, noſtrũ in templum religioſe inducit, vtramq; in lacrymas & preces effuſa, Deo & B. Mariæ in Societate dedicat, nobis integerrima voluntate Societatis lacte Deo, ac Virgini Matri alendam, educandam tradit. Certant

tant nunc ambo religiosis officiis, quibus se germanam Societatis sobolem prima hic eius disciplina forment, ac probēt. Eandē religiosæ humilitatis scholam speciosæ mundi fastus celsitudini duo Christiano exemplo prætulerunt, Doctor medicus vnus, ætate doctrina, valetudine animi & corporis, nobis percommodus. Alter Rhemensis Canonicus & Ecclesiastes, quem ad bellandum in Societatis castris bella domini, & sua pietas, & fratris exemplum, & in primis Dei vocationis gratia excitauit. Consuetis peregrinationibus, dispersus, collectusq; Societatis nostræ bonus odor. Diuerterant nostri ad religiosam familiam, accepti in ea benigne & comiter: quantum boni illi Patres Societati tribuerent, tum ex reliqua omni charitatis abundantia, tum ex ipsorum ore non sine modesto verecundiæ sensu perceperūt: Prædicabant illi nostrum in procurāda proximorum salute studium, quod non ad seculares modo, sed ad religiosos quoq; cœtus permanaret. Ne assentari, aut sermonis gratia loqui viderentur, exemplum in suo ipsorum ordine ostendebant, sublatum ex eo quiddā nostris auctoribus, quod cum religiosa perfectione minus conueniret. Quæ Parthenia Sodalitas diuisa in duas, nobilitatis vna, communium ciuium altera principio fuerat, eam hoc anno iustis de causis cogi in vnam operę pretium est visum, ea de re cum timidius nonnihil deliberaretur, essetque de ea relatum ad Illustrissimum Comitem Vademontanum, serenissimi Lotharingiæ Ducis filium, ac Parthenicæ huius Sodalitatis Principem, ecquid vero est, inquit,
cur

cur de nobis trepidetis? Dei in causa, æqua Principum, atque opificum ratio est; neque in cœlo dedecori erit, neque in terris iniqua esse potest, honesta piorum consociatio. Itaque ipsemet huius faciendæ consociationis magnopere auctor fuit, quam gratulari etiam sibi visus est, tum cum in Sodalium numerosum cœtum, paucis post diebus de more ventitans, patrem alloquens illum de nostris qui congregationis curam gerit, etiam alacrius, inquit, nobis in posterũ colenda pietas, nobis Sodalitatis fungendum officium est. Secutus hujus Illustrissimi Principis exemplum, Illustrissimus Princeps Ioinuillæus demortui Henrici Guisæi filius, & ipse Partheniam hanc Sodalitatem expetiit, & die Conceptæ Virginis sacro in eam acceptus, in ea se Dei Matris clientelæ supplex de formula tradidit magna animi voluntate, magno fructu, & vero etiam lœta illius diei gloriatione. Ergo hanc familiam magnæ Matris, magnæ nobilitatis, magna omnium ordinum copia cohonestat, quam & Ioannes Porceletus à Maillane vir præcipuæ apud omnes auctoritatis, pietate, bello, ac literis clarus, & Reginaldus Gournæus Nanceianus Balliuus, ac Lothareni consilii Princeps his superioribus mensibus præfecti munere gubernarunt. Erit illud in nostrum ordinem egregię beneuolẽtiæ singulare posteris monumentum, partim amplificatus Sacelli ornatus, quod Cliuiensis Ducissa Caroli Illustrissimi Cardinalis soror nostra in æde superioribus annis excitarat, partim positum in eo Sacello signum insigne virginis Aspricollis sculptum è quercu illa

 miraculo

miraculo celebri, quæ gloriosa sui, ac Virginis fama Belgium omne compleuit, partim huic signo factum ex alabastrite lapide marmore, achate, pretiosum loculamentum. Impositum virginis dextræ sceptrum aureum, redimita matris ac filii capita corollis aureis: Sacrum id signum solemni ceremonia verno ieiunio ineunte, alternãtibus Musicorum ac fidicinum choris, nobilissima corona Principum virorum fœminarumq; Lotharenæ gentis, ab nobilissimo viro Antonio Lenoncurcio Bellopratensi Abbate Illustrissimi Cardinalis nomine primum in templo nostro collocatum. Prætermitto donata ab eo nobis duo pretiosissima vasa ex electro, argẽto, ac suffimine pręclaro artificio confecta: taceo spirantia B. Borromæi, & Catharinæ virginis martyris signa, tanta specie, tanto vestium pretio, atque cultu, vt cerni à quoquam sine approbatione, & sine admiratione non possint. Nobis ordinis nostri amantissimus Princeps curabat ista, plura etiam animo designabat, nunquam de nobis suo ipse amori satisfaciens, cum luctanti iamdiu cum infœlice vita mors ærumnarum portus perfugium attulit. Adfuimus in morbo, & in morte ei, qui nobis in vita semper adfuerat. Mori se ipse dies ante mortem aliquot solus propemodum sentiebat, adeo nihil certi à medicis primum, post etiam ab eorum nonnullis humanæ ac fallentis fiduciæ signa ostendebantur, dum has spes alunt, cæcam mali vim vitam intus populantis subita totius corporis conturbatio ostendit, quæ vt dare signum visa est, noster qui tum aderat Rector, illoq; incerto tempore dies

noctesq;

noctesque crebro ac diu necessario adesse cogebatur, quod eum sibi Illustrissimus Cardinalis à conscientiæ suæ consiliis atque à confessionibus adhibebat, cōmunitum iam ante Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis, sacro oleo intingi curat. Residente vi ac specie extetna perniicialis mali, & se inungi tranquille optauit, sensitq;, & deinceps donec integris fuit sensibus, fuit autem horis adhuc aliquot, sacras Christi crucifixi, ac B. Matris imagines pie admodum osculo, & aspectu prosequens, Iesu & Mariæ nomina sæpe appellans, quas orationes ad Deiparā præsertim recitare firmior consuesset, eas præeuntem Rectorē nostrum verbis vt poterat subsequens, offensionum veniam & dans, & petens; meliora etiam, si vita suppeteret, in posterum designans, sensim placide nullo violentiore motu agitatus illucescente die 24. Nouembris in mortem extremo Spiritu est consopitus. Vir religioni Catholicæ in his terris, reipublicæ, Societati imprimis vtilis, sed eum Deo euocante cœlo inuidere, aut infœlicem ducere, qui tam sibi misera atque ærumnosa vitæ statione excessisset, nec potuimus omnino nec debuimus. Quanquam dicere ipse solebat, intelligere se ex morborum sensu, quo ab nimia periculosaq; huius vitæ dulcedine abstraheretur, se suamq; salutem Deo curæ esse. Mortuus ne à nobis distraheretur, cui noster ordo præcipue in vita cordi fuisset, placuit serenissimo eius parenti Carolo tertio Lotharingiæ Duci cor de mortui nostro in templo, sacelloque in eo, quod ille nobis viuens ornauerat, condi, ac deponi, futurū immortale eius

erga nos; noſtri in eum viciſsim amoris monumentum. Ac ne quæ in res Catholicæ Eccleſiæ, & religioſæ diſciplinæ præclare inſtituerat, ea cum ipſius vita, vna defluerent, neue eius mors domeſticis ipſius fraudi eſſet, Sereniſsimus Lotharingiæ Dux eius parens, eius item frater natu maximus, ſereniſsimus Dux Barrenſis, receperunt rogatu R.P. N, Rectoris ſe vtriuſque negotii curam & rationem habituros. Sereniſsimi Lotharingiæ Ducis ſoror Brunzuicenſis Duciſſa ſuum de nobis bene merendi morem non intermittit, quanquam grauis iam & affecta ætate feſtis profeſtiſque diebus, noſtra in æde orationis, concionum, ſacramentorum cauſa frequentiſsima eſt. Quocunq; in templo audiendi concionatoris noſtri facultas ſe offert, eo cum ſuis actutum aduolat. Si per temporis iniuriam ſolitudo in templo, in concione metuitur, id magna illi eſt accedendi cauſa. Tenemus ab ea diuturnũ ſuæ erga nos beneuolentiæ pignus, reliquiarum copiam religione, & pretio ſingularem. In iis de Chriſti coronа ſpina digitalis impoſita pulcherrimo ſigno argenteo Chriſti inter lictorum manus duriſsimam verberum carnificinam patientis, diues materia, atq; opere, cenſendũ munus, vt periti iudicant, aureis ducentis. Catharina Princeps eiuſdem Lotharingiæ Ducis filia velũ nobis attribuit tegendo Virginis Aſpricollis, imo & Euchariſtiæ ſacro pegmati, æſtimatione centum aureorum. Argentéa pyxis aſſeruando ſacratiſsimo Chriſti corpori conflata ex piorum muneribus ac forma ele-

ganti.

ganti. Sileantur dona alia cætera. Reuerendiſsimus Tullenſis Epiſcopus Chriſtophorus à Valle, ſacrum calicem ex auro argentoq;, Damaſcenam ſacrificantis veſtem, aliam conueſtiendo altari, teſtamento nobis legauit, teſtes animi in nos ſui, & aſsiduum noſtrarum precum incitamentum. Celebrius illud, quod qui templum nobis excitauit nobiliſsimus & Reuerendiſsimus Lenoncurtius Bellopratenſis Abbas, Primaſq; Nanceianus quotidie illud ornare pergit. Nec literis eſt opus ad commemoranda hæc eius merita. Sunt in Lotharingiæ oculis & aſpectu, eaque facile diſperget rumor, vel ſi Sacellum ab eo ornatum proprie, inſtitutamque ſibi in eo ſepulturam loquetur: Rem & cultu, & marmore, & pingendi & ſculpendi arte, & tota operis forma ſpecioſiſsimam. Claudet hunc annum excitata à nobis ſuburbana villa, loco, & ſitu, & proſpectu peramæno, quæ quod in conſpectu eſt ædium noſtrarum, quanquam abeſt ab iis duobus Italicis milliaribus, mediumque ab iis ad vicinum prioratum noſtrum iter diſterminat; & quod & ſanis, & contagioſe laborantibus magno vſui eſt futura, fuit hactenus huic domui optabilis, deinceps eidem, vt ſperamus, & fœlix & lætabilis erit.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS Rothomagensis.

ALit hæc domus ad quinque & triginta de nostris, veteranos quinq;, quatuor Sacerdotes, quorum vnus tertium agit probationis annum, quintum Adiutorem operum domesticorum: Tyrones aliquos, in quibus etiam Sacerdotem. filium eximiæ indolis, doctrinæque nobilis matrona ad capessendum nostrum ordinem ipsa hortata est, ipsa adiuuit, ipsa obtulit, dicauitque. Tantum denique percepit eo vel admisso, vel amisso solatii, quantum credibile est, nonnisi diuinitus hausisse. Ac is tantæ iam parentis pietati egregie respondit, nam cum in prima probatione versaretur, affuit à propinquis, qui senatoriam in Curia Parlamenti Parisiensis dignitatem deferret: adderetque præsto esse duodecim millia aureorum, solum ipsius nutum, & voluntatem expectari, proinde re adhuc integra videret etiam atque etiam, num talis tamque honorifica conditio repudianda videretur: sed magnus animus, cui præ optimo creatore omnis creatura sorderet, tanta alacritate religiosam vel humilitatem, vel paupertatem Senatui, nummisque antetulit, vt, quod reliquum est, in sui ipsius contemptu & abnegatione parem deinceps operam nauaturus speretur. Parens alter ægre initio adductus, suum vt vnigenam pari indole Societati concederet, ita deinde immutatus est, vt cum ei recipiendi filii potestatem corā faceret Reuerendus Pater Prouincialis, negarit id sibi de eo licere, quem sciret meliori in loco esse, adiunxeritque si

quod

(quod omẽ Deus auertat) retro reſpiceret, ipſum ſe ſuis ædibus excluſurum. Dieſpæ vrbe Normaniæ nobili, ſed hæreſibus admodum inquinatæ Chirurgus erat tanti nominis inter hæreticos, vt ad magiſterium impietatis ab eis & deſignatus iam eſſet, & vero pretio inuitatus. Is propterea Catholicæ religionis conſilium ſuſcepit, quod in ſacrilega ſuorum, quam vocant, cœna, reuerentiæ, & pietatis nihil agnoſceret. Itaque Rothomagũ profectus ad nos adit, eiurat hæreſim. vxor initio pertinacior cum eſſet, ad Collegium tamen deducta, atque edocta à Patribus, ſe quoque paſſa & diuturno errore in viam & veritatem reuocari: Ita ambo nunc Catholici, ſacra myſteria apud nos obire perſeuerant. Ad funeſtam hæreticorum concionem, multis qua precibus, qua promiſsis allecta mulier, domum cum reuertiſſet, inſcenderetque in ſuperius tabulatum in ipſis ſcalarum gradibus, ab ingenti, vt videbatur, moloſſo, eoque atri & horrendi coloris tantum non præfocata, ſenſit ſe dæmoni, ſpecie canina mancipatam, atque errorem deteſtata, ad noſtrorum auxilium, atque ſacramentorum vſum magno ſuo bono perfugit. Maior animus adoleſcentis egregis, qui cum hæreſim, quam pene cum lacte ſuxerat, Catholica religione permutaſſet, eſt à patre hæretico cæſus atrociter, atque eiectus domo, nec tamen deſtitit vſu Sacramentorum aſſiduo, officiiſque veri Catholici, & fœliciter profugus, inter anguſtias, ęrumnaſque ſane haud mediocres, è cœlis Patrem meliorem implorat, eius etiam

etiam forori cautum , ne quid cauſa religionis patiatur. Doctrina Chriſtiana quemadmodum in vrbe & pagis compluribus traditur ſtudioſe, ſic vtiliter auditur. certat autē cum pietate noſtrorum diuina benignitas. Ita enim impellit animos vt piorum hominum munificentia nobis quotidie ſuppellex, ſacra imprimis, auctior fiat.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ AQVITANIÆ, Anno 1607.

PRouincia Aquitania domiciliis 12. ſocios numerauit triginta ſupra trecentos. Ii omnes hunc fere in modum diſtributi ſunt. Burdegala Sacerdotes habuit viginti & octo, è quibus duo Theologiam ſcholaſticã, vnus ſacram Scripturam; Vnus item caſus conſcientiæ, tres Philoſophiam, alter Mathematicam, & moralem, vnus literas Græcas profitentur: Magiſtri humaniorum fuerunt ſex: Scholaſtici triginta & quatuor: Coadiutores quindecim. Toloſæ egerunt ſeptem & quadraginta, Sacerdotes ſeptendecim, quorũ duo ſunt profeſſores Theologiç ſcholaſticç tertius caſuum; Tres Philoſophiæ, Græcarum litterarum vnus: Sex Magiſtri: duodeuiginti Scholaſtici: tredecim domeſtici adiutores. Mauriaci, Sacerdotes quinque: Magiſtri tres: duo Coadiutores. Ruthenis ſeptem Sacerdotes: Sex Magiſtri, è quibus vnus Philoſophiæ, reliqui litterarum humaniorum: quinque Adiutores domeſtici. Auſcis octo Sacerdotes, ex his vnus Philoſophiam docet: Magiſtri quinque: Coadiutores ſex: Petro-

choriis

choriis octo Sacerdotes, quorum vnus Philoso-phiæ professor: quinque Magistri: Rhetoricæ auditores quatuor: Coadiutores quinque. Aginni septem Sacerdotes, eorum vnus Philosophiæ est Professor: Præceptores quinque: pari numero qui rem domesticam curant. Lemouicis Sacerdotes vndecim, quorum vnus Philosophiam docet: Magistri quinque: duo scholastici: Coadiutores quinque. Cadurci septem Sacerdotes, quorum vnus est Philosophię professor: Magistri quinque: Coadiutores quatuor. Augustoriti Pictonum Sacerdotes quinque, quorum vnus in schola humanitatis docuit: Magistri tres: Coadiutores quatuor. In Tolosana probationis domo Sacerdotes tres: Coadiutor vnus: Nouitii scholastici triginta: adiutores sex. In Burdigalensi Sacerdotes duo: Coadiutor vnus: Tyrones nouitii Scholastici, sedecim: adiutores duo. Fato concessere quinque, eorum in locum suffecti quadraginta tres.

COLLEGIVM BVRDIGA-lense.

FVnestum huic anno principium fecit Antonius Morasius, Burdigalensis, obita ipsis Kalendis Ianuariis morte post diuturnam ægritudinem: anno ætatis actæ XXX. vitæ religiosæ XI. Ex his aliquot in iuuẽtute pro more instituenda cõsumpserat, altero Theologici studii absumptus est: Illud memorabile in eius fine, qua enim die obiit, fratrem, & sororis virum iamdiu discordantes ad se vocatos, concordiæ, gratiæque reddidit.

didit. Huius obitum excepit fine anni ex eodem ſtudio Theologiæ mors Gaſparis Aguti Ruthenenſis, cui ætas ad XXXI. annum proceſſerat: in Societate vixerat annos XIII. docuerat qua Rhetoricam, qua aliam literaturam annos VII. Violenta illum dyſenteria exhauſit, promptum obedientia, fortem patientia. varii variis adfecti ægritudinibus in integram valetudinem, Deo bene iuuante reſtituti: fuitque permirũ ſæuiente flamma contagionis, in magna ſcholarum templique frequentia, implorantibus, & accipientibus noſtram opem, vrbe tota ægrotis, poſtridie quam ad nos confeſsionis gratia venerant pleriſque extinctis, nullum è noſtris hominibus peſtilenti illo ſpiritu afflatum fuiſſe, cum præter morem nobis in vrbe ſtatio fuerit. Ergo in eo otio piis commentationibus, vt ſolet, vacatum eſt impigre ab omnibus. Hinc illa quæ licet ſumma, ſummatim exequar. Vincti ob æs alienum octoginta, exſoluti induſtria, gratiaque noſtra. Pecuniæ vis non exigua iuſtis dominis reſtituta, matrimonia non rite inita, ſublato vitio redintegrata. Confeſsionum, quibus totius vitæ crimina expiata, certus numerus haberi nequiuit, præ numero. Pudicitia Virginum multarum in tuto, adeoque bonis conditionibus collocata.

Virum noſtri amantem Dæmon totas noctes inquietabat: ſed cum primum monitu noſtro B. P. Ignatii fidem implorauit, ceſſauit infeſtatio. Alibi diutius, acriuſque certamen. Virginem callidus fallendi artifex, quoties oraret circumfundere ſolitus eximia luce, Chriſti inſuper aliorumq;

diuorum ſubinde ſpecies imaginarias oſtentabat; ſimplicemq; puellam, qua ſpecie rerum, qua voluptate pene circumuenerat, ni ſubiiſſet animum conſilii capiendi in re tam noua : Illum igitur è noſtris cui arcana conſcientiæ recludere conſueuerat, adit, & de tota re monet: Veritus homo, vti erat, fraudem; quæ in rem forent edocuit : Belle initio proceſsit negotium; euanuere viſa : ſed exinde grauiſsimus torpor, & atroces capitis, ac ſtomachi dolores miſeram inuadunt, quoties ad precandum ſe comparat : Nihilo tamen minus pertendit illa, certa vel ſuo cum dolore pertinaciam hoſtis frangere: & plagula cerei agni, reliquiiſque aliquot Sanctorum tanquam armis inſtructa, dolores, præſtigias, dæmonem ſuperauit. Mercator longe domo huc profectus : repentino ſanguinis profluuio corripitur: vocantur medici: ſed fruſtra ſunt humanæ artes. Non defuere qui malefica ope remedium deficienti pararent. At æger (forte non ante multas horas popularem ſuum Sacerdotem noſtrum viderat) tales medicinas, medicoſque in rem malam abire iuſsit: Quam hominis pietaté, Deus duplici beneficio cumulauit. Nam & animi deliquium inſperata coitio ſanguinis, cum ſanitate conſecuta eſt, & cum hoc portu ſoluiſſet, coortam tempeſtatem merſa mari particula agni cerei, tranquillauit; ſeque, & fratrem & ceteram turbam, in qua multi hæretici, facinus mirantes probateſque periculo eripuit.

Præſidis cuiuſdam liberalitate deſtinata erat piis vſibus ſumma pecuniæ non parua; ex ea nobis aurei nummi triceni ceſſere. Aucta etiam res

ſacra

ſacra ligneo exquiſiti operis pegmate ædiculæ inſtar; In cuius armario bene magnum ex argento ferculum corpori Chriſti condendo recens poſitum eſt, in quo pleræque ex vtroque teſtamento hiſtoriæ celatæ. His addita ſunt ſepta ante maximam aram peruenuſto columellarum Corinthii operis ordine, eadẽ materie qua pegma, eademq; opificis manu. Dalmaciæ præterea duæ, quis olim vſus cum ſolenni ritu faceret Arnaldus Pontacus Vaſatum Epiſcopus quandiu vixit noſtri ordinis amantiſsimus, ſacrario noſtro collatæ ſunt, pio hæredum eius dono.

B. Virginis ſodalitium vtrimque numero, dignitate, & pietate, in diem augeſcit. E minore decem in varias Religiones, ex iis in Societatem recepti ſex. Baro nobilis repentina oppreſſus ægritudine, inciſa per vnius noctis ſpatium nouies vena, cum nihil ſolatii caperet, iamq; ad extremum periculum veniret, ab pio Sodali, qui cum ei familiaritas, monetur vt implorata Virginis matris ope conceptis verbis promittat ſe nomen daturum illius Sodalitio, ſi ſalutem accipiat. Promiſsionem momento excepit ſanitas. Nec ſine multorũ admiratione paucis diebus poſt cœpit ſub Diuæ ſalutaris vexillo militare, ipſe Proregis Vexillifer. Ciuis pudendam ad inopiam dilapſus, etiam incertis penatibus aliquandiu vſus, ægre tandem liberalitate aliena gratuitum tectum habuit. Sed ex beneficio periculum aderat. Domus incurioſe habita ruinam in omnes horas minabatur. Enimuero calamitoſæ familiæ vel illic ſemel pereundum, ne tamdiu periret, vel in publicum erat de-

migrandum. Gnari eius miseriæ Sodales nonnulli, non modo domum in qua rerum omnium inops familia tuto haberet, sed alia etiam vitæ subsidia honesta largitione curarunt,

Conuicti quinquaginta & quinq; Caluinianæ sectæ alumni, manus dedere, & palã professi sunt sinceram fidem. Horum omnium nomina, vt iussit, ad Regem Christianissimum sunt missa, nostræ operæ, diligentiæq; aduersus calumniatores testimonium. Victoria porro hæc quanti laboris fuerit, vno, atque altero exemplo exequar. Chirurgus hæresi innutritus, mulierem cuius valetudines regebat, clam marito ciue honesto, circumuentam subduxerat diutius ab mysteriorum omnium celebritate, induxeratque ad frequentanda impiorum conciliabula. Innotuit fortean marito consilium improbum, qui è vestigio de nostris vnum aliquem rogat, qui male munitam adhuc arcem propere aggrediatur: Nam in mora omne periculum, pertinaciam solam superesse expugnandam. Agitur paribus animis, atque machinis: iamq; illa se tantum non collegerat, cum homines curiose improbi, comperto quod agebatur, cohorte cum tota, & ministris adeunt Proregem, edicta regia violari conquerũtur, quod omnibus licitissimum sit, mulieri non licere ex animi sententia electionem religionis facere, quæque alia indignatio suggerebat, summa totius orationis nos, nomenque nostrum lacerauit. Noster homo & vir mulieris eius, ipsaque adeo citati apud Proregem venerant tanquam in rem præsentem: Ibi cauillatorum excepta oratio est verbis equidem,

vt

vt auditum eſt, valde bonis. At Prorex cum intelligeret mulierem ambiguam animi atque ſuſpenſam hærere, menſem ei ad deliberandum decernit, excluſis ab eius Colloquio importunis poſtulatoribus. Toto igitur illo tempore tam eſt acriter cum ea actũ, & tam fœliciter, vti ad diem dictam adito Prorege, in magno mortalium conſeſſu, Catholicam ſe eſſe, & illos (digito monſtrabat Nouatores) eorumque ſectam exſecrari profeſſa ſit.

Adoleſcens Bezæ impii alumnus, parente miniſtro natus, mox in patris locum ſubrogandus, ſalutari conſilio huc ſe recepit. Non fefellit parentes, qui vocatis etiam ad opem è tota vicinia miniſtris hominem aggrediuntur, ſuperq; promiſſa minas ingerunt: Quæ ille omnia magno animo in ſuper habuit, & nõ multo poſt hæreſim abiurauit.

Elata eſt Maria Barguenonia vxor Ludouici Muletii Turriani in hoc Senatu regii Aduocati, noſtroque in templo ſepulta eſt, quod ipſa donariis per multis locupletarat. Matrona in magnis opibus & luxu modeſtiſsima, ac pietatis officiis celeberrima. Multos iam annos noſtrorum hominum præceptis ad omnem ſanctimoniam informata, virtutum quam æui matura, quod optarat, feſto Conceptæ Virginis die, non improuiſa, ſed repentina tamen morte per abortum deceſſit. Proſecuti ſunt funus præter Senatum vniuerſi ordines, vt quam omnes extinctam dolerent, omnes efferrent.

MISSIONES.

FOntenarium vrbs eſt in Pictonibus celebris, ſed Caluinianæ impietatis iam inde à principio alterum aſylum. Eo concionatorem miſimus, vti deſideriis Maleacenſis Epiſcopi, cuius in ditione vrbs illa eſt, dudum id poſtulantis fieret ſatis. Proceſsit res cum magno operæ pretio. Nam licet edicto rabulæ Nouatoris, interdiceretur vniuerſis hæreticis, nō concione modo, ſed alloquio etiam noſtri hominis; paſſim tamen & aduentu & Quadrageſima dicentem audiuere permulti. Ex iis præter alios, vir natalibus clarus cōcionem de Dominici corporis myſterio tanta attentione, ſenſu, atque fructu percepit, vt è veſtigio palam, fremente nequicquam ſynagoga hęreſin deteſtatus ſit. At Dynaſtæ heretici œconomus domino percharus, à peruicaci prauitate in fidem illibatæ religionis venit; vtque procul omnes periculorum cauſas, offenſioneſq; potentiorum haberet, commodis, loco, atq; dignitate libenter abiit. Catechiſmi porro explicationes, ab ipſis etiam viris auidiſsime expetitæ, exceptæque, ſunt; vt vix è tanto numero mortalium relictus ſit aliquis ignarus Chriſtianæ doctrinæ. Publico æris campani ſigno (quæ res penitus ignorabatur) ſalutandæ ter in die Virginis, nouitas ac pietas grandem expreſſerat; pacificorum ſcilicet hominum; querimoniam, quaſi eo ſigno bellicum caneretur. Sed pacis illud, nō belli ſignum eſſe, vt ſciretur factum eſt, quod vniuerſa Gallia celebraretur.

Neracum, Vaſconiæ vrbem poſt annos duos reditum eſt beneuolentibus Catholicis. Præſes

aman-

amantiſsimus Societatis. Concionatorem noſtrum in regio Palatio ſecum diuertere iuſſerat: factum inuidiæ plenum noſter homo cum bona eius venia prudenter declinauit. Arduum hic negotium eſt, vel vnum aliquem è Caluini grege adloqui, nedum longa diſputatione parum ſolidos concutere; ita noſtrorum congreſſu prohibentur miniſtralibus edictis, ac minis. Qui contra faxit, vitę oppido, fortunarum, rerumq; omnium periculis expoſitiſsimus eſt.

Artificem ſcribendi peritiſsimum altera congreſsione conuictum hæreſeos, certumque fidei Catholicæ tenendæ, vna illa moleſtia differebat, quod intutum eſſet Caluiniana in vrbe amplecti veram pietatem. Solum ergo vertit ſubducta clanculo familia, & loco tutiore ſubſiſtit inter probos ac pios, nouus probitatis ac pietatis cultor.

Id vero minime prætermittendum, miniſtros è ſuperiore loco dicentes præſente noſtro, nihil vnquam diſſerere auſos de fidei capitibus controuerſis, metu ne refellerentur. Quin abſente noſtro antiquiſsimus Galliæ miniſter, ratus ſibi licere impune bacchari in familias Religioſas, & Romanam fidē, repente morbo afflictus, tertio poſt die ſceleſtam animam efflauit. Non procul eo loco Caſtellum viri nobilis altera ex parte conflagrarat. Aduolat noſter, cōiectaq; agni cerei imaguncula, concidit repente violentia flammarum, eoq; illuſtrius miraculum fuit, cum purgatis, cribratiſq; cineribus, ſacra cera inuenta eſt omnino priſtini candoris atq; formæ.

COLLEGIVM TOLOSANUM.

IN vrbe amantiſsima pietatis auitæ, permirum eſſet quinque ſupra viginti manifeſtos hæreſis Caluinianæ reuocatos ad fidem Catholicæ veritatis, niſi conſtaret huc aliunde varias ob cauſas confluere infectos peſtilenti errorum malo. Vicino in oppido artifex è plebe nequiſsimus, comite vnô ſui ſimillimo in proximum collem digreſſus, Catholicorum templum in ſummo ſitum init, & æneum Chriſti domini cruci affixi ſignum rapit, fanda ac nefanda in ſacram imaginem ingerit. Et alter, ſubducam idololatris, ait, materiam ſuperſtitionis. Cumque dicto exportabat imaginem. Sed ſtupore ſubito percuſſus concidit mortuo ſimilis, iacuitque donec ſubleuatus ab Socio, ſignum ſuo loco repoſuit. Iam regreſsi in limine erant, cum quod pauidi ſolent, ille ipſe retro aſpexit, eximiamque lucem, vt poſtea fatebatur, ſuper aram animaduertit, ad cuius intuitum velut fulgure ictus corruit denuo. At comes vbi omnem operam fruſtra eſſe videt, auxilium propere ex opido arceſsit. Id etiã fruſtra; circa ædem & late colle toto, nil niſi ſolitudo & tacentes loci. Nam miſer ille interim per auia & prærupta ſaxorum raptus, in ſubiecti fluminis ripa commodum repertus eſt, domumque relatus. Verum ille hominis tam bonus comes, rem totam ſecum diu reputans, vindicemque Dei manum cuius vim ille erat expertus formidans, certus hæreſis abiiciendæ, erudiendum ſe nobis atque informandum tradidit. Altero quid factum ſit ignoratur.

B.P.Igna-

B.P. Ignatii opem exoratam habuere morbo affecti plurimi. Et honesta mulier abortus sibi solemnes metuens, particulã eius saxi in quo apud Manrezam olim tam pia latebra egerat optimus Pater, adeptam, nunquam à se dimisit, donec facillimo nisu innoxium fœtum edidit. Beneficii monumentum extat votiua tabella, in qua Deus parens tutelæ Christi Domini cruci adfixi commendat B.P. Ignatium, sociosque. Ea apud nos dedicata est. Sodalium vero aliquis periculosa febri æstuans, vouit se pridie Kalend. August. quo die B.P. è viuis excessit, diuinum Christi epulum initurum si periculo eriperetur. mirum dictu, post medium horæ quadrantem conualuit.

Supellectili sacræ peristroma accessit: rei familiari ducenti aurei nummi, quos consularis homo nostri amans, testamento legauit. Ei moribundo cum è nostris adessent aliqui, factum optimo consilio est, vt consanguineis è suis octo, quorum multi etiam consulares, ipse concordiam per odia & simultates pessundatam restituerit.

Supplicatio per horas quadraginta nostro in templo habita postremis Bacchanaliorum diebus, celebritatis permagnæ fuit. Nam tota ex ciuitate, viciniſq; oppidis & pagis cõcursus omnium ordinum est factus: diesque procaciæ destinati, pietati & modestiæ consecrati sunt. Certe si quando alias, Sacramenta confessionis & Eucharistiæ, concionesq; ter in die habitas, Tolosates frequentissimi adiere.

Rapistani, quo in oppido prioratum habemus, se quidam temere ac frequenter diris deuouens,

tum vero flammas, ignesque sibi imprecabatur. Monuit sceleſtũ è noſtris aliquis, caueret ſedulo formidabilem diuinæ ſeueritatis vltionem, initaque cum primum ſcelerum confeſsione veniam à Deo poſceret, ſeque proximo diſcrimini eximeret. Tum homo improbus vultu renidens, hortationem, vt rebatur importunam aſpernatur, remque totam periculi ſui facit. Sed non tulit impune. Ipſo die ſub veſperam repente adductis nubibus atrox tempeſtas cooritur, medioque in horrore tonitruum fulminumque conſpecta eſt feralis flamma è cœlo præceps ruere in miſeri illius domum & caput: arcanoque Dei, iudicio factum, vt cum infœlici parente, filia fortean innocens, eodem igne conflagrarit.

Sub æſtatem mediam P. Petrus Vitalis Biterrenſis fato obiit, annos natus 40. in Societate agebat vigeſimum, Theologiam docebat quatuor. Homo inſigni charitate, vnde omnibus iuxta æque charus, domeſticis & externis, rara porro induſtria, & efficacia ſingulari aduerſus pertinaces Hæreticorum animos; quorum intra paucos annos ducentis plures Eccleſiæ reddiderat. Vt primum conflictari morbo cœpit, de ſe actum prædixit, fruſtraque vocari medicorum operam, eoque intentius ad vltimum certamen ſubeundum, mature ſubſidia comparauit omnia. Ex his non poſtremum fuit generalem totius vitæ confeſsionem retexere, ei de noſtris, quem annuente ſuperiore elegit, credíditque ſibi amiciſsimum vt vellet, peritiſsimumque vt ſciret eius excutere conſcientiam: quam tamen ſuperioribus valde

teneram

teneram ſemper exhibuerat in omnibus, præſertim vero in indifferentia iuſsiſque libentiſsime, etiam aliquando ſupra vires exequendis. Cum igitur tunc conſcientiam aperiret, cum noſtri eum viſitandi cauſa inuiſerent; totus in lachrymas ſoluebatur, id vnum ægerrime dolens, ſe tempus nempe quod omnium iudicio, ſi quiſquam alius, diligentiſsime impenderat, ipſe de ſe iudicaret perdite conſumpſiſſe. Patientia fuit in morbo incredibili; ad omnes medicorum potiones, Chirurgorum ſectiones, ad iuſſa Infirmarii obeunda promptiſsimus. Et fuit pars quædam corporis incendio morbi exuſta; nec dolor quem is ſimularat innotuiſſet, niſi fœda laniena, caſu oculis infirmarii commiſerationem excitaſſet. Creſcente vi morbi, iam alienatione mentis, omnium rerũ obliuio conſecuta erat; non pietatis tamen & obſequii: Cum enim conſcientiam diligentiſsime expurgare optaret: non abiit dies, quin ad hoc lucido potiretur interuallo: Cum deliranti viaticum, & vnctio extrema fuit adminiſtranda; ſtatim ſui cõpos factus eſt: Cum iuſſa obeunda, repente apud ſe erat: Cum denique in extremis de diſceſſu, vti enixe rogarat, moneretur, momento ſibi redditus ſapiẽti iudicio Deo gratias agens, ad illud, Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi &c. aggreditur: piis crebriſq; orationibus ad Deum Deiq; matrem, cuius fidei ſe dudum crediderat, & quam vt in vita, ita & toto morbo ſingulari pietate proſecutus eſt, veniã opemq; expoſcebat. Audito eius morbi periculo non fuit vllus in ciuitate Religioſus ordo, qui ſe non ad vota preceſq; conuerterit: nihil

nihil quam vota & gemitus circa augustiſsimas Apoſtolorum, & Martyrum quæ Toloſæ ſunt reliquias audiebantur: ſed fruſtra eum retinere nitebantur quem Deus ad ſe vocabat. Vitæ exitum certamine cum Tartareis hoſtibus habito commotiorem habuit: Sed inclamata victoria, redditaq; pace, voce, vt vires erant, plena cecinit, Deus in adiutorium meum intende, additiſque vehementioribus & prope ignitis ad Deum iaculis, & lachrymis, iis prope in verbis expirauit: Iterata prius ad aſtantes oratione, Deum vt ſtrenue colerent, ſed eo animi ardore quem vix ſanus è ſuggeſtu habuiſſet. Ergo vt eius morbi rumor ciuitatẽ omnem ſuſpenſam & trepidantem tenuerat; ita obitus vniuerſam plane mœrore confecit vt in ingenti clade: Nam & ſupremus Patrum Senatus eo die licet operoſo, quo funus curatum eſt tantum nõ iuſtitiũ indixit, & plurimi è Senatoribus, ciuibus, omnibuſq; Thelogiæ auditoribus, inſolita nec à nobis quæſita pompa funus deduxerunt, præeunte frequẽtiſsimo Pœnitentiũ quos vocant Collegio, quo omnes conuenerant vt ſolemni ritu Patri amantiſsimo parentarent. Hunc nõ multo ante præuenit Franciſcus Lamoreus Coadiutor temporalis formatus, quem repentino membrorum omnium ſtupore percuſſum atrox apoplexia confecit, non otiantem aut ceſſantem, ſed in variis ſemper negotiis occupatũ; quæ ille cum modeſtiæ prudentiæque apud omnes laude, pleraq; Gallia pro Societate geſſit. Cum eo laborum virtutumque pretio finiuit anno ætatis quinto &

quin-

quinquagesimo, postquam in Societate vnum & triginta vixerat, natus in Taurinensi ditione.

COLLEGIVM MAVRIAcense.

MVlierem vis morbi oppresserat adeo, vt mente parum valida esset; eam placuit inungi sacro oleo: primaque in vnctione reddita mulieri vox atque mens: Mox nostro Sacerdoti qui ea propter excitus fuerat conscientiæ culpas omnes rite tollendas aperuit. Histriones alieno tempore (quanquam nullum esse improbo generi iustum potest) curatum est vrbe pelli Magistratus iussu. Sanctimonialium vero aliquot cœnobia adita sunt, piæque habitæ adhortationes magna virginum optimarum voluntate, atque fructu.

COLLEGIVM RVTHEnense.

KAlend. Ianuariæ nunquam ante celebriores: milleni diuinum Christi epulum nostra in ædicula gustauere. E nostris aliquem peracris dentium dolor acerbe lancinabat: quam ille vexationem cum nobiliter concoqueret nulla spe remedii humani, aliunde solatium excit. Præmissa oratione vbi æream B. P. Ignatii imagunculam ori applicat dolor extemplo omnis desinit. Improuidam mulierem calidus Dæmon sæpius ad desperationem vana fraude impulerat: igitur occultiore

tiore actu peregrinationes varias per ſpeciem religionis ei perſuadet. Sed deprehenſa vtraque fraude, conſilio meliori famam: ſpe ſalubriori vitam ſuſtentauit.

Scholas mllle ſupra centum auditores celebrant. Sex in varias Religiones diuerſi abiere: eorum quatuor Societas tulit. Neque longe abierim incœpto, ſi vnius deſiderium vnde cœperit, memorem. Adoleſcens communi totius vitæ examine atque confeſsione expiaturus animi crimina, poſtulabat à Deo, vt ſigno aliquo probaret, firmaretque piam voluntatem: imo quandoquidem pari facilitate corporum & animorum vulnera ſanare poſſet, fœdum vlcus & nulla ope humana ſanabile, quod pedem alterum ſenſim depaſcebatur, propitius curaret. Audiit diuina benignitas ingenuam deprecationem, ſanitaſque male affecto pedi rediit. Quamobrem quod ope diuina ſanus ſit, Deo ſe totum ſacrare, & noſtram Societatem inire decreuit. Ab hæreſi ad Catholicam fidem rediere ſeptem. Ex iis miles nobilis, ac fœmina, quod B. Virgini aliquando ſupplicarent, non immeritorentur ſe feliciſsimæ ſtellæ ductu portum tenuiſſe. Prioratus S. Felicis templo, domo, amœnitate loci celebris, propinquitate (nam vix mille paſſus vrbe diſtat) aliiſque commodis peropportunus, quanquam non ſine inuidia & vario ſermone multorum, ſponte legitimi poſſeſſoris, & egregia ſane liberalitate auxit rem familiarem, vel optabili ad honeſtam ſociorum oblectationem ſeceſſu. Poſtremo apud vrbem S. Flori in Aruernis concionator ſex menſes

ſes egit vario cum emolumento. Nam conciones & Chriſtiana doctrina pari omnium ætatum, atque ordinum concurſu celebrata. Hæretica etiam mulier Caluinianum virus euomuit. Vidua illecebras vitæ peroſa, in virginum ſacrarum contubernium ſe abdidit.

COLLEGIVM AVSCITA-num.

DVos ab vltimo diſcrimine eripuit nobis diuina clementia, alterum, poſtquam cœleſti pane refectus eſt: alterum nuncupato voto ad B. Virginis ædem, miraculorum fama celebrem in iſto tractu. At quoniam plerique in morbis grauibus & periculoſis, ad ſe perferri curabant Chriſti corpus, adorabantque duntaxat: curatum vt ſacrum epulum adiungerent adorationi, qua contenti non pauci abſque diuino viatico interibant: Et commodum anus ſenio, morboque confecta (annos minimum viginti ſupra centum nata erat) audiit noſtrum Sacerdotem in proximo excipere alterius ægri confeſsionem: placuit excire hominem ; cum tamen nulli noſtrum conſcientiæ culpas vnquam aperuiſſet. Is perſuaſit vt Euchariſtiam veneraretur vna & guſtaret. Erant in hac vrbe alumnæ hæreſeos mulierculæ tantum duæ: ex eo cœno vnam eduximus. Flagitabat neſcio quis è Caluini ſecta, honeſtæ virginis matrimonium : ſed fruſtra erat, donec ſponſam ſibi primum faceret Eccleſiam. Is apud nos hæreſim eiurauit. Adoleſcens eiurata perfidia

perfidia errorum, huc euaserat clanculo & delituerat aliquãdiu. Sedenim repente nuntiatur adesse fratrem, consanguineos, amicos, commilitones. Vt primum congressi, multa per blanditias ac preces, plura per vaniloquentiam atque minas iacta sunt.

Postremo quoniam destinata inuiolabiliter retineret, pergeret sane in consilio, dum à Iesuitis procul ageret, idque vnum charitati fraternæ, sanguini, & officiis amicorum daret. Gnara homini fraus eoque firmior constantia. Illi cum astus non procederent, occulti discessere. At Archiepiscopus postquam ex aula rediit, cognita adolescentis probitate cerimonias in eius baptismate prætermissas ab Ministris hæretico more, explere per se ritu Catholico voluit: moxque sacro eum Chrismate confirmauit. Medicus periculosa ægritudine affectus, potu aquæ lustralis, cui infusa particula è cruce quam vocant S. Thomæ, consanuit: idemq; ipse remedium multis ægris postea euentu fœlici præscripsit.

Auditores in scholis numeramus octingentos. Nunquam maior in vtraque Virginis Sodalitate frequentia. E minori vnus in Societatem adcitus, Capucinis alter adiunctus est: è maiori piè actam vitam, pio exitu finiere, eorum vnus Sacello nostro legauit Sacerdotis, & aræ vestẽ holosericam. At matrona nobilis vidua Germana Sariaca, cum post obitum viri Domini à Sancta Christina frequens nostram ædem Sacramentorum & pietatis causa adire consueuisset, moriens nos nec opinantes ex asse duorum castrorum, omniumque bono-

bonorum suorum hæredes scripsit. Qua in hereditate tametsi legata & debita non pauca dissoluenda sunt, spes tamen est aureorum inde non minus quadringentorum reditu annuo rem familiarem auctum iri.

COLLEGIVM AGINnense.

AFflicta valetudinibus & dysenterica lue ciuitas Aginnensis operam, industriamque nostram hoc anno exercitam habuit vel eo pretio quod integri incolumesque egimus. Noctes diesq; passim ad ægros itum est, exhausti permulti, non immunes tamen ab salutaribus præsidiis, Multos B. Virgo sibi voto obligatos mirabiliter eripuit à faucibus mortis: multi ex phrenesi, mentisque impotentia confessionis audito nomine ad sese mox rediere, expiatisq; sceleribus animi fine optimo quieuere, super hæc ciues aliquot exitiabili discordia conuulsos, post irritos multorũ conatus ac preces, amice conciliauimus.

In Societatem adlecti duo ex auditoribus nostris post decursum Philosophicum stadium, laureamque in solemni certamine reportatam. Paulo plures D. Francisci institutum amplexi sunt; quo è numero adolescens patre natus hæretico eodemque senatore, edicto Curiæ mensem integrum in patris potestate fuit: sed cum nihil moueretur impiorum machinis, fide optima victor eo reducitur, vnde erat non sponte abductus.

Itum etiam in propinqua vrbi oppida, ea maxime

xime quæ rabiem hæreticorum olim experta. Ædes ſacra quam impii prophanarant, expiata eſt. Quinquageſimus iam erat annus ex quo inibi neque ſacrum, neque Sacerdos, nec concionator viſus, Epiſcopo diœceſin luſtranti duo Sacerdotes comitati ſunt. Vrbes potiſsimum hæreſi Caluiniana inſignes aditę. Ibi quoties miniſtrorum aliquis pro ſynagoga diceret, aduolabant ſtatim noſtri homines vna cum Epiſcopi Theologo; audiebantque taciti mira fabulantem. Mox vocata in templum concione, quo promiſcue Catholici, hæreticique confluebant, vnus è tribus palam errores proxime auditos confutabat, mendacia arguebat, autoritates mala fide allatas, & expoſitas, vel ex eorum libris coram euincebat. Hinc proborum firmiores animi facti, infirmiores Caluiniſtarum, quorum quatuor Eccleſiæ redditi. Porro ſuper doctrinam Chriſtianam, Confeſsionem concioneſque, multi, qui totum quadriennium diſcordioſe egerant, totoque eo tempore ne templa quidem ingreſsi, adeo ſacris nunquam interfuerant, diſciſſas primum amicitias reſarciuere, dein Sacramentis Eccleſiæ communicauere.

COLLEGIVM PETROCHOrenſe.

SOcietatem adſecuti ſunt adoleſcentes duo: vnus ſe Frãciſcanis adiunxit. Et ſcholæ optima iuuentute plenæ, aliquot habent etiam parentibus hæreticis natos, non hæreticos tamen. Eo ex numero aliquis ſororem colloquiis, litteriſque

que pellexit ad pietatem, eaque nunc, ſed clam patre, templum & ſacra conſtanter frequentat. Sodalitas vero vtraque in dies auctior clariorque, Sacellum maiori extructum, peramplum & commodum. Hoc è Sodalitio vir pius & honeſtus, vna cum vxore fœmina optima, vitæ illecebras, omniaque vanitatis irritamenta peroſi, adiecere animum ad Religionem. Interea dum vota proueniant, ſobolem quam habent multam, ad pietatem omnem informant, ipſique ad ſanctimoniam omnem ardentius prouehuntur. Alium inſignis aduerſus egenos beneficentia charitasque illuſtrem fecit. Nam & diuinarum ſenſu rerum mirum quantum afficitur: & cum domeſticos variis paſsim ægritudinibs afflictos haberet, priuſquam Virginis ſe fidei cõmitteret, nunc ſe, ſuoſque omnes habitiores, & omnino incolumes experitur. Medicus item conclamata iam ſalute, in B. Virgine remediũ, fruſtra in arte humana quæſitum, reperit. Voto quippe de ineunda eius Sodalitate nuncupato, vis morbi omnis poſuit. Is poſtquam inter alumnos diuæ Matris cooptatus eſt, multa pie aduerſum ægros egit: namque hæreticum hominem ſupremis propinquantem induxit in eam mentem, vt eiurata perfidia, expiataque conſcientia Chriſtiane moreretur. Quin virum nobilem iiſdem in anguſtiis verſantem, vltro monuit mortis proximæ; proinde ſibi, ſuiſque prouideret. Ille cum teſtamentum conderet, hoc authore non exiguam pecuniæ ſummam Collegio legauit. Iuniorum etiam nonnulla opera eſt. Ii ſacellum ſuum aramque multa

veste serica, ceteroque cultu, animos vero benefactis & virtutibus ornatum eunt. Nam vnus verberato per contumeliam ore, non modo non est vltus iniuriam, sed vltro etiam improbum facinus condonauit. Parentes hæreticos adolescens, vt fit, per dies vacationum inuiserat. Ibi correptus morbo cum vires animusque deficerent, rogabat enixe, Sacerdotem cui peccata confiteri vellet, sibi vt è proximo vocarent. Postquam non exorabat, iamque aderat finis, quod vnum restabat, professus palam est se mori cum fide, & spe Romanæ Ecclesiæ. Alterum (qui ob pleraq; mala & turpia facinora, Collegii clasſibus, Sodalitioque exactus erat) grauescente valetudine subiit recordatio pristinæ religionis: qui versa ad pœnitudinem mente, secundum opem diuinam, cœpit reposcere gratiam, veniamque Sodalium, è quibus multos contumeliis affecerat, ferro appetierat duos. Inuisere permulti, remissæq; vtrinque offensiones. At ille paucis post diebus meliore quam sperabatur fato extinctus est.

COLLEGIVM CLEMOuicense.

TEmpli fundamenta cupito dudum opere iacta sunt solemni ritu V. Id. Iul Antistes Lemouicensis, Senatus, Consules, & magna pars populi in vetus Sacellum conuenere: sacrificante Episcopo, & Deum precante vti cœpta prosperaret, suamque sedem diuina ope attolleret, idem vniuersi precabantur. Ingressi mox aream quæ templo

templo dicabatur, ſpatium omne, & lapis fundamenti ædificiique caput rite luſtrata. Simul conſules ſtudio lætitiaque connixi, ſericis funibus ſaxum traxere, & miſere in præaltam foſſam: in quam Præſul & Magiſtratus delapſi gradibus lapidem poſuere, nec non pauca hæc in æs inciſa.

Henrico IV. Rege Chriſtianiſſimo Galliam & Nauarram fœliciſsime moderante, Reuer. D. D. Henricus de la Martonie Lemouincenſis Epiſcopus LXXXIII. Solemni ritu templo Collegij Societatis Jeſu ſpatium in vrbe deſignauit, lapidique angulari benedixit, quem vigilantiſsimi Conſules poſuerunt, anno Chriſti M.D.CVII. Quinto Jdus Quintiles.

Adiunxit Epiſcopus luculentam concionem, promiſitque operam prolixam; Cæteros ad idem præſtandum, quo citius ædes creſceret hortatus eſt haud omnino fruſtra: paucos enim poſt menſes collata in eam rem fuere librarum argenti mil-

lia quinque. Huius operis fœlicem cursum pene intercepit improuisa clades, dirutis ædibus sacello veteri contiguis, egestaque altius humo ad fundamenta templi, totum sacellum labefactum est: namque & ligneæ compagis nexus soluebantur, & subducto solo murus sequebatur. Sacerdotes intenti audiendis discipulorum confessionibus aduesperascente die digrediebantur, & quæ fuit Dei benignitas pueros omnes dimittebant. Vbi excessere primum vicina domus conuulsa, dein conferta mole partem sacelli maximam geminata ruina traxit. Debilitatus vel obtritus nemo omne malum in metu & periculi æstimatione fuit. Sed nostro incõmodo obuiam iuit Antistes, attributa parte in D. Petri templo, nõ inuito Curione. Caluinianam perfidiã exsecrati sunt quinq; & viginti, liberalitas piæ fœminæ rem sacram auxit cruce ex argento inaurato.

Scholas octingenti plus minus auditores celebrant: & quod bene fœliciterq; vertat, nunc primum Lemouici studium sapientiæ admisere aperta Philosophiæ schola, anno postquam huc venimus octauo. Discipulorum pietatem ex his pauculis coniice. Cum aliquis palam à procaci adolescentulo pulsatus excussissima palma fuisset, nihil ea iniuria commotus, vltro os obtulit iterato verberandum. Par alterius pietas in vita & obitu, Is secundum Deum, maxime sibi Deiparam quotidianis precationibus conciliabat: tantoque immortalitatis sensu afficiebatur, ad solam vti fœlicitatem festinare videretur. Ergo & quasi futurorum prouidus, finem proximum prædixit, &

mox vehementi aliquot dierum dyſenteria exhauſtus, rite Sacramentis omnibus ac præſidiis munitus, quaſi in Deiparæ gremium, quam in loco & tempore ſibi adeſſe ſignificabat, cōcederet: Ecce, inquit, veram parentem meā. Mox beatam animam efflauit. Sodalitas porro D. Matris egregie ſplendida, ſuper alios pietatis amantes, duos dedit nobis informandos meditationibus B. P. Ignatii quos optimus Sacerdos, ſtudio eiuſdem culturæ imitatus eſt.

Galliæ totius celeberrimum eſt cœnobium, Fonteueraldum, cuius ſeptis abditæ vt minimum ducentæ è prima nobilitate Sanctimoniales, Antiſtita Sereniſsima Eleonora Borbonia Chriſtianiſsimi Regis amita. Petitus hinc ab eis Sacerdos conſilii gratia, cum ageretur graue negotium; peractaque res multo cum fructu illuſtrium Virginum, exhauſtæque omnes difficultates, quæ tantum tamque pium opus morabantur. Nequam & procax ruſticus, filium cui paulo ante iratus minas intentarat, ſopitum ſomno nactus dira voce deuouit. Ita te, inquit, malus Dæmon ſomno obruat. Miſer eo ſomno euigilauit nunquam. At infœlix parens paucisſimos intra dies repentina morte oppreſſus pœnas impietatis dedit. Adita etiam antiquiſsima monaſteria Beneuentum, & Grandimontium, piiſque hortationibus incitati religioſorum animi noſtro Sacerdoti omnes confeſsi, eiuſdem è manu diuinum epulum ſumpſere. Idemque præſtitum in pluribus extremi huius agri locis.

Hoc demum anno reditus Collegio necessarii plene ab Episcopo & Consulibus contributi: Altiualensi assignato Sacerdotio. Probauitq; R.P. Generalis datis eo fine litteris acceptationis. Sed mirum quæ Tragœdiæ ex eo fuerint excitatæ. Rem breui exequar. In agro Engolismensi pars eorum redituũ erat. Eo P. Procurator missus, cum socio, & famulo, qui ea bona tollerent; Insidias Deo duce vitauere. Quippe vir nobilis Caluinianus moleste ferebat ereptam sibi, quam aliquot ante annis tenuerat possessionem: eoque nostros procul amoliri parabat vel cæde, vel metu. Ergo socium Patris qui Engolismam conquestum ierat apud Senatum, redibatque excito causarum capitalium Præposito aduersum contumaces, obtrũcare deliberat. Interim quo tutius grassaretur conuocat sui similes quamplurimos, simulatoq; omnes habitu primum omnium domum in qua pater diuersabatur circumsistunt armati, tum lapidibus sclopetisque fenestras ita quatiunt, vt vix tuto consistere intus liceret. Exinuersi ad spes priores itinera obsident, redeuntemque Engolisma socium Patris ac seruum ipsa nocte inuadunt; in seruum prima & tota rabies incubuit, quem vulneribus conscissum confossumque pro mortuo reliquere. Nostrum hominem iuuit latronum auiditas, nox, & melior Deus. Is primũ ad strepitum auerso repente equo tantum velocitate & fuga certauit, vt insequẽtes frustratus tutum in locum se receperit. Atque hunc quidem Deus seruauit. Famulus porro cum diu exanimis iacuisset, redeunte animo ægre ad Patrem iam tumultu audito

trepi-

trepidum, adrepit, & contra quam erat, ſocium obtruncatum narrat. Eo nuntio conſternatus. P. Procurator, omnium exſpes, illũ occiſum, hunc in oculis ſuis mox expiraturum, cum nullus in loco vulnerarius eſſet, ſe poſtremo eadem ruina obruendum credebat. Sed reddita luce redditus etiam eſt ſocius, ſimul famulo adhibita fomenta, & obligata vulnera. Id facinus in ſumma Galliæ pace actum, commouit omnium animos: eius apud Regẽ cognitio nunc habetur: in illo ſecundum Deum ſpes omnes ſitæ.

Finis anni funeſtus inceſsit, elato ad VII. Id Decem. Hadriano Hodii Baionenſi, anno poſtquam in Societatem venerat 6. vitæ XXIV. Sui egregius erat victor, & ſtudio pietatis notus, vt qui multas horas, maxime quoties Chriſti epulo communicaſſet, orando continuabat.

COLLEGIVM CADVRcenſe.

Ciborium ex argento inaurato elaboratum nobis pia liberalitate collatum. Additæ & veſtes Sacerdotibus ſacra facientibus è ſerico Damaſceno tres: duoque pallia eadem ex materia ad ornatum altaris. Septem execrati ſunt Caluinianam impietatem: eorum tres in vrbe vicina ad quam per ferias Paſchatis concionator miſſus erat in gratiam bonorũ conuicti hæreſeos pertinaciam poſuere.

Poſtremo anguſtias horti laxauimus, numeratis aureis ducentis. Et vir pius noſtriſque amantiſsimus,

tißimus, ducentas argenti libras nobis testamento legauit. Interea nostrũ plurimi variis cõflictati morbis & magnis & periculosis (sex interdũ adfixi lectulo iacuere) diuina ope & B. P. Ignatii subsidio, cuius gratiá concepto voto parauimus, vniuersi consanuere. Atque vti contagiosam luem, quæ iam vicinas aliquot vrbes populabatur, auerteremus, suasimus supplicationem indici tota vrbe, ad D. Rochi sacellum, operæ pretio non pœnitendo.

COLLEGIVM PICTAVIENSE & domus probationis Tolosana.

DIuinæ clementiæ nutu, Regisque Christianißimi Imperio, contra quam aliqui machinabantur, scholæ nostræ Pictonibus in sua vrbe patuerunt. Quippe Rex ne qua mora intercederet, super propẽsam erga nos voluntatem, nummum aureorum summam, quantam hæc primordia poscebant, solita liberalitate dedit. Habito igitur discipulorum delectu, ad III. Id Iun. in frequentißimo omnium ordinum consessu solemnis oratio pronuntiata, auditaque est magna approbatione: Exin professores docendi munus auspicati crescente in dies numero auditorum.

Ab hæresi ad Ecclesiæ Catholicæ fidem traducti duodecim. In his mulierem inter primas honestam, noster Sacerdos rogatu viri è primoribus vrbis post longam disputationem fracta pertinacia, clam viro in Ecclesiæ sinum induxit. Et

quæpiam

quæpiã altera desiderio viri nescio cuius flagrans, promisit Deo Caluinum eiuraturam, si vota ex animi sententia procederent; cumque ea quæ cupiebat indepta essent, fidem promissi persoluit. At adolescens parentibus hæreticis ortus, vbi in scholas nostras & disciplinam venit, posthabito metu parentum, sine mora abiecit hæresim.

B. P. Ignatii opem fœminæ duæ magno suo bono expertæ sunt. Altera implorato eius auxilio, se & familiam vniuersam quam infecerat peste liberauit. Altera intestinorum doloribus diu conflictata, infuso in potum haustoque modico puluere eius saxi in quo B. Pater olim apud Manrezam diuersabat, continuo sanitatem adepta est. In Sacello autem nostro quanta admitti potuit mortalium frequentia fuit obeuntium confessionem, eo maxime tempore quo è nostris duo in præcipuis vrbis templis conciones habuere. Virgines etiam sacras, quarum hic duo perantiqua cœnobia, sæpiuscule adiuimus, & haud frustra hortati sumus ad pietatem.

Optimorum adolescentum constantiam dum euertere conatur Dæmon, illustriorem effecit. Alium mater gnara consilii morabatur; Alium parens, scilicet vnicum, bona vti cum venia dimitteret exorari non poterat; alium parentes immisso qui rem procuraret patruo, velut circumuentum dolo, repetebant; alium pater autoritate Regis cui olim à secretis fuerat, abducturum; nostro consortio minitabatur. Sed neque in hunc aliquid ab Rege decretum est; neque illum Patruum aut parentes commouerunt, & ille vni-
cus

cus qua volente, qua nolente patre ad nos erupit; postremo alteri victa mater potestatem fecit ineundæ cum vellet Societatis. Vnum in vicinia mortis agentem, implorato B. P. Ignatii subsidio, propitioq; numine seruauimus, imo recepimus. Virum Senatorij ordinis, procul Tolosa agentam excoluimus, hic vtilissimis ad vitam pie agendam documentis. Quam ille gratiam, ex omni parte nostram esse aiebat, exoratamque sibi, à Deo per Nouitios, quos consueuit omnibus hospitalitatis officiis prosequi, quoties inter peregrinandum domum eius præter grediuntur.

Prima hoc anno Burdigalæ Nouitiorum domus, excitis è Tolosana duodecim, qui initium darent instaurata est. Ii postquam aliquot menses in Collegio diuersati sunt parata qua suis sumptibus, qua liberalitate piorum supellectile ac domo digressi sunt 11. Id. Nouemb. quæ dies D. Martino sacra. Ibi aucto mox numero animum pro se quisq; virtutibus illustrant.

Hoc singulare, Pater comperto iam filium in Societate esse, plenus irarum ac furoris Burdegalam venire maturat: cumque nec precibus, nec meditato temperamento, neque demum minis extorqueret filio pietatem, ad Senatum versus, preces atque inuidiam in nos orditur. Ergo edicto Patrum, adolescens solidos dies octo apud sequestrum esse iubetur. Ibi soror, consanguinei, affines, noti ignotique, & pater rarus, sed atrox semper atque implacabilis, vnaque omnes expugnáre pium animum connituntur. Iamque finito octi-

octiduo ſpe vana inflati redeunt in Senatum: Sed in magna Patrum frequentia iuſſus adoleſcens, promere. quid conſilii tandem cœperit, conſtanter & liquido affirmat ſe in propoſito perſeuerare, nec alibi quam in Societate victurum, moriturum. Mox ſecundum iuuenem pronuntiatum iudicatumque, fremente nequicquam patre.
Adoleſcens victor ſibi eſt, nobiſque redditus.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ LVGDVNENSIS, Anno 1607.

ALuit prouincia Lugdunensis hoc anno quindecim domiciliis socios 398. Sacerdotes quorum 29. professores 137 Scholares, in quibus 64. magistri 120. Coadiutores 88. Nouitios 53.

In Collegio Lugdunensi fuerunt 57. Sacerdotes, in quibus octo professores, 22. Scholares quorum Magistri quinque 23. reliqui Coadiutores.

In Tuonensi 38. Sacerdotes, quorum quatuor præceptores 12. Scholares, n quibus professores sex, 18. cæteri Coadiutores.

In Auenionensi 60. Sacerdotes, in quibus sex professores 22. Scholares, in quibus Magistri quinq; 24. Goadiutores alii.

In Billomensi 21. Sacerdotes 8. Scholares omnes præceptores 6. Coadiutores reliqui.

In Diuionensi 20. Sacerdotes, quorum professores tres, 10. Scholares, in quibus præceptores quatuor, 6. reliqui Coadiut.

In Aniciensi 24. Sacerdotes, in quibus duo præceptores, 10. Scholares, quorum sex Magistri 7. Coadiutores alii.

In Biterensi 21. Sacerdotes quorum professores duo 10. Scholares octo, Magistri 5. cæteri Coadiutores.

In Molinensi 9. Sacerdotes 8. Scholarum præceptores omnes 7. Coadiutores reliqui.

In Ebredunensi 12. Sacerdotes quorum professores duo, 6. Scholares Magistri omnino 3. Codaiutores alii.

In Viennensi 16. Sacerdotes, & in iis professor vnus 5. Scholares, quorum quinque Magistri 6. reliqui Coadiutores.

In Carpenctoratensi 14. Sacerdotes, in quibus professor vnus 5. Scholares Magistri octo 5. Coadiutores alii.

In Residentia Albenacensi Sacerdotes 4. Coadiut vnus.

In domo probationis Lugdunensi veterani Sacerdotes 3. & Coadiutor vnus, nouitii 27.

In nouitiatu Auenionensi Sacerdotes in quibus vnus nouitius 3. Coadiutores veterani 3. Nouitii. 26.

COLLEGIVM LVGDVNENSE.

FOElicibus auspiciis Collegium, angustioris adhuc pomerii finibus circunscriptum, laxiore area auctum, atque amplificatum est, vt templum à fundamentis, & nouæ etiam exedræ capiendo auditorum numero, nostrisque vsibus opportuniores extruerentur. In eam rem propensissima voluntate, nec segniore munificentia Consules totam insulam coëmptis aliquot vicinorum adiunxerunt, & ad inchoandam nouam Scholarum fabricã, à qua sumus exorsi, ad quinq; aureorum millia attribuerunt. Dies dictus est primo iaciendo lapidi. Iisque affixis ad Collegii parietes carminibus, emblematis, variisque ingenii lucu-

lucubrationibus cohonestatus. Consules more scholastico Epigrammatis, ac dialogis salutati, accessere postea magno stipante comitatu ad primum illum lapidem in fundamenta solemni ritu demittendum, personante interim Musicorum ea, quæ apparatum decebat, symphonia. Deus opus fortunet: sed si in crepusculo orientis noui Gymnasii tanta lux liberalitatis affulsit, orto iam sole, atque prouecto maiora his initiis, vt spero, respondebunt.

Scholæ belle procedunt & numero è scholasticorum, & fructu. Auctum est hoc anno Gymnasium binis Theologiæ scholasticæ, & scholis, & Doctoribus, neq; vero aucto scholarum numero non amplificata lætitia est, multi enim in varia Religiosorum septa se se abdiderunt, adolescens vnicũ matris viduæ pignus strenue se gessit in superandis eius illecebris, vir sane ante ætatem; nam cum parens plus nimio sollicita timeret, ne religioso cuipiam ordini nomen daret, & sic omnes spes suas consepeliret, statuit id mali à sua domo auertere, quare affines, cognatos, agnatos corrogat: diem sponsalibus dicit; virginem è sinu suo apponit, & adornat, aduocatur adolescens, miratur ille quorsum iste consessus. Ecce tibi puella catenam auream in collum iniicit, & vt sponsum salutat, tum nouus Hippolytus torquem è collo detrahit, & toruum intuens, ad matrem conuersus, etiamne, inquit, mater filii lena est, & subito sese ex eo cætu proripuit. Alius in patriam profectus, vt à parentibus Societatis nostræ ineundæ commeatum exoraret, sæpius ab iis reiectus, desperabat

ſperabat ſe poſſe voti compotem fieri, imo alio cogitationes traducebat, ſed excubitor ille ſpiritus, in ſomnis illi aurem vellicauit; nam ſibi viſus eſt videre vnum è Patribus noſtris, qui cum delecta iuuenum manu in domum Probationis deduceret; ſubito ſomno excutitur, & alius omnino, quàm inierat cubitum; ne multa; fugam domo paterna, explorat, poſtridie dat ſe itineri, modo cum cæteris Societatis Tyronibus ad Brauium ſupernæ vocationis aduolat. Lectiſsimus adoleſcẽs, cum ruri auibus plagas tenderet, ſuas etiam plagas aucupi Dæmon intendit, id eſt, mentem eius libidinoſis cogitationibus infeſtat. Ille cito ratus huic malo occurrendum, ne longius ſerperet, in auium & reductum aliquem locum ſeceſsit, ibiq; flagello in ſua terga ſæuiit, quod ſemper ſecum ſolet geſtare, hic aperto plagarum crepitu, occultas ſtygii inſidiatoris plagas à ſe depulit. Eſt nobilis adoleſcens, qui antequam cooptaretur in Collegium Sodalium henicranio cõtinenter laborabat, iſque morbus duodecim annis totis eum tenuerat; At octauo poſt initum Sodalitium die, nihil reſidui ſenſit, iam vero commòdam capitis valetudinem ſibi gratulatur, & communis parentis Mariæ Virginis precibus acceptũ refert. Nouem ſunt magnæ ſpei adoleſcẽtes, qui Societatem prehenſant. Eſt honeſtus quidam adoleſcens, non obſcuro loco natus, qui pecuniam, quæ ſibi a parentibus licet hæreticis ſubminiſtratur ad vitam honeſte, & ample in ſtudiis traducendam, pauperibus ſcholaſticis erogat, quos è Patria vltro acciuit ad literas ediſcendas, ipſe interea operã ſuam

locat, puerosq; edocet famulari pene ministerio, qui posset otium litterarium cum dignitate tenere. Superiori autumno qui fuit hic grauis & pestifer cum vnus ex illis ipsius alumnis vulgari lue, quæ passim grassabatur, distineretur, magna eius caritas enituit. Nam ægrotum pertractare, cibos porrigere, sordes purgare, noctes insomnes exigere fuit illi familiare, ac solemne. At quod satis mirari nō possum, vbi facultates, quibus inopiā, & morbum miselli illius sustentaret, eum defecerunt, stipem pro eo instar mendiculi rogatoris corrogabat. Nec hic se cōtinuit eius charitas; cum ex humanis excessisset ille, iste semper humanus, & sui similis, venit in Collegium, linteum aliquod per Dei amorem efflagitaturus, in quod demortuum amici corpus insueretur, verum Deus, qui sui Athletæ fidem, & constantiam probare vellet, multis & grauibus molestiis eum paulo post exercuit; A Domino cui seruiebat, dimittitur, pater certior factus de liberalitate filii, necessaria victus præsidia recusat: vix habet vnde famem tolleret, sed non diuturna fuit ea calamitas. Nimirum, quem sibi fecit amicum de Mammona iniquitatis, ille, suis precibus, vt interpretatur, mammona paternæ iniquitatis ante restrictum sibi modo aperuit; at vt nos speramus, ille idem recipiet eum, cum defecerit, in æterna tabernacula.

Actionem exhibuerunt septimo die Augusti, & duabus consequentibus, cuius argumentum fuit, generale iudicium & scena ornatu cōspicua, & personarum multitudine frequentissima, toto

pompæ,

pompæ, atq; orationis ſchemate ad percellendos animos accommodato: triduo continuatum eſt Drama, tanto hominum concurſu, variis è Theatris etiam in vicos extructis, confertiſsima turba ſpectantium, vt illius ſummi ac decretorii diei, qui tunc adumbrabatur, referre veram aliquam ſpeciem videretur. Ab hæreſi ſe receperunt, quindecim, & plures, quorum nō eſt initus numerus. Dei benignitate minuitur impietas, & parētibus ſuccedunt liberi Catholicæ religionis tenaciſsimi. Princeps Condæus, & Princeps Arauſiacus hac tranſeuntes nos humaniſsime inuiſerunt. Reuerendiſsimus huius vrbis Archiepiſcopus apud vnum è noſtris confeſsionem inſtituit, aliique ſacris addicti miniſteriis. Vrbis Gubernatorem dominum de la Guiche noſtri amantiſsimum funestus hic annus extulit, nobiſque abſtulit, qui paulo ante, quam diem ſuum obiret, patri Prouinciali omnes animi maculas confeſſus, ſerio ſe ad mortem comparauerat, vt totam vitam generoſæ virtutis ſpeciem dederat, ita obiit ſimilis ſibi, Chriſtianæ fidei hoſtibus infenſiſsimus hoſtis. Habuit pater Rector de eius laudibus funebrem ad populum concionem. Illud lepidum, cum reliquiæ ſacræ cuiuſdam capiti admouerentur, reſpondit Dæmon malle ſe totam Geneuam capiti impoſitam geſtare, quam illam reliquiarum intolerabilem ſarcinam

COLLEGIVM AVENIONENSE.

AVenione hoc anno diem suũ obiit Spiritus Grimaldus, operarius Societati, ac proximo haud dubie frugalis futurus, si eius vsum nobis superi longiorem concessissent, vixit in Societate annos sex, magna domesticorum omnium approbatione. Is igitur cum in Grammaticis Magistri obiret munus, eamque prouinciam annos iam duos exercuisset, lenta phthisi correptus. Octauo tandem mense quo ea ægrotatione pulsari cœpit, multo cœlestis patriæ desiderio animum Deo reddidit.

Ex his quatuor exacto rite Theologiæ curriculo domum probationis inierunt, Reliqui partim ex Philosophia, partim ex Rhetorum schola desumpti. Ad Capuccinos vnus, tres ad S. Francisci ordinem, quem obseruantium vocant, sese transtulere.

Quidam à muliercula iniuria non leui palam appetitus fœminæ procacitatem præclaro pietatis officio vindicauit. Nam consequenti nocte, Deo vt credere licet, pro delicto ab eadem pœnas repetente, subito, & graui comprehensa morbo, in mortem certissimam trahebatur. Conclamauit filia viciniam ad matris opem. Cum nihilominus accurreret nemo: Ipse audita puellæ vocantis voce & hostis suæ casu, è strato corripit se protinus, ad medicum conuolat, adducit, ipse præterea omne laboranti subsidium exhibet. Curatione tandem admota redditur pristinæ valetudini mulier,

lier, non ſine ſumma eorum, qui ſuperuenerant admiratione, egregiam hominis charitatem prædicantium, qui iniurias tali benefacto compenſaret.

Non prætetibo Conuictorum domum, à qua noſtris etiam pro nauata opera ſuum præmium conſtitit. Nam è Sodalitio, quod in ea adminiſtratur fructuoſe, vnus in Tyrocinium, itemque alius rerum domeſticarum adiutor tranſmiſſus eſt. Sed præcipuam conſtantiæ laudem in propoſito fidei retinendo tulit, ex eodem conuictorum numero Adoleſcens ab ineunte ætate, in prauitate hæretica innutritus. Is à parentibus pene puer, in miniſterium viri cuiuſdam nobilitate nō minus, quam erroris Caluiniſtici ſtudio clari, permiſſus; cœpit pertentari monitu diuino, impellique tacite ad Religionem Catholicam. Eam monitionem conſilium de ineunda quamprimum, certum ac firmum conſecutum eſt. Ergo Ieſuitarum opera quorum nomen ſæpe inaudierat, totum hoc negotium tranſigi poſſe ratus, ad eos Auenionem ire contendit, ciuitatique dum appropinquat, oportuno aduentu R. P. Rectore in via de more deſtinato recreationi die aerem captantem forte nactus, adoritur, operamque ad optimum inſtitutum complendum implorat. R. P. Rector præclara adoleſcentis indole, ſimulque pia voluntate delectatus, eumq; occurſum non fortuitum, ſed cōſilio diuino factum ratus; vt eum Iuuenē plenum egregiæ ſpei lucrum faceret Chriſto, poſtquam ſatis de facto cognouit, opem pollicetur, Auenionem ſequi iubet, receptumque habet interea in

conuictorum domo, donec abunde de mysteriis nostræ fidei instructus errorem suum solemni abiuratione damnet: Quod vbi rite procuratũ, atq; ea sunt adhibita, quæ ad eam rem oportebat, in Catholicos trãſscriptus eſt, atq; in cõuictores adſcriptus, litteris interea exercendus, dum cõmodior ei fortuna fabricari queat. Audit eo tempore Herus adoleſcentis hæreticus, deſertorem ſuũ ad Ieſuitas Auenionem religionis cauſa transfugiſſe, & iam induiſſe noua cum mente ritus alios, eo facto perculſus, protinus Auenionem ad eum doctorẽ damnati erroris ablegat, qui, qua precibus, qua minis in priſtina dogmata reuocatum domino ſiſtat. Impii mandati miniſter haud impigre iuſſa obiit. Auenionem præpropere contendit; quam vt appulit, primum interpoſito internuntio aduentum ſuum aperit Adoleſcenti, quo rogat vt in diuerſorium ad ſe adire ne grauetur, pauca abs vetere domino ſoli deponenda. eſſe commiſſa, quæ audiſſe certe non pœniteat. Suſpicatus alumnus noſter erat, vocari ſe certam in pernitiem, conſtanter ire recuſat, addit operam ludere miniſtrum, ſi expectet donec ſalutatum eat. vt eum conatum ſibi non ſatis procedere miniſter ſenſit, alio ſe conuertit. Ipſe ſimulato vultu, ſe ad contubernium noſtrum transfert, euocatum iuuenem ſaluere ab antiquo hero amice iubet, ſubiicit de fuga, quam moleſte tulerit, quam iniqua ſit ipſa, præterea parentum ac domini fidem turpiter depoſitam, hoc totum ſcelus vna nec difficili pœna luendum, pœnitudine

delicti videlicet, cæterum omnē ab hero impunitatem se polliceri, si modo redire non pigeat. Noster ad hæc respondet, nihil impunitatis promissione opus, vbi nullum sit delictum, se in proposito Catholicæ fidei, quam veram putet, & esse, & emori velle, homini itaque eius & animi & professionis non expedire, vt domino Caluinistæ operam imposterum catholicus nauet, se in fide esse optimorum magistrorum, Iesuitarum videlicet, à quibus abunde habeat vnde sibi in suscepto vitæ genere viuere liceat. Conseruaturum interea animo & memore & beneuolo, quidquid à vetere domino benefacti susceperit, quem etiam, si graue non erit, suo nomine saluere iubeat. atque his ministrum elusum ab se dimittit. Qui tamen ne quid intentatum sinat, iterum tertioue iuuenem conuenit, eadem iterat, eodem tamen semper exitu, adolescente obfirmato animo consilium suum retinente: sed fraudum lentus homo, qui sibi omnes in irritum conatus ire videt, alio dolos conuertit. Ergo nactus casu in publico ciuitatis vico Iuuenem, adoritur inopinum, mandata ab eo ad dominum petit. Ait quando nihil proficiat suis monitionibus, reditum in patriam maturare velle. Antequam proficiscatur tamen, munusculum habere amatum iuuenibus, paucula tragemata, quæ amicitiæ causa amantissime ac suauissime ante discessum dare cupiat. id doni etiam atque etiam orare ne repudiet. Noster fraudis ignarus, etsi nihil tutum à pernitioso homine intelligit,

tamen precibus victus munus admittit, atq; post consuetas salutationes vltro citroque redditas, ille in contubernium, noster domum contendit. Dum est in via adolescens, iuuenili leuitate incessitur, capit cupido munusculi vestigandi, ac simul dum pertractat prælibandi; obsequitur animo, lustrat, prægustat. Nec mora; mirum dictu; vix morsum venenato infixit cibo, cum sibi repente & mentem tolli, & vocem eripi, & occulto impetu retro agi, ferri que se in auersos passus sensit. Et quod vix quisquam credat, tamdiu rapi, donec nefandæ artis authorẽ ministrũ attigit, qui malarum artium conscius, Iuuenem haud dubie secuturum, in proximo operiebatur. Quid faceret eo fascino delibutus adolescens regredi vetabat adacta vis, quæ quantumuis obnitentem in contrarium, cogebat tamen ire quo impelleret, viciniam Implorare etsi conatur sæpe, tentantem loqui nulla sequitur vox. it igitur sensibus, atque animis ab alienatus, assequiturq; tandem maleficum suum, à quo suscipitur comiter, additurque viæ comes, pergunt interim, nihilqui malefica vis remittit, donec opidum heresi infectum pertingunt, dum subit noster, cœpit subito sibi reddi, ac sensibus, & accepta amentia eripi. miratus se comitemque, queri de iniuria primo, tum conari Auenionem redire, omnia moliri quæ ad profectionem opus essent. Sed frustra, iam aperta affertur vis, consequuntur verberum minæ, nisi vltro, quo vocatur ire velit, obsequendum est. maturatur iter. Vt ad domini castrum ventum

est,

est, dicto opus nihil est, quibus interrogationibus de fide, de Societatis doctrina, moribus, vita, ipso conuictorum contubernio fatigatus. Quid multa? destinatur in triduum Geneuam studiorum causa, dux viæ, is qui plagium molitus est. Atque vt res tota procedat rectius, prius Catholicam Religionem iubetur eiurare. Verum prudens Iuuenis, quando Geneuam dimitteretur, ait apud fidei magistros totum hoc negotium sanctius agi posse, ea re dominum obtestatur, eam eiurationem fieri in sanctissima ciuitate patiatur. Paucis diebus litteris de aduentu suo Geneuam, & professione renuntiaturum. visæ postulationes non iniquæ; differtur id opus in illud tempus, discessum intereaq; apparare præcipitur. dat se in viam cum nebulone ministello. Igitur vt progressi ambo Moncilium vsque, quæ vrbs in Delphinatu haud ignobilis est, tunc hæretico duce administrata, audit ibi è nostris vnum Ecclesiasten agere ad populum, clam subducit se à comite custode, ad eum celeriter accurrit, rem pandit ex ordine. Interrogat quid facto opus. Sed intelligit vnum esse consilium, fugam duntaxat, opem ad id negotii aliam afferri nullam posse: si aliter succurrere nitatur, graues hæreticorum commotiones imminere, quas perpeti magno & suo, & Societatis damno cogatur. Hoc responso mœstus iuuenis omnia circumspicit tamen, quibus frustrari comitem posit, & Auenionem regredi, perfugium in solis pedibus est. Quare in proximeon Montilio opidum delapsus, Anconam vocant, Rhodano adiacens, ibi latet tres dies, opportunitatem

cymbæ expectans, vt secundo flumine Auenionem perferatur, quam dum frustra operitur, Minister interim Montilii turbas agit. Dynastam plagii monet, à Catholicis perpetratum fingit, obtestatus liceat adolescenti in sua fide esse, mitti Geneuã ab eo, qui vlcisci hanc sibi irrogatã iniuriã egregie posśit. Eam Catholicorum fraudẽ esse manifestam. Itaq; sistatur eius authoritate adolescens. nihil tentatum in irritum. Dux occlusis vrbis portis, continuo perquiri adolescentẽ mandat, seueris insuper additis comminationibus, ni intra ipsum diem reddatur. Tandem vt Anconæ versari inauditum est, expeditus, qui latentem extraheret restitueretq; custodi. Receptum minister protinus equo imponit, iter Geneuam versus pergere insistit, primo hoc conatu misero adolescenti in irritum cedente, sed nõ concidentibus animis, ad eosdem vbi posset dolos repetendos, parãdumq; sibi ad nostros effugium. Nec dilata diu occasio est, consequẽti die sub vesperum, ambo Valentiam perueniunt. Atq; ita procurante diuino numine in Catholicum contubernium, ac Rhodano flumini imminens, bonis auibus diuertunt. ministro, hospicio occupato, prima cura cœnæ, corporisq; molli cubatione ea nocte recreandi, nostro præcipuum studium fugę, seq; vbi posśit, eius custodia quam citiśsime corripiendi. Dum igitur venaticus ille cibos quosq; lautiśsimos ad mensam indagat, iste angulos omnes rimatur ad fugam. Tandem clam seductam hospitam fœminam Catholicam interrogat qua ad salutem eruptio esse posśit, simul rem ei ex ordine totam pandit;

pandit; pia mulier mota iuuenis malo, bono esse animo iubet, tutum effugium pollicetur, ac si modo, attentus esse sibi in ea molitione velit, certas fugæ latebras. Ad eam vocem mirifice recreatus noster, vicissim promptissimum ad omnia eius mandata obsequium recipit; etiam atque etiam obtestatur, vti se in tuto collocet. Re accuratius pertractata, conuenit inter vtrumq;, vt angustiis arctæ domus, per speciem obtentis, cũ hora quietis aduenerit, Ministro lectus priuato cubiculo, cum aduena alio, vbi somnum capiat, attribuatur. Noster aliam in partẽ domus cũ domesticis, haud incõmode cubiturus secedat. Igitur vbi cubationis tempus aduenit, ministro frustra obnitẽte, deputatũ tamen datur stratum, comiti caute edocto itẽ suum. dormitum itur, & ea nocte ita prouidẽte diuino numine, secundo flumine illata nauis ad eam Rhodani partem, qua domus adiacet applicuit, primo diluculo Auenionem solutura: cuius appulsus, vt compertus, iubetur ad profectionem expedire se noster, ad eam se summo mane comparat, paciscitur cum nauclero certa mercede pro vectura, factaque ascensione, soluit portu hilarus, postero die Auenionẽ, expetitosq; magistros reuisurus, atque interea magnam expedit itineris partem, dum ludificatus minister, molli affusus strato, somnũ ad multã diẽ pertrahit; qui expergefactus, ludosq; sibi à socio factos vt cõperit, indignabũdus, infausta nequicq̃ desertori suo, Iesuitarũq; familiæ cõprecatus, regreditur plenus stomacho, & ira vnde abierat, suis ipse fraudib. probe attextus. Atq; ita egregius adolescens frendẽtib.

licet,

licet, frementibusq; Caluinistici dogmatis sectatoribus, ac dęmonibus omnibus, diuino firmatus præsidio, ad conuictorum domum, quasi ad certissimum suæ, & salutis, & fidei portum, quam toties in apertum discrimen senserat, vocatã reportatus est. delegitq; in ea cum optimo aliorum numero, qui ex præcipua adiacentiũ prouinciarum nobilitate collecti in nostram disciplinam traditi sunt, cum spe vberrimi fructus.

Scholæ etsi maleuolorum inuidentia hoc anno acerbe tentatæ, & exagitatæ, suum tamen & florem, & nitorem conseruarunt, disrumperentur licet odio ęmuli nostri. Auditores numerati ducẽti supra mille. casuum schola, quæ ante intermissa, vt eundem cursum Auenionẽsis Theologia, cum Romana teneret, quem & assequuta demum, repetita.

Centum circiter hoc anno, ab hæreticorũ cœtu, ad Ecclesiæ caulas aggregati. Nefarius quidam atque omni flagitiorum genere coopertus aliquorum hortatu de conscientia confessione deoneranda, sæpe sollicitatus, pias semper optimorum virorum monitiones elusit. Tandem diuini numinis patientia irritata, eius iræ aculeos in se subleuauit; emisiq; equidem; etenim cum iam reditum ad suos compararet repentina correptus ægritudine, vsuq; membrorum fere omnium destitutus, sic, vt oculorũ duntaxat, aurium, ac linguæ tenuem sensum vsurparet: aliquando rediit ad cor, atq; vbi recogitauit omnes annos, in amaritudine vitæ suæ, nostrum euocauit Sacerdotem, confessionem peccatorum integrã instituit, qua

rite

rite exacta, mirum dictu, protinus conualuit, ac primæ ex integro redditus est, & corporis, & animæ valetudini, vt vitam quam nunc agit sanctissime, integra sanitate Deo traduceret.

MISSIO NEMAVsensis.

NEmausium opidum est, inter cæteras Galliæ vrbes damnati dogmatis cultu famosissimũ Ad illud dimissus è nostris vnus ad concionatoris munus apud Catholicos obeundum, apud quos ita operam collocauit, vt Caluinistis etiam extare partem laboris sui vellet. Nam Ecclesiæ duodecim conciliauit quos Caluiniana pestis infecerat, concussitque permultorum animos, qui ante à nostra fide alienissimi viuebant, nunc de ea & optime sentiunt & nisi eos pudor retineat, faciles ad nostra castra pertranseant.

Vnus in eorum conciliabulis fide, ac Impia religione præcipuus, vulgo ministri oculus ob insignem ab eo semper in custodia gregis adhibitam vigilantiam nuncupatus, vi veritatis oppressus, stupentibus, atque indignantibus hæreticis, manus dedit.

Pater familias Nemausum concesserat ad inhabitandum, geniali solo derelicto, vt superstitionem Caluinianam impésius exerceret. Sed nostri Sacerdotis colloquiis de Catholica religione instructus, mentem mutauit, seque Catholicis aggregauit.

Permulti qui de abiicienda fide Christiana pessimum

ſimum conſilium ſuſceperant, iamq; prauum negotium cũ miniſtro ſuperſtitioſæ religionis pertractarant, reuocati; atque intra eccleſiæ ſepta, in quibus reliquam traduxerunt vitam cohibiti. Neque ita eradicando hæreſeos lolio curam noſter intendit, vt ſibi falcem in ingentem quam Catholici meſſem præbuerunt, non mittendam exiſtimaret. Exercitati ad Sacramenta rite ac frequenter obeunda, nec ſine fructu: maior enim ad ea pie vſurpanda, quam ante numerus compulſus eſt.

Etiam in Ægrotis cura poſita, & amicis de animæ ſalute monitionibus ad Chriſtiani hominis officium prouocati, ad quas percipiendas ipſi hæretici in vitæ deſperatione iam poſiti miniſtro poſthabito noſtrum ſibi vocandum curauerunt.

Grauia odia non pauci interſe exercebant, quæ penitus extincta.

COLLEGIVM TVRNOnenſe.

OPortuna fuit erga nos hoc anno multorum liberalitas, quæ noſtrã inopiam ſubleuauit, ducenti aurei ab illuſtri matrona nobis ante obitum legati. Acceſſere ad ſacram ſupellectilem & ornatum templi, veſtes aliquot ſericæ damaſcenæ. Aucta eſt inſuper bibliotheca multis, ac neceſſariis voluminibus. Deniq; iacturam annui cenſus reſarcire aliunde voluit diuina clementia, facta eſt quippe ad fundationem hoc anno vnius prio-

prioratus acceſsio, acceptis etiamnum Roma litteris, qui ſuo reditu iuſtum noſtrorum ſeminarium, ex more Societatis alere poſsit, quo in negotio ſingularis illuſtriſsimi D. Turnonii beneuolentia enituit. Nam tunc in cæteris rebus, tum vero maxime in huius promotione ſpectabilis fuit illius in ſocios fauor, ac liberalitas vnus, cum non liceat per patrē Catholicam fidem quam occulte ſuſcepit, palam profiteri, poſtremis vacationibus tantum potuit apud Matrem Hæreticam, ſororem, atque ancillam, vt quaſi aliud agens eas ſubduxerit à conſpectu patris, & ad nos mutandæ fidei gratia deduxerit; Adductus etiā ad fidem eius induſtria frater natu minor, qui ante aliquot annos, licet daret litteris operam apud nos, tenacior fuerat in errore, quam ætas ferret.

Alius ætate prouectior, inchoato philoſophiæ curriculo nouam induit religionem; nec excluſus domo & hæreditate paterna, vt eam abiiceret, potuit induci. Alius in nefaria impietate Dei clementiam expertus eſt non mediocrem. is cum è noſtris ſcholis abiiſſet vere Catholicus, poſtmodum eo proceſsit nequitiæ, vt ex pacto conuenerit cum dæmone, ac ſemet ipſum eius ſeruituti addixerit. Voti reus ſenſim ad hæreſim rapitur, & quaſi vipera è gremio Matris Eccleſiæ ruptis carceribus egreditur, & quia Philoſophiæ limen vix dum attigerat, litterarum magis, quam ſuæ ſalutis auidus redit ad lycæum, in quo quidem fucatus adoleſcens, quam eiurarat Religionem aliquandiu eſt ementitus. Sacris igitur dum intereſt, tacituſque cæteros irridet, ecce tibi

presby-

presbytero ſalutarem tollente hoſtiam, corruit in terram exanimis iſtius morbi vis in tertium diem tracta. Id magis mirũ quod adoleſcẽti eſſet inſolitum, quod ieiunus ad ſacrũ non acceſsiſſet, quod deniq; in pœnam ſacrilegii id paſſum ſe continuo exclamarit. vi morbi remittente, nihil habuit antiquius, quam veterem pietaté reuocare, & apud nos conſcientiæ onus deponere ac religioſum ordinem meditari. Multi præterea fuerunt hoc fortaſsis exemplo moti, qui cum ſæpe numero conſcientiæ ſarcina leuiori depoſita grauiores noxas pudore victi reticuiſſent tandem reſipuerunt, & conſcientia mordente, ad internam pacem confitentes redierunt. Hæc de domeſtica ſcholaſticorum pietate, litterarum porro feruor multitudine Collegiorum non intepuit. Educti ſunt è puluere Philoſophico ad doctoratum artiũ duo ſupra terdenos, numerus ſane in tãta curriculorum multitudine non pœnitendus. Scholæ omnes Henrico magno Regi Chriſtianiſsimo pro fauſto ſecundi ſyderis Henrici ac Aurelianenſis ducis genethlio tridui iuſtitium indixerunt, quo tempore certatim non inferiores modo, ſed & ſuperiores ſcholæ ſpecimen dederunt, & ingenii & in Regiam Maieſtatem obſeruantiæ. Inter cæteros Iuſtus Héricus à Turnone, Iuſti Ludouici, F. Roſſellioneus Comes, ac ſtudioſæ in Academia iuuentutis princeps, Noui Ducis originem veneratus. eidem ſuum obſequium multiplici poemate, conſecrauit. Cæteri geniale nemus, Muſis ac fœlicitati ſacraria, ambulationes, propylæa, logodædalia, Mineruiaque excitarunt, ſingulisque Genethlii

diebus

diebus ludos exhibuerunt, magna eorum qui è vicinis vrbibus confluebant admiratione iuxta ac congratulatione, & acceptus est præterea semel, atque iterum Illustrissimus Henricus Borbonius princeps Condæus, alter à Sobole regia regni Galliæ heres, tum in ipsa vniuersitatis aula, professorum prope omniũ breui oratione thesiumq; oblatione, tum etiam Scenico Rhetorum apparatu, aliorumq; festiuo applausu, quæ omnia quantopere illi fuerunt cordi testatur illius in nos humanitas, & earundem rerum apud Regem, cæterosque principes benelonga enumeratio. paulo minorem scholarum industriam non minori cum beneuolentia suscepit Henricus Montmorantius Galliæ connestabilis: nec non Reuerendissimus Petrus Andreas de Leberon Episcopus Valentinus & Diensis; quorum ille quamuis Senectute tardior, & bibliothecam, cæteraq; loca curiosius inspexit, & maximo cum sensu pietatis apud nos vespertinis precibus interfuit. Hic vero in æde nostra collato confirmationis Sacramẽto, & apud nos pransus est, & ab ipsa iuuẽtute salutatus, propensæ in nos voluntatis specimen dedit non mediocre. Hæc domi. Erepti Caluino in variis locis centum circiter, inter quos patres non vltimę notæ, cum tota familia quatuor. Non omittenda sanè aliquorum insignis conuersio. Vnus, dum aliquando foco sacræ imagines per summum scelus iniicerentur, effigim D. Antonii conspicatus, pedibus impellens, ac sacrilegio scommate compellans, parue bufo inquit, non cõbureris? Sacris D. Antonii flammis de repente correptus tandiu

vstulatus est, donec nuncupato voto reus pœnitentiam in ipsa æde D. Antonii bene longam egisset, & penitus hæresim abiurasset. Alius, ordine Diaconus, professione religiosus, Monasterij septa desiderio Caluinistarũ impuræ libidinis prætergressus fuerat; imo illecebrarũ voluptates degustarat. Tandem acri, piaque nostri cohortatione victus, in lachrymas erumpens, nuncium voluptati & Caluino remisit, vltroq; monasterii septis se se inclusit. Tertius fuit adolescens à Geneuensi colluuie & ministri frater, & ipso ministerio destinatus; qui è patria perfugiens agnoscendę veritatis causa edoctus à nostro fidei mysteria, & veterem deposuit hominem, & cõfessione ablutus penitus resipuit. Tres alii Iconoclastæ verius, quã Caluinistæ, atq; ipsius Dei, sanctorumq; contemptores vindicem numinis manum experti sunt. Primus arreptam imaginẽ Sancti Andreæ, iniuriis obscœnisq; verbis in eam contumeliose prolatis, in flammas iniicit. Non diu tantum scelus impune tulit homo nefarius. Nam de repente scintilla è foco prosiliens, & primo crus hominis dextrum leuiter attingens, paucis horis corrumpit, tum sensim serpens pudenda etiam inuadit. Nec prius eum vltio diuina deseruit, quàm frustatim decidentibus fœdum in modũ corporis partibus, homo sacrilegus viuus, vidensq; interiret. Alius sacrarum contemptor reliquiarum, quas noster Sacerdos iter agens secum habebat, p eq; exosculabatur; cum diceret se malle aurum illud, & argentum quo vestiebantur, quàm nullius momenti reliquias, statim in via & multam pecuniam, &

loculos

loculos vbi erant aurei multi aliaq; pretiosa, quæ tum forte ferebat, amisit, mirante nostro Dei in auarum Hæreticum iudicium tam repentinum. Tertium habet locum vxor cuiusdam Ministelli, quæ eo nequiori, & atrociori supplicio dignior, quo in plures Sanctos fuit iniuriosior. Hæc Kalen. Nouembris omnium sanctorum die palam, & in conspectu Christianarum Matronarum nere, ac fila colus contorquere in contemptũ sanctorum omnium, ipsiusq; Religionis cœpit, nec ab opere iterum, tertioq; monita, destitit, donec aliqua è Catholicis zelo impellente, flammas D. Antonii articulatim imprecaretur. Nam illis ipsis confestim quasi Deo mulieri obsecundante, comprehenditur, adeoque atrociter diuexatur, vt consensu medicorum, primo extremæ ipsi digitorum vnciæ fuerint rescindendæ; tum articuli omnes ad vsq; volam, & gradatim ipsa manus tantumq; vis morbi inualuit, donec misere excruciata mulier turpem animum turpiori fato euomuerit. Vnus nostrorum dum Ecclesiastæ munere postremo aduentu fungitur, in vrbe vicina plebem armatam & ira, & odio in proceres vrbis, ipsosq; magistratus, tam suaui oratione, tam validis fregit argumentis, vt & illi plebem amplius non premant, & plebs ipsa maiores veneretur, ac colat.

COLLEGIVM BILLOmense.

DE concessu. R. P. N. Generalis, illustris Comitissæ Randanæ, ex nobilissima Mirandulanorum familia oriundę, corpus in nostro templo depositum, ibique nostro communi sepulchro conditum, vbi eius beneficio, & liberalitate altaria varie in orbem Phrygia, & Attalica veste collucent. Eius funus, vt par erat, & laudatione funebri, & nnmerosis nostrarum musarum luctibus, epitediis, epitaphiisque cohonestatum. Cum deferretur corpus cõcentui musico non ingrati interueniebant pauperum clamores, & plãctus, ereptũ sibi benignitatis quasi Amalthæum cornu querentiũ. Hæc Matrona cũ in aula trium Galliæ regum multis honoribus defuncta esset, cum ipsi aura felicitatis afflaret, cum secũdas eius nuptias ambiisset Princeps amplissimus, aulicos honores fastidiens, vt reliquum vitæ cursum sanctissime perageret, Billomi domicilium Collegio vicinum sibi delegit, vbi nostrorum pręceptis imbuta, in virtutum omnium studio, sed præsertim liberalitatis in pauperes, suique contemptus, tam diligentem collocauit operam, vt eius pietatis fama per Gallias late diffusa sit, & cum apud nos tumulata est, templum nostrum nouæ Tutelaris, indigetisq; accessione ditatum esse videatur. Moriens etsi liberalibus eleemosynis exhausta, quam Billomi domum habebat, Collegio, & tercentum insuper nummos aureos testamẽto legauit. Eius filius illustrissimus Cardinalis a Rupefocalda in dies

dies magis ac magis in Societatem nostram bene afficitur. Cum purpuram recens summo Pontifice ipsius meritis delatā nostri scholastici oratiuncula, triplicique dramate gratularentur, adiectis emblematis, & fœlicibus anagrammatismi lusibus, omnia stans in pedes, & cum voluptate audiuit. Notabatur sæpius, maxime cum in eius laudes excurreretur, clausis sese oculis colligere. Et certe, cum in ipso omnes virtutes emineant, demissionis tamen Christianæ, mirabili exemplo, in primis studiosus est. Illas scholasticorum recitationes conclusit ipse eleganti clausula, verbisque grauissimis in nobili consessu significauit, si quid hac dignitatis accessione sibi accederet facultatis, id omne ad Societatis nostræ commoda collaturum, frequens in nostro templo fuit, in scholasticis recitationibus fere quoties vocatus fuit; quin, & præceptorum lectiones audiuit, cohonestauitque sua præsentia. In sua Diœcesi lustranda, locisque iuuandis, quæ magis indigere videbantur, nostrorum opera sæpe, & fructuosissime vsus est. Aruernis (clarum montē hodie appellant) frequentes ipsi acclamationes factæ, quod nostros Patres eo singulari cum fructu Iubilæi arrepta occasione misisset: ibi enim duo è nostris patribus totam diē & magnam noctis partem excipiendis confessionibus occupati ægre tempus curando corpori necessarium, horamque Christianæ doctrinæ in diuersis duobus templis edocendæ poterant suffurari.

Templum D. Gregorio inauguratū non modo bestiarum, sed etiam turpissimæ libidinis speleum

factum, exauguratumque fuerat, sed vna nostri Ecclesiastæ conciuncula pristino Diuorum cultui restitutum est. Duo variis, magnisque Dæmonum ludificationibus vexati, sacramentorum ope in saniorem mentem restituti. Eorum alter ad nostrum templum perductus, induci ad confessioné, precesque Deo fundendas nullis sermonibus potuit; Dæmoni se addictũ mancipio proclamabat; sacerdos, qui hortabatur, vocatur interim vt sacrum proxime faciat, ergo monet eum, qui deduxerat, hominem retineret in templo, dum res sacra perageretur, quam primum se consumpto sacrificio rediturum. O vim sacrificii mirabilem? cum Sacerdos in augustissimis mysteriis humani generis vindicem Christum apud Patrem suum pro illo misello deprecatorem interposuisset, ita ipsum repente mutatum offendit, vt, qui ne quidem signo salutari frontem munire voluerat, vitam vniuersam generali confessione percurrerit, perceperit sanctissimæ Eucharistię Sacramentum, lætus domum cum magna venerãdi sacrificii prędicatione se receperit.

In Scholis etsi paulo ante solemnis ieiunii ferias lateris morbo pestifero grassante, dissipati sunt scholastici, vnusq; nostrorum Magister Ludouicus Burgesius magnæ spei adolescens vi morbi sublatus, magnum sui reliquit ob virtutem desiderium, tamen quod singulare fuit Dei beneficium, breui morbo compresso maiorem partem redierunt, qui discesserant, & cum late tota ferme Gallia, vicinia certe, miserabili letiferoq; dysenteriæ fluxu laboraret, Billomum nõ modo morbus

non

non inuaſit, ſed teſtantur pagi integri, cũ ſe Chriſti ſanguini vouiſſent, qui Billomi religioſe colitur, è faucibus mortis ſe ſe ereptos. Scholaſticus vnus nouiſsimâ valetudine tentatus, deſperatusque à medicis, cũ famulatum B. Virgini in noſtro parthénio Sodalitio, imaginique eiuſdem Virginis, quæ Anicii colitur, peregrinationem vouiſſet, ſingulari miraculo ſanitati reſtitutus eſt. Virginũ principis Mariæ ſubſidio, repetito D. Bernardi exemplo nocturnos inſultus Dæmonũ, & aliorum contagioſa ad peccatũ irritamenta ſuperauit. Alii duo ſunt in Societaté tranſcripti. Item & alii duo, non quidem noſtri ſcholaſtici, ſed in Theologiæ ſtudio emeriti, piis tamé hic B.P. noſtri commentationibus inſtituti, adiutique, Societati ſe dediderunt.

Collegio acceſsit Prioratus, ex quo annui reditus reuehi poſſunt quadringentorum nummum aureorum.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

PRodidit ſe noſtrorũ pietas in multis, vt patebit ex his, quæ refero. Dies D. Clementi Papæ ſacer illuxerat, cum iuſſus frater prompto ad obediétiá animo pede promptiori tectũ ſuperauit, vt cápanæ ad Miſſarũ ſonum neceſſariæ funé diſſolutũ religaret: effuſus frigidiore cœlo gelidus imber, tegulas glacie incruſtarat, itaq; lubrica via fefellit aſcendentem, qué adeo ad extremam ſuggrundationem præcipitauit. In terrá prorſus corruiſſet, niſi fauente Ieſu, & Maria, quæ nomina de

integro ingeminabat, alterius tecti cantherios offendisset, quibus innixus periculum mortis euasit. Hic idem eodem tantum non discrimine post quatuor dies iterum perfunctus est, nã cum asseres vinciret ex quibus ad ædificationem muri sibi theatrum fabricaret, male tuto consistens in loco, simul cum assere, quem extrahebat decidit moriturus, sed ei præsens inuocatus Iesus adfuit, sic vt recta in inferioris tabulati trabem, eo situ quo si equitasset, non tamen sine graui vultus brachiique offensione lapsus sit, quem si cadentem trabalis ille equus non sustinuisset, ad terram collisus plane pertinuisset. Ante lapsum res accidit commemoratione digna. siquidem P. Rectori roganti opusne esset inchoatum confecturus, respondit Latomus noster, ita fore nisi ipse prius morte cõficeretur, cui Pater, inquit, quid si moriare? animus, inquit ille, si modo in cœlis sepeliatur; corpus quocunq; efferatur, nullam in partem mea interest. nec illud silendum puto, quod frater iste pro duplici illa liberatione, causari solitus erat, se scilicet diuina vi obedientiæ, præsentissima ruina fuisse expeditum.

Alius in rebus domesticis similem fere Dei in se est expertus benignitatem. Nam ipsomet die, quo solutionem D. Petri è vinculis celebrauimus, Petrus hic noster, sic enim vocabatur, neruorum articulorumq; intumescẽtium dolore, quo constringebatur liberatus est, quod beneficium cum B. Petro Apostolo, tum etiam Patris Petri Fabri Gentilis sui, quem inuocarat, precibus acceptum refert.

At

At peculiaria videbuntur hæc beneficia, non inficior, ſed neq; communia defuerunt: domum nouam habitare cœpimus, quæ expeditiſsima ſereniſsimi Caroli Emanuelis Allobrogum ducis liberalitate, & promptiſsima vigilantiſsimi Caroli à Simiana Sabaudiæ gubernatoris ſedulitate à fundamentis excitata, cõſtat ea amplitudine, vt ad quinque plethra, & duas aruras longitudo protendatur, ſpatioſæ enim duæ porticus, quæ per totum illud ſpatium pertinent ſpatiantium viginti ſupra centum paſsibus vix definiũtur. omitto feneſtrarum per interualla diſtantium ſplendidam concinnitatem, totum ædificium in duo quadra diſtinctum eſt. Primum iam pene perfectum eſt nondum penitus ſecundum, illud ex tribus contignationibus conſtat; in inferiore, claſſes amplę, in ſuperioribus cubicula commodiſsima, hoc vero, triclinium, & quæ id attingunt aulam, valetudinarium, horrea & ſimilia continet.

Rapuit nobis mors intempeſtiua Iacobum Dantonem, nouitium quidem, ſed perfectæ admodum virtutis. hic illibatæ puritatis tenaciſsimus cuſtos, obſeruãtiſsimus regularum, quarum lectione, ne quidem grauiſsimo oppreſſus morbo abſtinebat, cumq; eum ſic vires defeciſſent, vt conſtitutionum digitis paginas euoluere non poſſet, ad hanc rem dentibus vti ſæpe viſus eſt.

Nouitio, ne quicquam ſatiata mors, poſt aliquot menſes rapuit P. Alexandrum Humæum tria vota profeſſum. Is ſeptem annos ſupra viginti in Societate expleuit, Nobilis Baro è Scotia oriundus, in græcis verſatiſsimus; Huius nomen

omnibus in omnium cõmemoratione virtutum fuit, & vulgo sanctus habitus, nec immerito, vir fuit ad obedientiæ nutũ promptissimus, nullum quamuis difficillimum imperium grauissimis etiam fractus laboribus detrectauit, quin & ipso die, quo discessit, patrem Ministrum monuit, vt aliquem, qui mensæ ministraret suo loco præficere dignaretur. De virginea ipsius verecundia huc multa congerere possem, vnum propono, vt reliquis supersedeam. Toto inualetudinis tempore, vt necessariis seruiret, se solo contentus, socium à se, cubiculoque magna cum modestia amandabat, cuius tenax consuetudinis, vna ante obitum hora deduxit se lecto, viresque, vt eundem repeteret, non sine miraculo suppeditauit Deus. tantus in eo viguit paupertatis amor, vt incõmodissimum totius Collegii cubiculum sæpius obnixe contenderit, quod tandem consequutus est, in eoque extremum vitæ diem clausit fœliciter, nudum illud sine libris, sine ornatu solebat incolere: rogatus, nunquid sibi deesset; nulla se re indigere profitebàtur, quanquam multis subsidiis bonus ille pater opus habere videretur: vilissimum vetustissimumq; breuiarium, vt pro nouo mutaret, induci nunquam potuit; sed &, quæ in illo addenda, vel detrahenda erant, ipse manu propria descripsit.

Volumen integrum eius ardens in salute proximorum procuranda sollicitudo requirit; hæc de multis pauca sufficiant. Non tam argumentis Hæreticorum mentem, quam lachrymis emolliuit;

uit; non rationibus vicit, ſed precibus, infinitam prope turbam hæreticorum, & hac de re tantum in morte doluit, quod Geneuæ pro confirmanda fide ſanguinem non effudiſſet, quem tamen videtur exhauſiſſe in confeſsionibus excipiendis, cui muneri addictiſsimus fuit omni tempore. Hanc autem præſertim operam militibus & ruſticis impendit, vnde magnus militum numerus patris ſui funus multis proſequutus eſt lachrymis. quin & ipſe inuictiſsimus Sabaudiæ gubernator exequias cohoneſtauit ſuis gemitibus. nam omnibus gratiſsimus vixit, ipſis etiam carus hæreticis, cui vero non eſſet amabilis humillimus, & mitiſsimus pater? qui omnibus omnia fiebat, qui de nemine poterat male ſuſpicari, qui nota flagitia excuſaret?

Sutor qui apud nos octauo quoq; die cõſcientiam aperit, diuiniſque reficitur epulis, pane & aqua toto fere tempore ſolennis ieiunii vitam tolerauit. Mendicus claudus de quo ſuperioribus literis quædam retulimus, erga hoſpitem ſuum, ſic gratus extitit, vt cum filium hoſpitis valde ægrum agnouit, extemplo ad ædes ſacras iter contenderit, ibique vota Deo, roſarium Virgini, Diuo Claudio preces pro moribundi ſalute multis cum lachrymis obtulerit, ſibique morbum infirmi ſit imprecatus. Non irritæ orationes: conualuit puer; in mendicum tranſtulit ægritudinem Deus.

Admiſsi in Societatem duo, vterque Philoſophiæ curriculum emenſus.

Ruſti-

Rusticus magna rerum omnium penuria periculosum morbum contraxerat : vxorem eo in statu sepulturæ mandauit, postquam gemellos in lucem illa emisisset, ipso Paschatis die exanguis, ęger, baculo innixus ad templum longe dissitum se trahit, aere frigido perflante borea, vt cõfiteretur & communicaret, sed cum præsens ibi non esset Sacerdos, absentem per duas integras horas præstolatus est tanto confectus frigore, vt, qui ex nostris illuc pertinuit, miseratus ægrotum, pallio suo obuoluerit; nec inde recessit infirmus, quin Sacramentis confirmaretur.

COLLEGIVM ANICIENSE.

NVmerauit Collegium Aniciense socios sex & viginti, Sacerdotes duodecim, quatuor ex iis in docendi officio occupati, magistros nondum Sacerdotes factos habuit septem, Auditorem vnum atque eum reparandæ valetudinis causa huc dimissum; Adiutores in rebus domesticis octo.

Ex iuuentute in Probationis domum transmissi quatuor. Duo inconsueto pietatis exemplo vltro à parentibus addicti Societati.

Quidam in periculosissimo, & vsquequaque deplorato morbo animam trahẽs voti se nexu Anicianæ virgini obstrinxit, si ex periculosissimo morbo recreetur, se pedibus nudis eius ædem peregrinando obiturum. inualescit igitur, imo reuiuiscit. Dum autem voti sui fidẽ liberatũ optimæ liberatrici suæ venire parat, affines instant vehementer,

menter, ne excalciatis pedibus iter ingrediatur. obiiciunt succisas ex afflicta valetudine vires, itineris præterea longitudinem, atque incommoda alia: ille nihilominus propositi tenax obtendit quocunque periculo perfuncturum, priusquam promissi sanctitatem, ac fidem interuertat. Deduci duntaxat eo potuit, vt tibialibus laneis iter illud contenderet, sine soleis tamen. defungitur voti religione, & viam per montana asperam, saxosam, difficilem ingreditur, conficitque itineris centum & viginti milliaria, nec tamen soleæ tibialium laneæ, vel minimo intertrimento diminutæ sunt. Ille Sacerdoti nostro pro maximo miraculo tibialia ipsa nullo attritu lacera, quib. tamẽ æstuosam multorum dierum viam venerat, ostendit.

Hæreticus iam senio grauis totam ætatem in errore Caluiniano traduxerat. ad eum lectulo affixum iamque moribundum accessit: Hortatur ab ea prauitate desciscat. Pro gratia officii alter infausta quæque emortua voce comprecatur, eumque ita male verbis impetitum a se dimittit. Casu tamen alius item Sacerdos noster illac dum forte præterit, experiundi gratia, ne quid intentatum sit, eius domum ingressus, misertus morientis vicem, hortationes quas potest ad fidem suscipiendam adhibet, quæ ab obstinato elusæ sæpius, à nostro item sæpius repetitæ, tandem effectum sortitæ sunt suũ. Nam vi veritatis victus, oppressusq; salutaribusque monitionibus emollitus, manus dedit. Itaque sacra Iesu, & Mariæ nomina iussus pronunciare, sèque lustrali aqua aspergere, lubens paruit, ac demum Sacramentis omnibus rite communitus,

munitus, in exitu vitæ, veræ vitæ exordium celebrauit. Nebulo pharmacopola, dum ægro cuidam medicas potiones propinat, hæreſeos venenum ſenſim ei in animum inſtillat. Audiit R. P. Rector, adiitque ad eum viſendi, vt fit, gratia; pertentat, comperitque reuera hominis hæretici artificio corruptum; fraudem denunciat, in quam ſe imprudens coniici paſſus ſit; officii commonefacit: nec irritæ adhortationes: reuocatus in meliorem, ac priorem mentem æger, expiatusque ſacro confeſsionis lauacro vita functus eſt, pharmacopola nequicquam fremente, ac frendente, propter ereptam ſibi è manibus prædam.

Facta eſt vnius ad Eccleſiam acceſsio ratione digna plane ſcitu, quam paucis cõmemoro. Nam argumentum habet diuinæ bonitatis illuſtre. In reſidentia Albenacenſi ex Theatro Euangelicus Epulo à noſtris ad populum datus eſt. Adfuit in ea exhibitione vir Caluiniſta (quales ea ciuitas & opida ei circumpoſita pleroſque alunt) conſilio diuino ac penitus memorabili, hauſitque in hac ludicra repræſentatione ſimul cum voluptate certiſsimam ſalutem. Nam exinde meliora animo tractare, & ſanctiora meditari cœpit; nec multo poſt, dum in ea animorum commotione verſatur, inter quietem longa eum teterrimorum dæmonum caterua viſa circunſiſtere, ad eius excidium iam iamque comparata. Ad cuius impetum quid obiiciat nihil ſuppetit, niſi forte crucis ſalutiferæ ſignum, quod in ea trepidatione certum præſidium à Catholicis ſæpe inaudierat.

dierat. Eo se communit igitur, miraturque, quoties repetit, vno semper hoste minui inimicũ satellitium; iterato sæpius ac breuissima comprecatione, quæ tum occurrit, ad Deum facta, accersitum sibi cœlo fulgentem, præmicantemque Angelum, qui ad dextrum eius latus repente conuolans, in miseri stat auxilium expeditus. Hostes timore perculsi nouo subsidio, in læuam ruunt, & dimicationem integrant. Certatim fit pugna; damnatam iam salutem videt infœlix nullo conscientiæ merito subnixus, cum audit subito fieri ænea voce in eo tumultu ac turba audientiam, silentioque vtrinque præstito, alium summo decreto consequi hac sententia, Dominus secundum hunc decreuit, inter delectos sors illius est, qua repente impulsus, cum horrore ingenti, omniumque agitatione membrorum expergefactus est. Vbi primum diluxit, consilium fuit, rem vniuersam ministro ex ordine pandere, & ab eo intelligere quid hoc oraculo superi faciendum monerent. Adit igitur ad eum, seriemque rei gestæ exponit; subiicit, experto credendum, magnam in crucis signo vim inesse ad discutiendos Dæmonum conatus: ab eo armorum genere salutem se acceptam habere: ridet minister ad hoc dictum, vanamque appellat hominis meticulosi in re vanissima confidentiã; simul dicit hęc puerorũ esse inania terriculamenta, quæ passim somno degrauatis eueniant, eisque molestum ac iam dubium fide ab se dimittit, sollicitum tamen studio veritatis. Consequũtur dies aliquot, & ille

semper

ſemper animi fluctuatione verſatur; ſed ea alio non minus mirabili prodigio, capitur. Contigit enim eum hominis inimici gladio nihil ſuſpicantem tranſuerberari lethali plaga, qua vitæ ſalus in vltimum diſcrimen adducta eſt. Medicorum igitur ope damnata, non tamen deſint ægro cœleſtis medicina. nã ſemel inter vulnerum dolores ſenſit ſe leni, ſuauique ſomno adſpergi, quo occupatus videt in auguſtiſſimo D. Virginis Anicianæ tẽplo ſe depoſitum, atque eam ædem magna interuolantium Angelorum multitudine ęquabili volatu ſeſe per aëra librantium celebrari: vultus in omnibus, qualis Beatis mentibus ſcribi ſolet, radianti lumine fulgens, niueoque candore prænitẽs, talaris tunica parte anteriori ad femur reuincta, variantique colore picta niueos artus obtegebat: ardebant in ſingulorum manibus cereæ faces, eamque iucundiſsimam ſpeciem ſuauiorem etiam efficiebant muſici concentus, quibus magnæ Cœlorum parenti gratiſsimum carmẽ alternanti voce certatim decantabant. Quo aſpectu æger tanto voluptatis ſenſu perfundebatur, vt etiã dormiens identidem geſtientis præ gaudio ſigna daret, quæ famuli cum in ſopiti fronte præter morem hilari, ſalientique corpore deprehenderent, vehementerque mirarentur, expergefactus, eoque ſomno adhuc hilaris, totuſq; recreatus, ab ſe famulitium amouet; votum nuncupat B. Virgini, ſi conualeſcat, peregrinãdo ad eam ædem; quæ ſibi per ſomnum oblata eſſet, aditurum. præterea traditurum ſe noſtris in fide Catholica erudiendum. Nuncupationem voti conſecuta ſanitas alioquin deſperata,

rata, surgit lecto; Anicium contendit; rem aperit nostris, nec sine lachrymis fluentibus ex gaudio, dum visorum memoriam repetit, satisque de fide instructus, atque omnibus, quæ ad voti solutionem oporteret, rite procuratus, in patriam hilaris remigrat duplici auctus beneficio fidei & sanitatis. Nono mittã quadraginta annis in damnato hæreseos errore versantem huius ætatis virum ea pestilentia nostrorum industria curatum.

Fœmina dum xenodochio suum egenis ministerium præbet, nebulonem nacta damnatæ iam valetudinis, ne erga eũ vllum charitatis officium prætermittat, post curationem, quæ necessaria esset eius corpori, liberaliter præstitam, animo quoque suam medicinam statuit adhibere. monitis ergo suauibus conatur primum pellicere ad confessionem peccatorum post renitenti proponit numinis iam imminentem iram; seueritatem iudicii futuri; nec sic audientem de mortis terrore, damnatorum suppliciis, dæmonum diritate, quam certe experturus sit, nisi resipiscat, grauiter ac serio admonet; sed neque istis vllam indurati animi commotionem facit, vt igitur videt verbis apud depositæ salutis hominem nihil promoueri, decreuit re ac factis agere cum eo scelerato, admouetque ad nudum eius brachium ardentem facem, quam tum forte ministerii obeundi causa præferebat, acerbeque carnem adusit: exclamat cõtinuo nequam; offensum adustione brachium multis queritur: Tum prudens mulier voce, & vultu ad grauitatem conformato, itane, inquit, hominum amentissime, ad huius flammulæ le-

uem ardorem totus ſic commoueris, vt eius ſenſum momentũ temporis ſuſtinere nequeas; quas æuo ſempiterno experturus es, niſi peccatorũ cœno reſilias, non perhorreſcis? Vix dici queat id factũ quantũ potuerit in hominẽ alioquin durum, ac plane ſaxeum. Redit ad ſe; propoſitum confeſſionis facit; noſtro Sacerdoti euocato aperit peccata totius vitæ; reliquiſq; Sacramentis pręmunitus vita excedit. Ita breuis dolor ei homini ſempiternos vitandi cauſa fuit.

Iacturam hoc anno paſsi ſumus D. Maleſcoti in principe vrbis templo primarii Canonici, quẽ etiã inter noſtros tranſcribere merito poſſumus. Nam ſub exitum vitæ, quod in eius decurſu ardentiſſime expetiuerat, non erat tamen aſſecutus, vota Societatis emiſit; hæc Simeonis prophetæ verba magno pietatis ſenſu ingeminans, nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, inter quæ animã ſuauiſsime efflauit. Eius cadauer in noſtro templo conditũ, funuſq; ei noſtræ Societatis more celebratum. Is rem Societatis vt ſuam promouit ſemper, nec deſtitit vnquam omni officio de nobis bene mereri. Iuuit Collegiũ non cõſiliis modo, ſed fortunis neq; aliquid ſuum vnquam noſtrũ non putauit; quod teſtamentariis tabulis teſtificatus eſt. Nam Nouitiatum Lugdunenſem hæredem ſcripſit ad libellum: optima pecuniarum ſumma Collegio attributa cum Bibliotheca probatiſsimis codicibus inſtructa; quã item Collegio adſignauit, ſodalitio vero ſacram ædiculæ ſuæ ſupellectilem, eamq; elegantiſsimam. Vir fuit equidem morum probitate, vitæq; ſanctimonia

monia non minus,quàm doctrina illustris, quem vix scias quo virtutum genere magis claruerit:ita singulis instructus fuit, vt summas oēs haberet.

COLLEGIVM DIVIO-nense.

ALumnos de nostris habuit Collegium Diuionēse vnum & viginti, in iis fuere Sacerdotes nouem; magistri scholarum sex, quorum duo è nouem Sacerdotibus Auditores Rhetoricæ tres. Adiutores in re domestica quinq;, vnus vita functus est cum esset ad propinquum opidum comes Sacerdoti.

Cuidam morte luendum fuit crimen propter quod erat in vinculis. Ei de nocte Diabolus astitit per speciem consolandi,finemq; malorũ demonstrandi; homini calamitoso suadebat strangulationem voluntariam, cuius facilem quandam rationem explicabat. Eo viso valde perturbatũ hominem ac dubium an non satis cogniti admonitoris amplexurus esset consilium: Sacerdos è nostris, qui in eum fortuito inciderat postridie, admonuit insidiarum diabolicarum, vtilioremq; de culparum confessione rite obeundà sententiam persuasit,sicq; ad supplicia æquo animo toleranda se comparauit. Mulier consumpserat facultates omnes in corporis sanitate procuranda irrito medicorum conatu. Ei venit in mentem cum nulla spes aliunde affulgeret confessionis ex voto deinceps mensibus & diebus sanctioribus peragendæ vix votum nuncuparat, cum Dei beneficio pene repente sanata est.

Cum Lingonas bidui ab Collegio itinere excurriſſet Sacerdos è noſtris negotii cuiuſdam cauſa; & priuatorum, & vrbis totius erga Societatem noſtram amor ſtudiumque egregie ſe oſtendit. Nam & Dominus officialis per ſuos hoſpitium apud ſe aduentanti noſtro detulit, & ipſe ſubſequens nuntios perhumaniter honorificeque obuiam prodiit futuro hoſpiti, domumque ſuam deduxit. Eo ad Patrem per eos dies plerique tota ex vrbe conſalutandi, deferendique officii ſui, ac ſtudii gratia confluxerunt. Atq; vt conſtaret non minus fructuoſum ſperari, quàm gratum fuiſſe ipſius aduentum, tum venerabilis totius Capituli inuitatu, tum ciuium permultorum rogatu ad concionem in æde cathedrali habendam magna beneuolentiæ ſignificatione eſt prouocatus. Sexto poſteaquam aduentaſſet die, Antonius Faber Coadiutor, qui comes viæ illi adiunctus fuerat, Hiarrhoea quam porracæam vocāt extinctus eſt, cum vix biduum decubuiſſet. Erga ægrotantem non minus ſe prodidit hoſpitis optimi, cleri & ciuium liberaliſsima charitas, quam aduerſus aduenientes in vrbem ſe oſtenderat omnium beneuolentia. Diuini porro cōſilii opus videtur fuiſſe, vt Dei famulus laborum ſimul, ac vitæ finem in ea ciuitate faceret, in qua ante biennium cum adeſſet vni è noſtris ad populum illius vrbis concionanti, magna religioſæ ſedulitatis, atque pietatis exiſtimatione in pueris ad doctrinam Chriſtianam præparandis ab initio aduentus Domini ad Paſcha vſque ſtudioſiſsime ſe exercuerat. Ardebat enim miro, & ſupra conditionem proximos

mos iuuandi deſiderio, vt nullam vnquam eius negotii oblatam prętereriret occaſionem; ſed quaſuis occuparet ſedulo magnaque induſtria captatas amplecteretur. Congreſſus illius cum externis erant omnes ſpiritalibus de rebus, quarum tractandarum maxima illi aderat tum ab ingenio, tum à perpetua exercitatione facilitas, & copia. Nam ſiue ſolitarius eſſet, ſiue in Sacerdotum Comitatu, legendo, orando, meditando ſemper cum Deo verſabatur; vt iure de illo vſurpari poſsit, cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Harum virtutũ ſtudium atque exercitatio perpetua, adeoq; etiam inſita ipſi vera ſimplicitas, modeſtia, morumque ſuauitas totius Lingonenſis vrbis animos, vt & cæterarum, vbi vnquam erat verſatus, mirum in modum illi conciliauerat: vt non ſecus ſinguli eius morbo dolerent, eius obitu lugerent, ac cariſsimorum propinquorum. Porro tametſi ex eo morbo vitæ excitus ei fuit inopinatus, haud tamen improuiſus eſſe potuit, vel immaturus. Exceſſerat annum ſexageſimum iuuenilis adhuc vigoris & alacritatis ſenex. Quamobrem patrem rogauit, quod vnum ſibi ſolatium reſtaret, vt ne alia quam ipſius manu Euchariſtiam acciperet, quam Parochus moribundo attulerat, viceſque ſuas obire, ac voluntatem teſtari apud Patres, fratreſque ne grauaretur. Cum ſub veſperam cum primum ſalutandæ Virgini ſignum ære campano publice dari cœpit, placidiſsime efflantẽ animam Deus ad ſe vocauit, ſicut autem ægrotanti medicaméta prolixe, ita mortuo funus honorifice ſuis impenſis procurandum ſuo ſibi iure ſumere vo-

luerunt. Canonici principis Ecclesiæ: quorũ nonnulli, & de primariis viris permulti, matronarumque complures, dum efferretur cum Sacerdote nostro magna beneuolentiæ, & doloris significatione sunt prosecuti. Atq; vt nihil deesset ad rite, pieq; procurati funeris rationem, postridie ab iisdem Canonicis mortuo parentatũ est solemni trium sacrorum alternantium ceremonia; neque prætera defuit ex Sacerdotum numero, qui, vt omnes amoris, funebrisq; ritus expleret partes, priuato sumptu, ac studio, in tertiũ diem ea sacra continuarit, quo die de more gentis panem, & vinũ matronæ multæ pro defuncti anima in eadem æde obtulerunt. Quod autem locus defuncti sepulchro attributus est in media Diuo Desiderio sacra æde, id statim à plerisq; tanquã diuino factum consilio notatum est, quasi eo facto Societas tanto ante in possessionem loci eiusdem tacite mitteretur; quandoquidem Diuo Desiderio nuncupata ædes, & vicinum solum futuro Societatis Collegio, vt a possessore destinatur, sic à ciuibus valde ad illud munus optatur. Neque inanem prorsus fuisse eorum vaticinationem, qui ex sepulchri coniectura de futuro nostro Collegio præsagierant, eodem tempore ostendit euentus. Per eos enim dies quod antea sæpe contigerat, iniecta est omnium ciuium animis cupido postulandi à Rege, & Societate in sua vrbe Collegii; in eamque rem coacto consilio cum singulorum sententiæ rogarentur, nullius, aut de Clero, aut de populo desideratum est suffragium: Itaque da-
tæ

tæ ſunt, totius ex ſententia conuentus, ad ciues, qui tum verſabantur in aula regia, literæ, quibus fieret poteſtas impetrandi à Rege, ciuitatis Lingonenſis nomine, Collegium Societatis IESV. Atque vt momenti plus haberent poſtulata ciuium, adiectæ ſunt commendatitiæ literæ tum à Reuerendiſsima Lingonenſi Archiepiſcopo, tum à ciuitatis Gubernatore ad Regem Chriſtianiſsimum. Hæc omnia porro, neque ſuadente, neque proponente Patre & tractata, & peracta ſunt. Maxima voluntate ciuium, vt appareret nolle ciues alium conſilii huius authorem, quam ſeipſos, atque illa, quæ ſperarent ex Societatis Collegio emolumenta. Patrem præterea poſt procuratum negotium, cuius cauſa venerat, totos octo dies detinuerunt, atque occupauerunt confeſsionibus apud eum obeundis, atque in plures hebdomadas, ac menſes occupaturi erant, ſi diutius apud eos eſſe potuiſſet. Intermiſſam quatuordecim ferme annis templi ſtructuram vno tantum lâtere vix bene inchoatam hoc anno pene de integro iterum aggreſsi ſumus; quoniam quæ aut vitiata longo interuallo erant, aut non ſuo loco poſita demolienda fuerunt ex parte. Ab ineunte autem martio ad ineuntem Nouembrem vſque, ea tota pars ædis, quam nauim vulgo appellant, erecta eſt ad dimidiatam iuſtorum parietum altitudinem in eam fabricam ſuppeditarunt omnes ſumptus ciuium piorum propenſa in nos ſtudia, ita voluntaria, vt nemo rogatus denarium largitus ſit; ſed ſinguli ſponte ſua

erogarint: Insignis autem fuit duarum matronarum in hoc genere pietas in Deum,& erga nos liberalitas:quarum altera mille libras Gallicas, hoc est aureos trecentos, & triginta, & quiddam amplius numerauit : Altera octingentos scutatos isto & proximis annis tribuit : quadringentos præterea destinat: & domam suam duum circiter millium aureorum nobis post obitum suum abhinc biennio donauit. Porro octo mensium opus in continuando ædificio mille supra ducentos coronatos absumpsit; quam summam fecerunt aut viuentium dona, aut morientium legata, aut mulctæ pecuniariæ à curia ædificio attributæ.

COLLEGIVM BITERRENSE.

IN Biterrensi Collegio toto propemodũ anno viginti Societatis homines numerati sunt decem videlicet Sacerdotes, quorum tres docendi munus obierunt; Theologiam moralem vnus, Philosophiam alter, tertius vero benedicendi facultatem. Quatuor autem Magistri in tradendis literis humanioribus occupati fuerunt, reliqui sex rei domesticæ curam habuere.

Ex hoc numero ad se in cœlo fruendum, vt quidem speramus, vocauit Deus vnũ Magistrum scilicet Claudium Daudenetum Lingonensem, annos natum tres supra viginti, qui cum non plures tribus cum dimidio egisset in Societate, permagnos tamen non minus in virtutibus religioso homine dignis, quam in Philosophia politiorisque litte-

literaturæ ſtudiis progreſſus fecerat. Quod ſi liceret dicendo fuſius exponere, qui in eo cernebatur animi candor, ſilentii ſtudiũ, ad obediendum alacritas, pietas in Deum, & maxime erga S. Euchariſtiæ Sacramentum deuotio, humilitas, & mira in moribus tranquillitas ac humanitas, ſegetes ac latiſsimum campum darent. Cum primum morbo tentari cœpit ſe eo ſublatum iri prædixit, paucis vero horis antequam vltimum redderet Spiritum, alienatis licet ſenſibus, iucundam ac piam inſtituerat, de amore Dei diſputationẽ, nec potuit interpellatus, vt cœperat abſoluere. Pro eo fratrem rerum domeſticarum adiutorem Societati donauit Deus, qui non vulgarem tulit victoriam in difficultatibus ac impedimentis ſuperandis, quibus eum mundus præpeditum retinere conabatur.

Nõ obſcura fuit diuina in ſcholaſticos noſtros prouidentia. Nam cum ad eas ſcriptiones proponendas aream appararent, quatuor ex his ingenti ruentium aſſerum pondere obruti fuiſſent, niſi per vnum è noſtris, qui iam delabentes animaduertit, tam luctuoſum nobilium Adoleſcentum interitum rerum omnium inſpector auertiſſet.

Ex iiſdem ſcholis duo ad Capuccinos, quorum alter Sodalis parthenicus, logicus alter, tranſierunt. Totidem Sancti Dominici inſtitutum amplexi.

Parthenia Sodalitas numero creſcit ac pietate, Argumentum ſit voluntaria corporum afflictio. Verno quippe ieiunio, aliiſque temporibus identidem cõuenire ſolent alumni Deiparæ vt in cor-

puſcula ſæuiant. ex his aliquot Societatis inſtitutum efflagitant, breuique, vt ſperamus, potientur optatis.

At vnus, cum retro ſe conuertiſſet, vt ſpatioſam voluptatis viam iniret, in morbum, quo extinctus eſt, incidit, permiſitq; Deus vt aliquot ante mortem dies obſurdeſceret, nec adſtantes, ſeq; de rebus ad pie obeundum ſpectantibus adhortantes audiret, qui ſæpe Dei, ſuorumq; Seruorum monita contempſiſſet.

Habitæ ſunt toto fere anno de rebus ad Sacerdotum munus exequendum neceſſariis magno cum fructu conferentiæ, ad quas tum parochi, & animarum curatores, tum alii Sacerdotes aſsidue conueniebant.

Doctrina Chriſtiana more conſueto tradita. In publicis cuſtodiis, qui vincti aut ære alieno graues detinentur cohortationibus noſtrorum, Sacramentis, aliiſq; ſubſidiis adiuti. Itum ſæpe eſt in ciuitatis valetudinarium, dataq; opera, vt idoneus Sacerdos, qui ſemper decumbentibus adſit in alterius locum ſubrogetur.

Cæterum liberalitate cuiuſdam ciuis noſtri ordinis ſtudioſiſsimi, ſacra ſupellex, argentea, artificioſeq; elaborata, lampade aucta eſt, quam idem ſuis Impenſis cupit ad ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum toto anno lucere.

Acceſſere duo præterea altaris ornamenta, alterum ex viridi panno ſerico cum caſula, alterum ex damaſceno violaceo cum duabus ad ſacrificandum veſtibus ſacris piæ cuiuſdam matronæ liberalitate.

Nec

Nec minus accefsit toti templo dignitatis venufto laqueari defuper fabrefacto, quo & tectum, quod antea indecore patebat, obtegitur, & totius templi profpectus ornatur.

COLLEGIVM VIENNENSE.

VIennæ ad magnum, quem ex antiqua fanctitate, atq; amplitudine fplendorem trahit, & cæteram, quã fedes Archiepifcopalis, Galliarumq; Primatus afferunt, nobilitatem, Collegium hoc anno 1606. accefsit. Vrbs eft perantiqua Romanæ olim in Galliis æmula, non modo nobilifsima Colonia, fepté quæ vna fibi muro præcinexrat arces, Ea ad Rhodanũ fita, eni cliuo furfum tendit, duabus adhuc antiquis arcibus quæ hinc, atque hinc vltima vrbis latera propugnant, fublimis; tota hodie è ruderibus veteris amplifsimæ, & nominatiffimæ vrbis excitata.

In hac ergo vrbe quindecim è noftris verfantur, quinque Sacerdotes, humaniorum literarum profeffores quinque, domefticis reliqui officiis Coadiutores, hoc autem modo datum Collegio initium eft.

Duos è noftris Patres hæc ciuitas aliquandiu in mifsione habuerat, qui variis in operibus pietatis, concionibus habendis maxime, & cõfefsionibus excipiendis, egregiam nauarant operam. Vtriufq; pietas ac religio, ciuium in Societaté ftudiũ excitauit, expetitaq; ea ad iuuentutis inftructioné; fed difficultaté mouit, tũ quod plerifq; noftrorũ Viennæ Collegiũ erigi ob nimiá Lugduni,

Tur-

Turnonisq; viciniam non admodum probaretur, tum quod vetere Collegio arctiore, quam vt nobis vsui esse posset, nouum diutius & ingrata magno vrbis desiderio mora expectandum erat. Id vt conspexerunt ciues, maiori opus conatu rati, Senatus Gratianopolitani, Gubernatoris, ipsarumque Galliarum equitum magistri impetratis ad Regem literis vt res tota maturaretur, & veteribus scholis dum parantur commodiores Collegio daretur initium; tot Procerum gratia & fauore adhibita, laudabili pieq; pertinaci omnium ordinum contentione, expetitum tandem omni citius opinione peruicerunt.

Ciuitas ipsa postridie Calen. Nouemb. 1606. à magistris sæcularibus ad nos transtulit scholas, & non ita quidem numerosæ, sed lætæ, ingenuæ, & multæ spei iuuentuti literariũ ludum aperuit tanta parentum voluptate, eo plebis assensu, eoque magistratuum animo, vt cum angustiæ veteris domus patribus nostris habitationẽ amplam satis, & commodam non darent, ne vllo pacto susceptum traheretur opus, consularem suam domum laxam satis, & commodam; non sine plurimo ipsorum incommodo consules vltro obtulerint, & in vicinum Nosocomii septum publicos illic cætus, & consultationes habituri concesserint.

Omnium sane quidem amor mirum quantum his initiis certatim eluxerit, sed illustris D. Petri de Villars sedis huius quõdam Archiepiscopi, singularis in nostram Societatem innumeris iam olim officiis cumulatissime comprobata humanitas, & beneuolẽtia, quæ à Pontifice Societatis nostræ aman-

amantiſsimo, & à paſtore gregis ſui procurandi quam ſtudioſsimo hoc in opere ſperari debebat, tantum enituit, vt præterquam quod author ipſe primus & Miſsionis, & Collegii ſperādi extiterat, nullumque non mouerat lapidem, vt propere fieret, quod longam minabatur moram, ſuam recēs orto Collegio Bibliothecam, vtriuſq; iuris, Theologiæ, interpretum, & ſanctorum omniū Patrum voluminibus egregie inſtructam pro ſua ſolita in nos munificentia dono dederit, ſemetipſum inſigni ſupellectili, & qua doctus, canitieque venerabilis ſenex pene vnica vtebatur, nos vt inſtrueret, liberaliter exuens, vidit in bona ſenectute quod tandiu concuperat prius Antiſtes, Societatem ſcilicet in vrbe ſua, quodq; illi Romæ ante annos 15. tabellis obſignatis R. P. Generalis promiſerat. Illius pietatis & beneuolentiæ, non minus quam Archiepiſcopatus ſucceſſor D. de Villars frater, pari nos in dies cura, & beneficiis fouet amplectitur, & in populi gratia ſuæ familiaritatis exemplo ſtabilit, & confirmat.

Collegium ſupra mille aureis nummis dotatum quos Prioratus cuiuſdam reditus magna ex parte profert, ex publico ſupplentur cætera, ſub exitum anni ſuperioris Prioratus ille quibuſdam implicatus nominibus, publica impenſa eſt exolutus.

Primo ineunte vere futuri ædificii iacientur fundamenta parata quippe ſunt neceſſaria, area deſcripta, emptæ quæ illam coarctabant vicinæ domus, lapidum, & cœmenti aggeſta copia; expeditū erit opus ſemel incœptum, ea eſt eorum,

qui

qui operi præfecti ſunt, diligentia & architecto-rum qui rem in ſe condicto pretio ſuſcepere, vt feſtinetur vtilitas, læta rerum vbiq; facies lætos & optatos euentus vberrime ſpondet.

A noſtris in maioris vrbis templo, multo plauſu celebriq; frequentia eſt concionatũ, & plurimam quoq; anni partem in æde noſtra, eo populi, Primatumq; cõcurſu, & probatione, vt cum die circuncisionis concionem non habendam ſtatuiſſemus (habuerat quippe ille ipſo die Archiepiſcopus) affluente nihilominus, turba, & concionem efflagitante ipſoq; iubente Præſule, qui & voluit intereſſe, neceſſum fuerit, imparatus Pater, nec ante ſemihorã monitus ſuggeſtum oraturus cõſcenderet. Quæ concio grata, & ſalubris, licet intempeſtiua declamationibus publicis in illam horam indictis, tẽpus præripuit, diſtulitq; fœlici errore in ſequentem ſcilicet diem ſacrum percommode B. Claro, qui clarum olim Viennæ lumen, & ſoboles inclyta. Habitæ porro ſunt in Præſulis, & plena procerum corona, eo qui poterat expectari plauſu, eaq; ſuauitate vt in literatis pręcipuus Poema de nomine IESV recitatum exſcribi ſibi voluerit. Illud in hac vrbe humanioribus literis non leue incitamentum, quod libentiſsime, humaniſſimeq; quæ habentur in ſcholis exercitationes ſua frequentia excitent ciues, & cohoneſtent; & vero ad Lucalia Prælatos quatuor tota aſsidente doctorum turba Rhetor habuit.

Ea porro audiendi conciones auiditas quam in animo ciuium de doctrina, facundia, pietateq; noſtrorum concepta opinio alte immiſit, effecto-

res non

res non minus impigros, quàm ſedulos vrbi auditores effecit, occupataq; ſenſim eorum etiam, qui alieni videbantur, beneuolentia, mẽtibuſq; verbi efficacia delinitis, eo demum perduxit, vt conſopitæ pietatis reuiuiſcerent ignes, rariorq; alias ſacramentorum vſus in dies crebreſceret, quorundamque qui feruẽtioribus iuuentutis ebullientis æſtibus minus hactenus decenter egerant repreſſus ardor, & ferocientium primo in lenẽ palpantis medici manum mores compoſiti, &, quod plurimam ſuam ob difficultatẽ hominum in ore etiam externorum, repreſſa comœdorum licentia, qui obſcœnis fabulis populum corrumpebant; hi publica concione grauiter increpiti, cum multorum fructu, qui turpi exhibitione in poſterum abſtinuerunt.

Duos inter Comites, qua generis nobilitate, qua opum, amicorumq; potentia, regionis totius facile primos grauiſsima coorta lis erat, quæ lõgo temporis ſpatio, & rei magnitudine (de Comitatu quippe opulento auitæ familiæ præcipuo decore agebatur) in tantum exarſerat, vt niſi grauiſsimo, communi, funeſtoq; Prouinciæ tumultu, & alterutrius familiæ luctuoſa, & vel in imis deploranda ruina & excitio quieturi commoti animi, & deſiturum diſsidium videretur. Deſiit tamen & omnino compoſitum eſt, animiq; omnium acerbiſsimo odio diu diſiuncti Collegio noſtro pacis & fœderis authore in gratiam redierunt. Gratiſsimum illud cum vtrique parti tum omni populo acceptiſsimum.

COL-

COLLEGIVM MOLINENSE.

Collegium hoc habuit è noſtris viginti patres ſeptem, quorum vnus hoc anno ſacris inauguratus; Magiſtros quoque ſeptem; Philoſophiæ vnus fuit, ſex humanioris literaturæ, ſcholaſticus vnus, Coadiutores quinque. Vix declamationum aula in templum ad tempus verti cœperat, iam nudum, ac deſtitutum Altare, trecentorum aureorum ornamentis ſacris ciues veſtierūt. Et tamen ſe prælüdere palam dicant. Confeſsionum, ac Synaxeon frequentior vſus; adeo vt plerique vel è proceribus quemlibet dominicum in paſcha paſchatis Euchariſtici celebratione conuerterint, iam hebdomada vna, quam olim anno religioſiores. Scholaſtici aucti, ſi numerū ſpectes, centenario quingenti enim numerantur. Si pietatem & literas, illa tantum incrementum à Sodalitio parthenicorum recens erecto ſuſcepit, vt Societatem noſtram quinque Franciſcanos, Capuccinos ſex, minimos duo ſtrenue ambiāt. Sed pulcherrimum aſpectu fuit, quod cum in id ſigna Deiparæ propoſita, factaque poteſtate, vt qui ſub eius ſignis merere ambirent, darent nomen, certatim flos iuuentutis ſic accurrit, vt magiſtrorum aliquo Tyronum approbationem diſsimulante, aliqui ex ſpectatiſsimis in oculis omnium, ſic ſe in genua abiecerint, quaſi pro re nō tantum ſumma, vt reuera eſt, ſed decretoria flagitarent. Graſſante lue ſalutiferæ Matris Litaniæ indictæ ſunt, quas aggregata iuuentus, vno corde & ore Deiparæ recitaret. Vix iterum tertioque exceptæ preces, cum peſtis poſuit incendium, & incitata

rabies

rabies citra pomerium desæuit. Idem remedium pestem auertit aliam. Nam aliquot post menses profluuium sanguinis excitatum est fœdissimum q, non domos tantũ inuaderet singulas, sed in singulis domibus quam plurimos interdum exhauriret. Sed supplicatione B. Matris tanquam muro obiecta, substitit illa lues, paucissimis scholasticorum morbo tentatis, nullo prorsus interempto. Postremis natalibus ad quinq; millia sacro pane refecta sunt, partim in nostro Sacello, partim in orbis parreciis, cum aliquot ante annos vix illum quinquaginta gustarẽt. Pictor est in hac orbe suorum æqualium Apelles; sed vt isti à venerum forma gloriam, sic ille à veneris descriptionibus laudem cum lucro venabatur. Quocunq; per tablinũ oculos intẽdisses intenta in te lasciuorum sensisses tela cupidinum, Illo vt gressum tulit coadiutor è nostris, pingẽdi quoq; artifex, tam prudenter è re nata suasionem exorsus est, tam apte prosèquutus, prouectusq; viriliter, vt erubuerit ingenue pictor scorta facta, quæ ruborem perdiderint, & ad vnum omnia flagranti vulcano commiserit facinus in illo viro generosum; vt cui numerosa proles, domi res arctæ, fundus in peniculo totius; sed vbi Deus dominatur, illicet omnium impedimentorum moræ dant virtuti viam.

Pâschalibus in expeditionem ad opida proxima itum est, hasce manubias retulit vnicus. Deficiente ad multitudinem conuenarum spacio, cœlo vt templo vtendum fuit. Nec numerus maior pietate fuit, aut in plurimos tributa diuini verbi virtus minus in singulos potuit. Inter dicendum

laxauit se occasio vt de misericordiæ muniis digrederetur: vix orationem perorando reuocauerat, & iam feruebat in medullis ciuium instaurandi Xenodochii sacer ardor. Noster vocantem sequutus concionis impetum, premit factis, & capita ciuitatis sibi iungens, ostiatim corrogauit. Erubuere virgines, quibus pudor venustat pietatem, in amore miserorum vinci à viris; itaq; dum excurrunt illi, & liberalitatem in penatibus quærunt, seruant istæ delubrorum aditus, & clausæ ad reliquos prospectus hominum, pro pietate vtiliter patuerunt.

Inter discordes aliquot iuncta pax, sex religiosorum reuocatus animus; vt diuinam opem, sic admirationem habuit. Nam subditi duo sic infestis odiis à capite suo, & superiore abierant, vt de perdendo miseri cogitarent; Exempli pessimi facinus, & quod pessimum est, præter remedium. Nam si viritim singulos conuenis, errorem ingenue fateri, si coniunctim pernegare; quo se vertet noster? gradus ad medicinã agnitio vulneris; hoc si tollis, salus vestigiũ non habet, sed docuit Deus seruis suis nihil esse abruptum. Nam cum postremum vale dicens, etiam tum de charitatis diuina communione grauiter admoneret; ecce tibi adminiculante diuinæ charitatis paracleto, spiritui, qui loquebatur, imbecilles obsistere, proni cadunt in nostri Sacerdotis poplites, & certatim culpam mutua vice deplorant, subditi preces humillimas accipiunt, respondet superior pari studio, vtrimq; accusationes, non alterius, sed sui, & odia in se torquentes, non iam improba, terram

imbri

imbri, noxam lachrimis abluerunt. Eos demum ſubleuatos, paterne appellatos collaudatoſq; noſter iubet ire in amplexus, & mutuam pacem extimis brachiorum nexibus vel teſtari, vel ſtringere, ſuperauerunt illi preces, & tantæ rei nec opinato miraculo frequētiſsimæ concioni lachrimas per lætitiam adduxerunt. Taceo dicere quod oriens, cadenſq; ſol à ſacro, confeſsione aut concione reſpirantem non viderit, quod anguſtata laboribus die noctis ſollicitudo conciones præparabat: Inſigne illud, quod quicunque confeſsi ſunt rem à tota vita prope omnes repetiuere. in quibus tam viri, quam matres totius ciuitatis facile principes maximum locum tenuerunt.

Alius ex omni munere Chriſtiani Eccleſiaſtæ collegit fructum vberrimum, nam & ſacrarum virginum familiam integrā non audiuit tantum, in exomologeſi, ſed etiam inſtituti admonitam ſui de reliquo fecit obſeruationem. Sacra loca, quæ in prophano relinquebantur edicto publico ſarciri primum, tum religioſe coli iuſsit; popinarum vſum inſolentem & diſſuaſit ipſe acerrime, & per præconem vetari curauit; ſacrilegia quibus pœnitentiæ Sacramentum ab ignorantia ſyluefcebat omni ope ſuſtulit.

NOVITIATVS AVENIOnensis.

DVorum fratrum diuersis licet in Collegiis eodem studio Societatem petentium gratam fuisse Deo voluntatem diuino actus spiritu tertius frater, isq; trimulus animam agens prædixit, qui nulla eorũ mentione facta, agite (inquit) vere fratres mei sapiunt. Minister hæreseos, dum ludicris rationibus festum nascentis Christi septembri celebrandum offendit, repente mente deiectus & voce priuatus; ille ipse, dum nescio quid impudenter Bellarmino affingit ex libro cõuictus est cum rubore, nisi pudorem & veritatem vna abiecisset.

DOMVS PROBATIONIS Lugdunensis,

NOuitiatum Lugdunensem hoc anno inierũt scholastici designati, tres & viginti. Ad rem familiarem adiutores quotuordecim. Nullum exercitationis genus Societatis Tyronibus consuetum ab eis intermissum.

Popularis lues domi nostræ grassata; quindecim afflixit, Bertrandum Menodelium Molinensem sustulit: contenderat acriter cum parentibus vt in nostrorũ album referretur, vixeratq; perseuerantia. Solitario semel occurrit ea cogitatio, possetne quadraginta annis, quibus adhuc victurus esse videretur, rigidum Societatis institutum perpeti. Eam animi molestiam vt à se abiiceret, libellum B. P. Ignatii gesta recensentem aperit; occur-

occurrit primo intuitu ea ſententia, quæ habetur ſexto capite primi libri, nunquid tu mihi vnius h[illegible] ſpatium certum præſtabis? vitæ enim mo[illegible] non in tua, ſed in domini ſunt poteſtate & [illegible]uaginta anni laborũ & pœnitentiæ quid ſunt [illegible] æternitate collati, quæ facile in ſe verba con[illegible]ertit, compreſsitq; inanes mali dæmonis motus, non ſine præſagio proximæ mortis. Igitur ſanguinis fluxu correptus, debilitatuſq; paucis diebus interemptus eſt, acerbitatem dolorum leuabat comparando cum damnatorum pœnis, pia meditatione vulnerum Chriſti Domini; recordatione demum, quod in Societate per ſummum Dei beneficium moriturus eſſet, etiam inter eos rogauit impenſe R.P. Rectorem, vt languenti corpuſculo diuerberationem admouere liceret. Vota Societatis accepta à R. P. Prouinciali poteſtate, priuſquã diſcederet, magna pietatis ſignificatione nuncupauit. Cum vero iam debilitatus nimia ſanguinis profuſione prope deficeret, inter noſtrorum adhortationes, hymnum, Te Deum laudamus, ſibi recitari voluit, quo abſoluto, ſubiunxit ipſe, Lętatus ſum in his, quæ dicta, &c. pronunciatoq; Ieſu nomine, & irrogata ſpiritum iam exhalanti Plenaria indulgentia expirauit.

Res familiaris ante exigua, aucta hoc anno Tyronum eleemoſynis qui Societati nomen dederunt, ea quinq; millium, & ſexcentorum numûm ſummam expleuerũt. Bibliotheca trecentis nummis æſtimata. Alius item de Tyronibus noſtram ampliauit.

ANNVÆ LITTERÆ COLLEGII CARPENTO-ractensis 1607.

TAndem aliquando post diuturnas, cum innumeris difficultatibus colluctationes, supremo numine, eiusque in terris vicario annuente, Carpentoractensium ciuium (est vrbs Carpentoractum Comitatus Venaissini Pontificiæ ditionis princeps) in obtinendo Collegio euicit ardor, & pietas, hocq; anno, ineunte Maio, nouisque Coss. magno ciuium voto, in eo à nostris doceri cœptum. Habita de more à professore Rhetorices initialis oratio in Episcopi aula, cum adhuc commodo loco careremus, & ordinum omnium frequentia & plausu excepta est; vt conceptam iam ante de Societate opinionem, licet magnam, multum tamen ille dies illustrarit & auxerit. Adiere postea Magistratus, viriq; primores Gymnasia singula (ea humaniorum literarum quinque tum primum aperta sunt) Magistrorumque præfationes solitas cohonestarunt, tanta sua voluptate, vt ardorem exædificandi Collegii conspecta nostra docendi methodus ex hoc primo specimine inflammarit mirum in modum, ac succenderit, sic vt tria iam perducta ad tectum, & percommode exædificata visantur Collegii membra, eaque sit illius facies & vero etiam supellectilis, tum

sacræ,

ſacræ,tum librariæ,domeſticæue copia, & inſtructus ex publica ciuium in eam rem liberalitate, vt nihil,non modo recentibus, & coætaneis, ſed ne veteribus quidem, Carpentoractenſe Collegium concedat. In quo duodecim, è noſtris,quatuordecimue toto anno verſati operas haud pœnitendo fructu poſuerunt. Nam non ſolum ſcholis ſeſe & ambitu Gymnaſii continuit noſtrorum labor, ſed etiam foras euaſit, & in vrbis æde prima diebus dominicis, magno animorum compendio doctrina Chriſtiana pueris, & rudibus explicata, carceres, & noſodochia adita, & ad pœnitentium Sodalitium habitæ aliquando non infructuoſæ cohortationes, & pro paucitate noſtrorum rogatu vicarii aliquoties in cathedrali templo celebrioribus diebus ad populum pro concione peroratum. Confeſsionum vero iis diebus tantus fuit numerus, vt tribus, quatuorue Sacerdotibus, qui his initiis hoc nouale excolebant meſsi colligendæ,non ſufficientibus auxiliares ſocii Auenione fuerint non ſemel euocandi. Et ſane non ea tantum celebritate dierum, celebris eſt,& ſpectanda Carpentoractenſium pietas, & de ſocietate exiſtimatio, vel ab infimis tantum & plebeis hominibus,ſed ea maxime,in nobilibus principibuſque viris elucefcit, quorum vnus Romam,à Prauſicano principe legatus cum aditurus eſſet alter vero præcipuæ nobilitatis & gratiæ apud regē,aulam reuiſurus,ante apud nos animum confeſsione expiare,noſtroſq; vale dicendi gratia adire voluerunt. Hoc idem alii primani poſtmodum

dum viri præſtitere, & vero etiam è militum turba, antequam Epibatæ claſſem conſcenſuri Maſſiliam ſe conferrent, hinc etiam inimicitiæ non leues vel inter nobiles ipſos, compoſitę, atq; reſtinctæ, fuitq; qui fœdum etiam vulnus narium ſcilicet detruncationem inimico in Chriſti gratiam condonarit. E vicinia tota ad nos ſæpe confeſsionum cauſa ventum è Delphinatu præcipue, vnde profecti quinque hęreſim eiurarunt, & in Catholicorum Caſtra noſtrorum opera redierunt. ex his vnus, cum terroribus neſcio quibus infeſtaretur, depoſita hæreſi, conſcientiaq; expurgata, ſacroque Chriſti ferculo refectus, cum ſacrum Chriſti clauum, quem in frenum conflaſſe Conſtantinum magnum perhibent, quique hic ſanctiſsime aſſeruatur, ſupplex veneratus eſſet, ſpectris huiuſmodi & lymphationibus domum ſoſpes, liberq; repetiit. Finitimum huic exemplũ dedit alius item quidam eiuſdem ſectæ pertinaciſsime tenax, eodemq; ferme morbo cõflictatus: hic Vapingi (Delphinatus eſt ciuitas) media in platea medio de die cum atrociſsime a dæmone vt creditur diuexatus, domum relatus eſſet, iterumque patruo accubans noctu in lectulo grauiſsime diſtorqueretur, mirum ſubito ad ſalutare viuificæ crucis ſignum ſuper ſe ductum, quo vt hæreticus homo nunquam ante vſus fuerat; imploratoq; D. Suffredi ciuitatis huius tutelaris & præſidis patrocinio liberatum ea ſe moleſtia diuexationeque ſenſit, & poſtmodum Carpẽtoractum eiurandæ hæreſis Sacramẽtorumq; cauſa ad nos profectus, corporis, animique ſanitatem reportauit in patriam. Vim eandem

Sacra-

Sacramentorũ alia etiam hæretica puella in templo noſtro eſt experta. Cum enim ad nos hæreſis & ſordium eiiciendarum gratia veniſſet, confeſſaque ſacram cõmunionem participare pararet: en tibi repente dum ſacræ aſsidet menſæ, animo deficit, linquiturque, at vbi ope allata ſenſus rediit vigorque, ſalutare Chriſti corpus impẽſe flagitat, in ſequentem lucem diſtulit Sacerdos; iuſſaq; poſtridie redire, cum ſacro Chriſti corpori communicaſſet incolumis & ſana domum item reuertitur. Mulierculæ præterea alteri, morbis domeſticiſque miſeriis implicitæ, & obrutæ, ſpecie adoleſcentis cuiuſdam, ſeſe dæmon (opem ſcilicet præſtiturus) viſendũ ſubinde præbebat, eumque prope ſequuta fuiſſet omnib. deſperatis mulier, niſi piæ aliquot matronæ domum ad nos adduxiſſent. Ibi cum viſo patre refugeret primum, vixque retineri poſſet, tandem cum ſemel, atque iterum vt peccata detergeret adducta eſſet. B. P. N. Ignatii rauocato, imploratoq; auxilio ſpectrum illud prorſus deſiit apparere. Qui clauſit hunc annum claudet & has annuas M. Stephanus quartæ claſsis moderator, Nouitius adhuc ille quidem ſed feruore, & virtutis ſtudio veteranis nil concedens, quem diarrhæa graſſans nobis abſtulit cœloq; emiſsis ante Societatis votis ad Beatos vti ex fœliciſsimo exitu ſperamus Patris amplexus aſſeruit, primitiarũ ſcilicet noualis huius, & pignus eorum, qui iam ad meſſem exalbeſcunt, in his regionibus ex noſtrorum Patrum ſemente manipulorum. Finis.

ANNVÆ PROVINCIÆ GERMANIÆ SVperioris, 1607.

IHS.

GErmania Superior in Collegiis vndecim cũ Oetingana, Eberspergensi & Landspergensi probationis domo, capita sociorum censuit quadringenta viginti duo. Ingolstadii cum Biburgensi & conuictorum contubernio nonaginta quinq; : Sacerdotes cum Prouinciali socio viginti nouem, latinæ linguæ magistros (vbiq; à Sacerdotibus, qui docẽt, secretos) tres, studiosos Theologiæ quatuordecim, Philosophiæ duos supra triginta, Coadiutores septendecim. Dilingæ vnum amplius triginta: Sacerdotes nouendecim; magistros tres; Theologiæ studiosos quatuor; Coadiutores quinq;. Monachii vnũ & quinquaginta: Sacerdotes vndetriginta; Magistros quatuor; studiosos Theologiæ tres, Coadiutores quindecim Ebersbergæ Monachio subiectæ duos & viginti: Sacerdotes veteranos quatuor, tertianos tredecim; Coadiutores quinq;. Oetingæ Monacensi additæ nouem: Sacerdotes quinq;, Coadiutores quatuor. Augustæ

gustæ extremo anno viginti ſeptem: Sacerdotes tredecim, Magiſtros quatuor; Diſcipulos Rhetoricæ tres; Coadiutores ſeptem. Oeniponti viginti duos: Sacerdotes tredecim; Magiſtros tres; Coadiutores ſex. Halæ quindecim: Sacerdotes ſeptem; Magiſtros duos; Coadiutores ſex. Lucernæ viginti duos: Sacerdotes quindecim; Magiſtros duos; Coadiutores quinque. Friburgi ſeptendecim: Sacerdotes decem; Magiſtros duos; Coadiutores quinque. Ratiſponæ vndeuiginti: Sacerdotes duodecim; Magiſtros duos; Coadiutores quinq́; Bruntruti vicenos: Sacerdotes duodecim; Magiſtros tres; Coadiutores quinque. Conſtantiæ totidem: Sacerdotes nouem; Magiſtros quatuor; Coadiutores ſeptem. Landſpergæ veteranos duodecim: Sacerdotes ſeptem; Coadiutores quinq́; Tirones Societatis quadraginta. Obierunt ſeptem: Adſcripti duo ſupra viginti.

COLLEGIVM INGOLSTADIANUM.

PEnsum vitæ soluere duo, tres iacturam resarsere. Prior Carolus Scheitenberger modo Philosophiæ stadium ingressus, iuuenis placidi ingenii, lento morbo paulatim carptus, magnis patiétiæ relictis documentis IV. Cal. Aprilis victor metam flexit. Posterior P. Gaspar Neuheuser octauo post die priorem secutus, nobili & auita Sueuorum familia oriundus, Collegii ministerium singulari cura & prudentia, designatus iam alicubi Rector, obiit. A puero inter nostros Dilingæ & Ingolstadii eductus, ante annos XVII. ab ipso parente, natu magno, certis domi prius experimentis tentatus, ad Societatem est deductus. Custos legum & obseruator solicitus, Germanum se ordinis nostri socium probauit. Vixit an. XXXVII. quem virtutis existimatio multo magis, quam illustre stirpis genus nobilitauit. Puella brachii vsum siue siderati, siue alio morbo contacti prope amiserat; consulta Catholica matrona eo forte delata, ancillæ auctor fuit voti suscipiendi ad Virginem Helueticam: vouit, soluit, illico & morbo soluta huc diuertit, & morbum etiam animi hæreseos multo illo grauiorem nobis curandum permisit. Simulatam alius fidem Catholicam inter Catholicos ipsos triginta annos; hoc anno abiecta hypocrisi nostra sacra sincere, matura pœnitentia cœpit colere. Regressæ ex peregrinatione religiosæ fœminæ, negabant se appositas à Caupone carnes interdicto die gustaturas: adfuit ibi, qui diceret,

ret, ſumerent modo innoxios cibos, ſe culpam & noxam ſuo corpore præſtaturum. Itum à menſa ad ædem ſacram, è qua dum ille malus conſultor egreditur, in ipſo limine repēte ſublimis tollitur, tantaq; vi humi affligitur, vt tantum non ægre meantem exhalaret animam. Aderāt & alii quam plurimi, & illæ ipſæ fœminæ, quæ illius ſuaſu carnes ingeſſerant, alieno malo eruditæ ſanctius de cætero ſtatas legum obſeruationes colere.

Academia cum Gymnaſio & frequentia auditorum, & indolis bonitate, ſtirpeque generis etiam atq; etiam effloruit, omitto noſtram eamque frequentiſsimam nobilitatem. Illuſtriſsimus Marchio, Scipio Gonzaga Princeps imperij partheniā quoq; familiam nobilitauit. Edidere virtutis exempla magni iuxta ac parui, & à clementi Numine ſingularibus etiam beneficiis dignati. Æger domi è tirocinio Grammaticæ iam tertium menſem mutus reſidebat, nec quicquam niſi nutu exprimebat. Feriis Pentecoſtes, quibus olim diſerti facti Apoſtoli, mirātibus cunctis recepit loquendi facultatem, & ſupplex ad ſaluatoris ædem cum parentibus voti damnatis gratus Numini profectus eſt. Alteri itidem laboranti alimenta ab alio procurata dum reualeret, & nomen partheniæ militiæ daret. Maior cœleſtis Reginæ Sodalitas cū fœda morbi lues ſuburbanos vexaret pagos, publicam comprecationē inſtituit; nonnullos quoque ab hæreſeos peſte ad ſanitatē Catholicæ veritatis reuocauit. Vnus quidem centum aureos miſeris, totidem communi Sodalium abiturus reliquit. Gemini è minore ſodalitio præſenti ope

Dei

DeiMatris restituti sunt. Intumuerat alterius corpus, vt medendi artifices conclamarēt. Sed sodalibus in sacello suo, Virginis auxiliū communibus votis sollicitantibus, tumor illico cœpit subsidere; ægro intra paucos dies sarto tecto surgente. Alter aqua intercute suffusus, in ipsa desperatione salutis, salutē inuenit, cum eo ipso tempore in cœtum Sodalium relatus, oleoq; sacro delibutus, postridie sanus saluus incessit. Tertius eiusdē patrocinio è latronis manibus iā prensus euasit. Deniquaterni se D. Francisco emanciparunt. Academiæ dignitatem auxit eruditis scriptis Iacobus Gretserus, qui tres cōsiderationum libros de causa Veneta, aduersus eorundem Theologos vulgauit. Idem Murices Catholicæ Religionis, quibus aduersarios induit, patria & latina lingua sparsit. Iam idem & primum volumen ingens opus emisit, quo Bellarmini disputationes à calumniis hæreticorum propugnauit. Ab eodem Præco Lutheri vapulans, de disciplinis editus. Habent alii, quod per annum legant, quæ ab illo vno anno sunt dictata. Nec alter Theologus Adamus Tanner causam Ecclesiasticam in eodem argumento Veneto destituit, cum libertatem Ecclesiasticam geminis libris asseruit.

E Biburgensi agro non contemnenda messis à tribus sociis collecta, bini anathemate hæreseos exsoluti: viuis & mortuis salus & pax à Deo per sacrificia impetrata.

COL-

COLLEGIVM DILINGA-
num.

ET Dilinga duos in æternitatem amandauit: P. Iulium Priscianensem, & Andreã Sartorium Dacum. Iulius domo Italus, Florentiæ A.C. 1542. natus, Romæ sedecennis in Societatis contubernium venit: In Germaniam inde, iam sacris initiatus 1572. Vixit annos 64. in Societate octo supra quadraginta Quaternis Deo votis deuinctus, Prouincialibus quatuor à consilio Dilingæ Rector iterum. Cancellarius Academiæ annis 20. totidem publicus Theologiæ Magister, Ecclesiastes latinus annis 4. Idem per Sueuiam & Heluetiam cœnobia Religiosorum nobilissima antiquissimaq; , omnium fere ordinũ in pristinum disciplinæ veteris, quæ passim fluxerat, vigorem & nitorem incredibili cum labore, summo præsentiq; fructu restituit. Cœnobiarchis auctor fuit, vt Dilingam alumnos suos mitterent, vbi cum litterarum elegantia vitæ morumq; sanctimoniam perdiscerẽt: Vnde factum vt magno numero, ex plerisq; monasteriis huc missi, magnos secum pietatis & eruditionis thesauros domum reportarent, vti postmodum in Præsides & Præfectos suorum euecti, quam Dilingæ viuendi rationem imbiberant, in asceteriis suis tenerent & propagarent. Itaq; hic, domi optimus religiosorũ moderator, omnibus ad vltimos prope vitæ annos præsedit; foris eorũdem Antistites optimis consiliis rexit, quorum vberem in cœlo messem iã haud dubie metit. Andreas quartum & vigesimũ annum ingressus, in ipso flore æui ad fructus æternæ vitæ properauit.

Ex

Ex Italia huc missus cœpit Theologis operam dare, sed tertio ab aduẽtu mense, cursum vitæ confecit. Ex vltimo actu licuit de prioribus illius virtutibus coniecturam facere. Charitas ex eo luxit, quod mouerit socios ad se adeuntes, abscederent, & votis potius sibi succurrerẽt, ne quisquam contage morbi læderetur. Extrema nocte etiam administrum suum secubare iussit extra cubiculum Vbi vltimam sibi horam imminere percepit, euocato socio, & per illum Rectori, mori se paratum dixit. Recitatas ab Ecclesia præscriptas de more preces ipse prosecutus ad finem, spe cœlum complexus exclamauit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Deinde magno animi ardore, Christi salutis auctoris, Deique Matris, & Angeli tutelaris ope implorata, Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. Hinc natantibus in morte luminibus defectus, Iam, inquit, oculorũ, & mox: iam aurium vsu destituor, & cum dicto animam conditori transmisit, plurimum sibi ante gratulatus, quod in Societate vixisset.

Hoc demum anno, præsente Numinis ope, pronunciata est secundum nos sententia, quadraginta ipsos annos agitata. Otho Thruchsessius Cardinalis, idemque Pontifex Augustanus, vocatis Dilingã sociis, Collegium cõdidit, Academiam adiunxit, nobisq; tractandam summo iure commisit, alimenta, victumque, & annuos prouentus assignauit. Eam rem summum Canonicorum Augustanæ Ecclesiæ consilium semper in dubium vocauit, neq, ratam vnquam habuit, quod existimaret,

maret, nostros in auctoritate aliena esse debere, quos ipsi pro suo arbitratu & è possessione Collegii, si videretur, & Academiæ administratione pellerent pensiones annuas hactenus non iure datas, sed sponte libereq; oblatas. Quin & Episcopos omnes Othonem Cardinalem secutos Sacramento adegerunt, ne quod Otho decreßet tabulis suis, inuito Canonicorum Collegio, confirmarent. Ita præpediti successores, quamuis ordinis nostri amantes & studiosi, decreto suo Othonis voluntatem stabilire non sunt ausi. Quare in tanta rerum difficultate & victus inopia, crescentibus indies laboribus Academiæ, sæpius hinc discedendi animus fuit, & discessum fuisset, nisi fructus laborum vberrimi nobilißimiq;, & frequentißima nos iuuentus quasi volētes nolentes retinuisset. Ante triennium ergo noster Pontifex, Henricus Knoringerius, à nostris olim in contubernio conuictorum educatus causam in se nostram suscepit, & Canonicis rem etiam atq; etiá recognoscendam demandauit, ipseq; coram indicto consilio Augustæ cōstantißime egit. Reperti tamen, vti solet in re controuersa, qui se acriter opponerent, sed à Rectore Collegii, quasi officii causa domi suæ salutati, præter eius spē & expectationem, vltro in sententiam Episcopi, & reliquorum pro nobis stantium transierunt. Vrgebant maxime Pontificis Maximi auctoritatem, qui Augustanis Episcopis eam potestatem publicis litteris indulserat, vt plenum ius in Academiá haberent; quod & ipsum nobis liberaliter remiserunt. Decreto ergo publico consilii possessio Collegii Societati

Ss æterno

æterno iure transcripta; domusq; adiunctæ donatio rata habita: Rector Collegii Academiæ caput pronunciatus, penes quem sit pro suo arbitratu in auditores (excepta capitali causa) animaduertere, Academia & vrbe proscribere, Ministros abdicare, Gubernatoré legere, Philosophiæ & Theologiæ laureas dignis offerre, Academiæ immunitates tueri. Quinq; millia etiam aureorum ad noui templi molitionem destinata, reliquos sumptus Episcopus, quem horum auctorem secundum Othonem gratissimis animis agnoscimus, se facturum recepit. Eluxit inter hos Io. Albertus Radziuilus Princeps Lituanus, patruelis illorum, qui Augustæ versati sunt, qui & summo ardore meditationes inchoauit, & à fine, altero mox die 12. elelephantiacis domum suam vocatis lautum epulum præbuit, quibus ipse horridis cilicii setis cinctus ministrauit.

Interim Deus nostram tenuitatem multorum liberalitate locupletauit. Ex nobilitate vir primarius quatuor millia aureorū, vt minores aliorum sortes præteream, futuræ pignus, vt aiebat, munificentiæ submisit. Friderius Lintmarius parœcus Vessingensis Bibliothecam septingentis æstimatam testamento nobis reliquit. Hæc pauca ex multis superioris anni sterilitatem aboleuerunt.

COLLEGIVM MONAcense.

REdiere Patres mense Maio in comitia prouincialia; numerum præteriti anni duo plenum fecere, vt omnino quadraginta comparerét. Famosus hoc anno libellus in hoc Collegium prodiit ex impudentissimis calumniarum monstris conflatus, atque è tribus hæreticorum oppidis protrusus, qui socios & aliorum flagitiorum affines, & vero latrocinii reos faciebat, perinde quasi mactatam in æde nostra Virginem secundum altare defodissemus, & à Senatu (cui tabellarius, qui ex itinere fessus in æde obdormiuisse dicebatur, ex occulto speculator & spectator indicium fecisset) in vincula tracti, damnati; & ad vltimum supplicium raptati, laceratis candenti ferro artubus, rotarum radiis, latronum ritu, perstricti animas per summos cruciatus, infami morte, posuissemus. Triumphantibus & propudio Lutheranis, & nobis passim per Germaniam insultantibus, auctoritate Maximiliani Boiorum Principis, & Senatus Monacensis tabulis publice editis, & signis vtriusq; contestatis, quibus sociorum innocentia cum eximia laude defensa est, illico prodigium mendacii repressum, velut inflata vento bulla, vt omnia vana solent, penitus concidit, euanuitque. In templo sicut cætera solennia stetere; ita hæc noua accessere. Dies festus sacris Diuûm pignoribus hic conditis, Dominica, quæ cineralia præcedit, institutus. Aræ ternæ tumultuario

opere in medio templi ſpatio excitatæ, quibus ſa-
cri cineres, è S. crucis Sacello prolati, ſunt impoſi-
ti, quadraginta horarum ſupplicatio indicta vni-
uerſam prope ciuitatem ad ſpectaculum pietatis
exciuit, mille quingenti ſacro Chriſti epulo paſti;
edicto Magiſtratus furioſæ bacchantium turbæ
ab eo loco, ne precantium votis obſtreperent, re-
motæ. Quotannis Diui hoc tempore ſe ſpectãdos
populo præbebunt, quando tantus inde fructus
religionis promanauit. Sereniſsima Eliſabetha
Maximiliani coniux maximis templũ ornamen-
tis excoluit. Propetaſma ad aram, pluuialem tra-
beam, cum cultu Sacerdotis & miniſtrorum, ve-
lum ritualis libri, puluinum, arte ſingulari, omnia
auro argentoq; radiantia, quinis millibus aureo-
rum (aureũ tricenis numis ſeſtertiis æſtimamus)
triennio toto elaborata fieri curauit. Non minus
animi, à vitiis expurgati, & virtutibus, quam ædes
ſacra donis, exculti. Plus vno quinquaginta hæ-
reſin poſuere, magna vis creditæ pecuniæ ad iu-
ſtos titulos reuocata, nec æs iniuſte partum, vltra
retentum. Carmina magica & ſuperſtitioſæ char-
tæ flammis emendata. Octonæ Virgines æterno
caſtimoniam voto ſignarunt. Ex agro fœmina,
minime agreſtis ingenii, quod litterarum eſſet ru-
dis, vitæ noxas, ne excideret, certis ſignis in men-
ſario orbe notauit, & apud Sacerdotem noſtrum
magno cum pietatis ſenſu velut ex charta recita-
uit. Pediſequa fraude inducta, vt familiam alio
commigrantem ſequeretur, Haidelbergam Pa-
latinatus caput, vbi Caluini ſecta imperat, deducta
eſt, & biennium commorata, cum à Caluini præ-
cone

cone sæpius ad defectionem importunissime vrgeretur, relicta domo, veste, operæ pretio, seminuda Monachium profugit, maluitq; salutem in egestate, quam opes cum exitio persequi. Venère huc animi expiandi causa, partim vrgente conscientia, partim diuinitus incitati, à ducentis quinquaginta millibus passuum. Complures cum nulla ope partus explicare possent, opera B.P.N. Ignatii implorata, soluerunt. Amplius bina millia aureorum in Gregorianam pauperum studiosorum domum à ciuibus collata. Mensæ frequéter egentibus ab honestis matronis appositæ, & apophoreta etiam abeuntibus adiecta. Præceps in flumen desperabũdus abierat, & ægre seruatus, sibi etiam cum alimenti subsidio restitutus est. Frustra quæsierat ægra medelam à magis, & circumsessa in lectulo à perditoribus hominum dæmonibus, ad crucis signum confugit, & fugatis illis apud nos curam inuenit.

Serenissimus Maximilianus cum Elisabetha coniuge ad Virginem Oetinganam supplex profecturus, minimo comitatus officio, duos tamen è sociis adsciuit. Mense Martio pedibus viam ingressus, vix ab vrbis conspectu abierat, cum horrida tempestas omnia ventis, puluere, niuibus, grandine miscere, totamq; vim & procellam turbinis in capita principum velut ex coniurato effundere; Medicus qui aderat, suadere aut reditum, aut currum, vtroq; recusato Princeps, peregrinantium, inquit, est omnia viarum incommoda & molestias patienter experiri, experiamur & nos, Ita progressi preces cum nostris, vti mos est

Clericorum inchoarunt, & morem quotidie cum aliiis precibus tenuerunt; horas alias partim rerum diuinarum contemplatione, partim sermone familiari de rebus cœlestibus consumpserunt. Turbis egentium effusa liberalitate datum; nam quatuor ex famulitio id negotii dederat Princeps vti neminem præterirent, qui stipem rogassent. Quin ipsa Serenissima Elisabetha oblatum cum butyro placentæ crustulum ab obuia fœmina iucundo admodum animo acceptauit, & munifice gratum animum donanti cōpensauit. Vbi sacram ædiculam Virginis Oetinganæ eminus conspexere, cœlesti quadam voluptate perfusi, miraq; suauitate delibuti, in laudes Dei, Deique Matris erupere, musicoq; cōcentu comites iussi Deum Virginis filium cum Matre salutare. Sequens dies, qui salutatæ ab angelo Virgini sacer fuit, totus in rebus diuinis abiit. Nam primum vterq; Princeps publico loco ad Sacerdotis genua confessurus accidit, dein summa cum religione Christum in sacra synaxi percepit. Nec vbi cœpit Sacerdos facere, & priuato sacro, & altero postea solenni cum cerimonia, & cantu, Principes à genibus vnquam surrexere, aut oculos ab obiecta Virginis effigie deflexere. Munus præter alia Serenissimæ Elisabethæ fuit quinquies mille aureorum, vnde mysta aleretur, qui quotidie in eo loco posteris etiam seculis salutarem hostiam litaret.

DOMVS

DOMVS EBERSPERGENSIS.

FOemina bis abortierat, iussa, dum vterum ferret, quotidie supplicare D. Virgini quina Dominicæ precationis & angelicæ salutationis iteratione; incolumem partum edidit. Altera duodenis horis parturiendo ingemiscens, sub ipso sacrificio, quod à nobis expetierat, incolumis viuũ infantem enixa est. Bini Sacerdotes Peffenhusium oppidum rei Christianæ procurandæ verno ieiunio missi, obuium habuere è recenti rixa animo & corpore vulneratum, aduersario vltima minitantem, quem adeo mitigatum dimisere, vt & inimico ignosceret, & magnas nobis gratias ob admonitionis officium ageret. Oppidum ingressi, salutato parocho, recta hierocomiũ, siue leprosorum ergastulum, & prochotrophium pauperumue hospitium petiere, quibus opera cum officio omni delata, scholas puerorũ adiere, ad quos identidem postea cum emolumento minime pœnitendo reuisere, vt hoc nomine præclarum sibi nomen socii pepererint, cum funera pauperum prosequerentur, mendicorũ peccata audirent, pueritiam ad pietatem informarent, omnibus sui copiam facerēt, cum res ad salutē animi pertineret.

Domum nostram, vel potius D. Sebastiani sacrum verticē præsentes coluere magni Principes Austriæ duo, Maximilianus & Ferdinãdus; Boiorum tres Ferdinandus Guilielmi Germanus, cum Maximiliana sorore, & Alberto Maximiliani fratre. Pontifex Ratisponēsis, cuius totus comitatus ad cœlestem mensam post confessionē nostris factam, accubuit, hic rem diuinam peregit, & tela

D.Sebaſtiani contra ſerpentem paſsim luem ſuis impertiuit.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

CElebrata quadraginta horarum comprecatio, cum pareneticis concionibus, ad quam tanta copia auditorum accurrit, vt ægre anguſtiis templi caperetur. immiſti Catholicis hæretici: quorum vnus ex nobilioribus, cum res noſtras palam irrideret, tertio poſt die peſtifero morbo correptus, omnibus cœleſtem vindictam acclamantibus, morte pœnas luit. Quinquaginta hæreſeos peſtem execrati; centem alii ſalute periclitati ex Lutheri & Orci faucibus erepti, quorum alii quinos, alii denos, alii vicenos annos cathedras peſtilentiæ frequentarant, omniaq; Catholicæ pietatis ſtudia abiecerant. Centum quinquaginta millibus paſſuum ad nos vnus quidam contendit, vt veram ad cœlum viam, auiis hæreticorum erroribus relictis, doceretur. Lyzelburgi (pagus eſt ſuburbanus Auguſtanæ Reip. ſubiectus, ſed in Sereniſsimi Maximiliani Auſtrii ditione ſitus) Lutheri præcone, imperio Maximiliani pulſo, & curione Catholico poſt ſeptuageſimum annum reſtituto, noſtri ſæpe rem Catholicam bene geſſere, vicenos Catholico nomini adiunctos nexibus anathematum ſoluere, tandemq; omnes, præter vnum alterumue, opera paræci Deo recõciliarunt. Alia quoq; ratio excogitata, qua toti greges ſeruorum, ancillarum, opificum ex vndiq; circumiacentibus oppidis, pagis, foris Bauariæ, Sueuiæq; ab hæreſeos labe partim ſeruarentur intacti, partim ſanarentur infecti. Nomina omnium externorum,

norum, è Catholicorum dynaſtiis Auguſtæ commorantium in tabulas relata, cuſtos fidei in vrbe poſitus, qui venientes & manſuros obſeruaret. Circa Paſcha ab omnibus ſignum peractæ confeſſionis à Sacerdote coguntur ad Procuratorem religionis deferre; qui negligunt, in patriam reuocantur, & ſeuere plectuntur; ſæpeq; ipſi parentes iubentur præſtare culpam, quando liberos periculo expoſuerunt. Multis hæc res ſalutem attulit. Nam amplius ducentos quotannis ex hac hominū ſorte periiſſe obſeruatum eſt. Diu laboratum apud principes viros, vt decretum hoc publice & typis inſcriptum ederetur. Negantur nupturis litteræ naturalium & ingenuitatis, ſi chartam obitæ confeſsionis nullam exhibeant. Approbat etiam cœleſte Numen ſæpius cauſam noſtram. Iconomachus ſacram iconem per contumeliam diſcerpſerat, poſtridie mortuus laruis inferis concerpendus datus. Mitto cætera à cæteris Collegiis non multum diuerſa. Hoc non tacendum. Obtinuit vetus in Germania conſuetudo, vt à choreis die S. Vito ſolenni temperetur, quod certū morbi genus ab illo Diuo cognominetur, idemq; alteri ab altero per iram & conuicium voucatur. Laborantes ad necem vſq; æterno ſaltu, more bacchātium, feruntur, aguntur. Erat ergo qui ipſis feriis S. Viti nullum ſaltandi, tripudiandi, furendiq; finem faceret; addebat diras, & ſanctos omnes impio ore laceſſebat, ſe vel inuito Diuo, ad ſacietatem vſq; ſalturum; rapit hinc puellam, ſacrilegum orbem exorditur, eundemq; intra ſemihoram miſerando exitu cum vita finit.

Iacobus Pontanus D. Cyrilli commentarios in 12. Prophetas è græco traductos Regi Galliarum Henrico IV. prouinciæ nomine cōsecrauit, quem honorem sibi Rex gratissimum fuisse litteris ad Gregorium Roseffium prouinciæ præfectū datis ostendit. Auctum etiam & recusum viridariū Matthæi Raderi, Ioannes Sallerus summi tēpli Ecclesiastes tres patria lingua libellos vulgauit. Primus cōtinet Epistolam Encyclicam de laudata Catholicorum pietate, quam in corporum suorum diuerberatione declarant, & hæreticorum oculos animosq; vulnerant. Alter est Lutherus exulans, in quo ostensum, quam procul à prima sua fidei formula Carolo V. Imperatori anno Christi 1530. hic Augustæ in comitiis porrecta Lutherani recesserint, quantaq; sit in concordia illorum, religionis discordia. Tertius de Eucharistia tractat cōtrouersias. Ex infima pene scholæ classe discupulus Dei Matris ope vltimum vitæ discrimē euasit. Præceps abierat in altissimā putei voraginē (cum incautius aquā hauriret,) & ianua fontis sua sponte ad pessulum redierat, vt ille cum aquis iuxta ac tenebris in imis vadis luctaretur, nec spem vllam salutis aut haberet, aut videret, & tria ingentia secundum caput vulnera acceperat. Inclamante fidem communis hominum patronæ Matris Virginis, accessit forte puella ad aquam petendam, accipit ex imo vocem attonita, vocat in auxilium alios, demittitur cū haustro funis, ad manus palpantis peruenit, arreptū puer firmissime retinet, extrahitur non sine miraculo: nam vbi lucem respexit, exanimatus in ædes dubius vitæ defertur.

Curatus

Curatus tamen à vulnerario valet vigetq;. Fons sanguine purpuratus, totus fuit repurgandus.

COLLEGIVM OENIPONTANUM.

INstitutio pueritiæ intra & extra oppidũ magna cura tradita, quæ quantum omni fere ætati prosit, nihil attinet exponere; quantũ eadem obsit neglecta, documento fuit puer non amplius duodecim annos natus, quem in vltimum salutis discrimen deterrimus hostis coniecit, vsque adeo non pudet impudentem spiritum & cũ imbecilli ætate congredi, & de summa salutis decertare. Secundum prandium extra oppidum ambulanti se primum veterator personam familiaris, quem inter æquales habebat charissimum, indutus obiicit, quærit blande, quę serenam alioqui frontem mœstitiæ nubes contraxerit? Respondet infelix puer, æra sibi deesse, quibus mitia de foro (delicias pueritiæ) poma coemat. Offert petenti tres asses, additq; è culmo calamũ, quo seras omnes arcasq; etiam centũ vectibus munitas nullo negotio recludat, vnde in vsum suũ, quantũ velit, depromat. Nihil adhuc puero suboluit mali; oblatis lætus abutitur, discit numos legere, peculium parare, cultum corporis nitidiore amare. Sensit insidiator, & ad maiora quamuis paruum impelli flagitia posse ratus, adest iterum eadẽ, qua prius, specie socii, sed multo, quã ante, augustiore, serico & auro spectabilis, capta illico simplicitas pueri elegãtia vestis & torque in vltimũ scelus præcipitatur. Spondet impius dæmon se illi, si Deum Deiq; Matrẽ eiuret, ornamentũ aureũ haud grauate donaturũ. Annuenti

statim

ſtatim monile porrigit, gaudet ſceleſtus puer impio dono, & conditum domi identidem clam expromit, oculoſque execrato auri ſpectaculo paſcit, Dei memoriam ingratus cũ omnibus pietatis ſignis exuit, abiicit Marianam coronã, ſacram agni cœleſtis iconem è collo detrahit, precandi conſuetudinem non ſolum remittit, ſed abolet penitus, & velut peſtem auerſatur. Animaduertit hoc Germanus ipſius frater natu maior, miratus ſæpe adeo mutaſſe puerum. Et preſſum conſcientia (vt fieri amat) in tantam ſubinde abiiciebat deſperationem triſtitiæ, vti nulla verborum lenitate ad ſpem & lætitiam erigi poſſe videretur. Solicitus de ſalute parui maior, cœpit cogitare, qua via fratrem in viam reduceret. Petunt ambo excutiendi mœroris cauſſa caſtrum parentis. Vrget importunus exactor dæmon toto itinere deuotum ſibi mancipium, vti ſe in flumen ſpargat, nullam aliam pellendæ moleſtiæ viam reſtare, ſeruatus tamen clementia Numinis in prætorium paternum peruenit: ſed intra paucos dies, cum ægritudo animi indies aucta tenerum animum tanto malo imparem affligeret, redundante in corpus triſtitia, puer ad vltima deductus eſt. Accerſitur propere è vicinia paganus myſta, qui luctantis cum morte, vt videbatur, confeſsionem excipiat; aduolat ille, appellat, blanditur, & omnia fruſtra experitur. Alieni animi & à malo ſpiritu agitati ſigna erant omnia. Monet ergo Oenipontum properandum, & in deſperatis rebus ad noſtros confugiendum. Non potuit id tum ſtatim fieri ob ingraueſcens in momenta valetudinis periculum.

Intem-

Intempesta nocte ægro & vigilanti clementissima generis humani patrona Virgo, quamuis abdicata adest, & grauiter increpito denuntiat, diuturnam ob admissum scelus morbi vexationem, vitam spondet. Vbi paulatim furor ex animo cessit, nostra consilia implorata. Adhuc toruior vultus animum prodebat alienum, & tentatis omnibus, non nisi confessio cum sacris reliquiis saluti fuit. Edidere etiam erga nos amoris exempla cum Serenissimo Maximiliano primarii supremæ curiæ præsides, à quibus præter gemina vini plaustra decreti mille aurei ad Bibliothecam augendam, vt in singulos annos per decennium centeni numerentur, vinum detur donec Collegio de victu necessario sit prospectum. Tenuitati studiosorum in æde D. Nicolai consultum quingentis sexaginta aureis. Templum argentea Christi duodennis statua, calice, velo nobili, aliisq; votis exornatum.

COLLEGIVM HALENSE.

HAlæ cætera cursum suum tenuere: hoc singulare fuit. Redierat domum ancilla è Catechesi, verno ieiunio, iussa è camino fumo duratam Suillam deripere, & in cibum apparare, dissimulat imperium; secundo appellata negat diserte se facturam; pulsata etiam pernegat, quod diceret se à nostrate doctam, nō esse alterius peccato subseruiendum, ne quod alienum est, tuum facias. Ergo hera ipsa, velut furiis agitata, dum applicatis scalis molitur ascensum, fallente vestigio deuoluitur, tantoq; casu affligitur, vti nec esse, nec eli-

xare

xare vetitas epulas posset, & suo malo disceret sapere, quæ doceri ab aliis recusabat. Laborabat alius cardialgia: monitus ab inaspectabili Diuo (forte angelo tutelari) nam alius aderat nemo, de purganda conscientia: purgatus paulo post decessit. Idem aliis vsuuenit à Dei Matre, & D. Catharina, ad pœnitentiam impulsis, sed animo simul & corpore persanatis. Longis itineribus matronæ ad nos salutis caussa contendere, lætæq; secũ partam retulere. Sed constantia discipulorum, & sodalium maxime, variis tentata viis, neq; conuiciis, neq; verberibus infringi potuit; esculẽta per vim ingesta regesta regesserunt, & per contumeliam rogati, an à Iesuitis vomere didicissent? responderunt vomere non didicimus, sed à vestro carnium vomitu abstinere. Est ad alterum ab oppido lapidem non ignobile forum, variis metalli venis & lauacris nobile, Suatiũ indigenæ vocant, nec scholæ ibi infrequentes, quibus rogatu magistratus leges docendi, discendi, viuendiq; dedimus, quas illi magno cum fructu suo, nostrorum voluptate, ad vnguem custodiunt. Alter ex eodem sodalium cætu fatali malo oppressus à contubernalibus admonitus, prouideret saluti, videri mortem in foribus esse, parauit illico se qua potuit, cura, sed vixit interim ad alteram & tertiam hebdomadem, tãdemq;, quo die visus est meliuscule valere, tota familia coacta: hortati estis, inquit, me ante, plus minus, dies viginti, vt me ad æternitatis iter accingerem, tanquam è vestigio moriturus, sed vt videtis, vixi hactenus, & viuo modo; enimuero hac ipsa hora ad meliorẽ omnino vitã emigrabo, proinde

proinde quamprimum animi medicum accersite, & vos immortali Deo Deique Matri immortales mecum iuxta gratias persoluite, qui me sodalem ex hac vita tam clementer euocare dignatus est. Sacris omnibus procuratis eadem hora terrã cœlo commutauit. Collegium quoq; sensit hoc anno singularem diuini Numinis erga se prouidentiam. Fuit hactenus de eo vel tollẽdo, vel ad vsum Societatis rite stabiliendo agitatũ sanè annis permultis. Huic dubitationi repertus hoc anno modus, totiq; controuersiæ impositus finis. Simul enim Principes Austrii, sorores, quas supra laudauimus, in domicilium Virginum huc deduxerũt, in eoq; victuras collocarunt, tota domo nobis, quod diu desiderauimus, cedendum fuit, & decretum auctore potissimum Serenissimo Guilielmo Boiorum Duce, cui tutela huius cœnobii fuit commissa, vti nobis Collegium recens, & ab antiquo secretum à fundamẽtis excitaretur, in eamq; rem triginta millia aureorum seposita, magnaq; pars iam ad opus etiam atq; etiam maturandum numerata. Aucti Collegii annui sumptus eodem tempore, quingentis aureis Ferdinandi Austrii sororum geminarum Germani fratris liberalitate. Accessit ad eandem fortunam, munificentia Serenissimi Maximiliani Tirolensis Prouinciæ pro Cæsare Prætoris, qua nos à prædiorũ nostrorum vectigali, de quo diu fuerat certatum, non solum liberos pronunciauit, sed quidquid hactenus eo nomine expensum est, ex asse restitui præcepit, quod Ecclesiæ iura sanctissime custodienda recte existimaret.

COL-

COLLEGIVM LVCERNENSE.

LVcernæ Heluetiorum è tribus vitâ periclitantibus vnus 17. Cal. Octobris occubuit, P. Othmarus Schonauer Bauarus. Vixit annos 69. In Societate 34. omnibus officiis infra Rectorem defunctus. Sexennali arthritide ad omnem ærumnosæ vitæ patientiam exercitus, ac tandem hoc anno disenteria solutus fatum impleuit. In sociorum classe religiosissimus & assiduus adiutor, operam suam egregie nobis probauit. Patientissimas confitentibus aures & assiduissimas sanus ægerque præbuit, obsequendi studio, & sui ipsius contemptu omnibus exemplo. Pontificis ad Heluetios Nuncius, & senatus populusq; Lucernensis nos omnibus officiis complectuntur. Ciuibus nihil gratius fuit, quam cum grassante per vrbem noxia ventris lue, de die, de nocte certatim à nostris, laborantibus succursum est. Odiorum incendia inter principes ciuitatis oppressa, coniugia, desperata ab aliis concordia, in mutuum amorem reducta. Duodevigesies mille ducenti septuaginta octo peccatis soluti sunt. Romanam Ecclesiam pro Germana Christianorum matre agnouere septeni deni. Ægra extra confessionem muta, Sacerdoti nostro diserte omnes conscientiæ latebras exposuit. Persuasi putabant nonnulli se à malis geniis obsessos, qui à nobis salutari confessionis pharmaco curati sunt. Ad remigium damnatus, tam indigne tulit sententiam iudicis, vt furiosi ritu frontem, parieti affligeret;

nostratis

nostratis tamen oratione delinitus animum ad omnem æquitatem composuit, & totius vitæ labes confessione deleuit.

Gymnasium, sodalium familiæ, pædagogia Catecheseon nihil à præteritorum annorum cursu deflexere. Rus etiam sæpius ingenti cum frugum emolumento cultum, & hortus Valesianus virtutum flores ostendit, de quo fere paria anno superiore.

Templum & Collegium donis locupletatum est minime contemnendis, quatuor millia aureorum vnus vni alendo contulit, idemq; victum annuum Collegii quadringentis auxit. Aucta & Bibliotheca ab amicis, operibus DD. Augustini, Thomæ, & aliorum. Ad sacram templi supellectilem aurei quingenti collati, monumenta erga Deum pietatis: erga nos amoris; quæ ille olim sempiternis præmiorum gaudiis compensabit.

COLLEGIVM FRIBVRgense.

EX fœnebri nundinatione vir opulentus extractus, qui sub admonitione Sacerdotis nostri sensibus defectus concidit; anima fomentis reuocata, conscientiam assiduis ante stimulis fodicatam in Patris fidem deposuit, & salutem eo die cum Zachæo sibi partam apud alios gratulatus est. Dum ægros obeunt socii, pauper vlceratam tibiam serpente in dies vlcere, vt periculum esset sectionis, Patri lustrali aqua conspergendam, signoq; salutis curandam offert. Ille iussu nostratis

ipſe benedictam aſpergit, Pater ſignat, virus detumet, curatus intra paucos dies non alio malagmate, ad opus ſurgit. Rixa capitalis ita compoſita eſt, vt principes duæ familiæ redierint in mutuā gratiam arte communis mortalium hoſtis diſſutam. Adoleſcens nullis vel litteris, vel minis parentum, vt à Catholica, quam ſuſceperat, religione deſciſceret, poterat adduci, qui mox à Deo, ne forte in ſalutis diſcrimen veniret, in cœlum euocatus, ingenti cum animi lætitia & gratulatione exceſsit. Cœlites ſibi viſos non vanis argumentis affirmabat, cum vltimam horam, vltimis votis expeteret. Tres in Societatis tirociniū miſsi. Ad inchoatam, & magna ope creſcentem templi molem trecenti aurei oblati; varium inſtrumentum eiuſdem non vili pretio multorum liberalitate comparatum. Iuuatur opus egregie à ſenatu, quem aliis etiam in rebus noſtrorum commodorum ſtudioſiſsimum experimur.

COLLEGIVM RATISponenſe.

RAtiſponæ in Romani Pōtificis auctoritatem conceſſere quatuor & triginta, duo nobilitate generis clari: ciuis vnus ex patritia Ratiſponenſium familia; alter in ſuburbano agro dynaſta, qui vxorem ducturus, in corona procerum, Romanam doctrinam profeſſus eſt, cum à Sacerdote noſtro dubitationum nodis prius eſſet expeditus. Tertius non ignobilis viro Conſulari Lipſiæ natus, qui religionis cauſa parentibus exoſus,

osus, è splendida fortuna ad seruorum conditionem, vt olim incensum filiorum Dei cooptaretur, descendit. Quartus artis pingendi studiosus, Basileæ ab ipso magistro errorum Grynæo in Zuinglianam hæresin præcipitatus; hic post aliquot velitationes captus è seruitute Zuinglii in libertatē Catholicæ veritatis assertus est. Quintus Lutherani cuiusdam præconis in hac ipsa vrbe minime postremi filius, qui sementem pietatis, ab impiis parentibus miris modis hausit. Admodum puer sæpius inter domesticos parietes habitos clam de Catholicorum institutis sermones à parentibus exceperat, & laudatam domi, foris reprehendi mirabatur veritatem. Peragratus dein varias gentium variarum oras Germaniæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Pannoniæ, animaduertit eundem vbique inter Catholicos sensum animorum, ritus, sacra, cerimonias. Apud hæreticos contra, tot prope sententias quot capita, nec tres inter se conuiuas, quod dicitur, conspirare. Mouit hæc cogitatio, vti plerosq; alios, vehementer iuuenis animum, & in patriam regressus à patre ad inuisam Lutheranæ mensæ cœnam velut symbolum seruatæ perfidiæ inuitatus, cœpit tergiuersari. Suspecto iam suis, vt nuptiarum laqueis irretitus, se commouere non posset, sponsam cum ingenti dote, quod parentes etiam essent copiosi, illecebram offerunt. Et hic multa arte, delusis omnibus impetrat annuas nuptiarum inducias. Interim assidue nostrum Ecclesiasten audit, & tandem de fide constanter decernit, adit Collegium, disputat, iubetur identidem redire. Interea difficili morbo

implicitus, vehementer cruciabatur, quod animi morbos nondum curasset. Ergo quam primum per ægritudinem potuit, rediit ad animi medicinam, infimis precibus patrem deprecatus, vt saluti suæ consuleret. Scribitur ea de re Monachium & tandem refertur inter Serenissimi Notarios. Parentes rerum adhuc omnium ignari, quomodo nuncium hunc de filio sint accepturi, olim audiemus. Certe præda ex dentibus eorum est erepta.

Templum nostrum & triclinium celebrarunt Serenissimus Guilelmus Boiorum Dux; qui Patri Societatis quatuor se votis obstringenti hunc honorẽ habuit. Reuerendissimus in æde nostra per Quadragesimam clericos sacris initiauit. Decretum etiam in conuentu prouinciali, vt Romani ritus & precandi, & sacrificandi, antiquatis patriis reciperentur, ad quam rem multum cõtulit opera Patrum in consilium adhibitorum.

Pro Rep. Catholica propagatis in vulgus scriptis egregie certatum. Ostensum vno & altero libro Confessionem Augustanam à nemine minus, quàm ipsis Lutheranis hodie obseruari.

COLLEGIVM BRVNtrutanum.

GErmanus Vallottus Bruntruti natus è scholastico puluere ad cœlestem palmam, vti spes est, euolauit; ante triennium hic in sociorum censum relatus, posito Landspergæ tirocinio Friburgi cõtraxit morbum, vnde huc in patrium solum

reuersus,

reuerſus, altero quam venerat menſe rupta vomica, ipſo die conceptæ ſine macula Virginis, religioſe pridie per Sacramēta expiatus ad certamen vltimum paratiſsimus acceſsit, & deceſsit. Cæteri quamuis paſsim graſſante lienteria, aſsiduis precibus Deo propitiato valuere omnes. Reualuere etiam non pauci vel morbis animi apud Sacerdotem expoſitis, vel Diuorum, præſertim BB. Ignatii & Xauerii reliquiis è collo appenſis; vel aquæ luſtralis hauſtu. Ita partu leuata medici vxor, qui deſperatis omnibus humanis præſidiis per nos ad diuinam opem confugit, & ſaluam cōiugem cum prole recepit. Recepit & vſum linguæ alius voto confeſsionis. Odia grauiſsima inter parentes ac liberos, coniugeſq; ſopita. Veneficia ſublata, prauæ de religione opiniones ex multorum animis deletæ. Viro ex hæreticis, caſtra ſecuto, vxor interim apud nos profiteri noſtram fidem cœpit. Reuerſus ex militia maritus apud Bernenſes præcones ſuos queſtus de mutata coniuge, accipit improbum conſilium diuortii faciendi, nouarumq; nuptiarum fœdera ineundi. Paret lubens; Catholicæ & legitimæ vxori ſuas ſibi res habere iuſſæ renunciat, alteram, an adulterā? ducit. Defert cauſam legitima ad Pontificis noſtri Baſilienſis tribunal, qui ſententia ſecundum priorem coniugem pronunciata poſterius coniugium iuſsit nullum eſſe.

In agro ſuburbano benigna meſsis fuit, præſertim in oppido D. Hippolyti temporis Paſcha præcedentis occaſione, quotidianis concionibus, catecheſi, ægrorum ab animo & corpore cura, pa-

rochi institutione, aliisq; laboribus tantis, vt vltima ieiunii hebdomade sociis ad suppetias ferendas fuerit annuendum. Abeuntes alii lachrymis, sacer & ciuilis magistratus multis officiis, datis etiam ad Rectorem litteris, gratias & laudes patrum complectentibus prosecuti sunt. Studia pietatis iuxta ac litterarum domi floruere, nobilitas, numerus, ingenia, omnia magna. Aula Gymnasij rei diuinæ faciendæ instructa altari D. Catharinæ dedicato: exceptus in illa à Magistro pro suggestu Pontificis maximi legatus ad Heluetos, producti Diui gentis tutelares Henricus & Pantalus cum Præside regionis Angelo. Pontifex noster Basileensis post condita Collegii, templi, Gymnasij contubernii studiosorum, opera, alumnis etiam domicilium ponere decreuit. Nobis ad prædia quædam coemẽda, cum præsenti pecunia succurrere non posset, quatuor millia aureorum à creditoribus accepit, ne oblata nobis emptionis occasio elaberetur. Precamur vti vicissim Dei clementiam erga se liberalem, vt hactenus, experiatur.

COLLEGIVM CONSTANTIENSE.

CONstantiæ templum piorum collata stipe cõditum D. Conradi Pontificis Constantiensis memoriæ pridie Idus Octobres solemni cultu à nostro Pontifice Iacobo dedicatum est. Fecit lætiorem eius inaugurationem ipsum cœlum, pridie effusis imbribus horridum, altera luce nondum defæcatum, vti nulla spes serenitatis appareret. Vti ritus cõsecrationis cœpti suspensæ prius

roreq;

roreq; grauidæ nubes cum tempeſtatem minarentur, repente fulgentibus ſolis radiis, cum omnium admiratione & gratulatione viã præbuere, qui omnibus ſimul animos & oculos mirifice exhilararunt. Non ciuitas tantum ſpectatrix adfuit, ſed multi cum ſacri, tum ciuilis ordinis principes procul ab initiatore euocati celebritatem illuſtrarunt. Secũdum rem diuinam, epulum præbuit Pontifex noſter Principe luceque tam feſta dignũ; accubuere cẽteni quadrageni, inter quos Marcus Puggerus familiæ caput, Reuerẽdiſsimi Germanus frater, Præſules quinq;, Senatus Conſtantienſis vniuerſus, legati variorũ dynaſtarum, aliiq; complures ex prima nobilitate viri. Gratiæ conuiuatori & conuiuis à noſtrate latina oratione ſub finem prandii actæ. Menſam ſecuta concio, quæ collaudati omnes (& ſeptingenti generatim numerati) qui opem aliquam & operam ſeu magnam, ſeu paruam ad rem præſentem contulerant, quæ grati animi memoria omnib. gratiſsima fuit, quod multi exiſtimarent, nos viliorũ domorũ & hominũ tenuiorũ rationem nullã ducere. A concione firmati chriſmatis Sacramento ab eodem Antiſtite noſtro triginta ſex ſupra trecentos. Hinc veſpertinæ preces feſto Symphoniæ concentu diẽ clauſere. Poſtridie D. Conradus in theatrum prodiit, habuitq; eoſdem ſpectatores & applauſores: gratiæ rurſum per exodiarios omnibus publicæ memoratæ, quorũ liberalitate templi moles ſurrexerat. Scenam centenis quadragenis argenteis fieri curauit idẽ noſter Reuerendiſsimus. Auxit pompã Magiſtratus Conſtant. qui ſub ipſa

 actione

actione tormenta curulia in aggeres lacum acronianum arcentes, euecta, festis fragoribus explodi iussit. Cumularunt publica gaudia laureæ Apollinares, Episcopi munere victoribus Musarum secundum Epilogum Dramatis cum publico præconio impositæ. Hæc ad angustiorem ædis inaugurationem. Templum qua porrigitur in longitudinem, pedes centum colligit & quinquaginta, trientem latitudo. Portis geminis aditur; à fronte, primaria, gradu plano; à sinistra altera; lacunaria contabulata opificum commentis partim elegantem marmoris varietatem, partim niueum tectorii candorẽ mentiuntur. Latus vtrunq; templi in arcus & absides excurrit, quibus vtrinq; ambitus innituntur. Choro templi geminus item ex propylæo accedit chorus, quorum inferior duplici seruit odæo. Duplex & alter ad alas templi superiores adiectus est, quorum vnus sacrario templi, alter alteri conclaui ad varios vsus parato imminet. Aræ ternæ sunt positæ. Turris à summi altaris extima parte supra templi fastigiũ elata quaterno campanarum tinnitu concinit. Collegium quatuor contignationibus surgit, complectiturq; cubicula tria & quadraginta, hypocausta dena septena si triclinium; valetudinarium, & Musæum apponas. Hortus domicilio iunctus perenni fonte irrigatur senatus sumptu publico inductus, quem antea neq; Canonicorum quisquam, neq; ipse Episcopus cum Præpositi munus fungeretur, multo etiam auro oblato, poterat impetrare; neq; nos de eo mutire audebamus: sed mirantibus inexpectatam & singularem in nos beneficentiam, re-

spondit

ſpondit Magiſtratus:à nobis tam multa in Rempublicā beneficia profecta, hodieq; proficiſci, vti niſi pro ſua facultate noſtris commodis ſeruiant, grauiſsimas in vltimo Chriſti tribunali pœnas daturi videantur;non parem eſſe conditionem aliorum, qui profanos habeant adminiſtros, nobis omnia per noſtros domi paranda,expediēda.Fonti excipiendo craterem è lapide centum aureorum appoſuit,pontem inſuper,quo Collegium, ſcholæ,templumque commodius adiretur, extruxit. Deniq; rem Chriſtianam,quacunq; poteſt ratione,iuuat,augetque, cui viciſsim Deus vt benefaciat, etiam atque etiam vouemus & obſecramus. Nec Pontifex noſter quicquam paſſus eſt à ſe deſiderari. Præter ea,quæ iā ſupra laudauimus, munera, in templi conſecratione veſtem dúcentis æſtimatam ad vſum ſacrificii donauit. Alii victui prouidere cum vino, tum frumēto. Sed corrogata ſtipis,dum ædis molitio duraret, ſingulari volumine eſt excepta. Hæc dedicationis occaſione. Nunc ad animarum templa,quorum cauſa alia omnia fiunt,veniamus.Pœnitentes cenſi nongenti ſexaginta quatuor ſupra viginti ſeptem millia, vt locus hactenus potius defuerit hominibus, quam homines loco. Fuit inter hos Ratiſponenſis Epiſcopus, qui animū ſuum aduerſus nos cōſiliumq; Canonicorum & ſenatum Conſtantienſem lauto in Collegio dato epulo declarauit. Ex variis hæreticorū conciliabulis ad Eccleſiæ noſtræ concilium venere deniquaterni,ex quibus & Anabaptiſta,& præco Turgouienſis. Sacerdotes, coniuges, vaga proſtibula non pauca toto pectore ad continen-

tiam reuocati. Ægrorum, mendicorumq;, & elephantiacorũ ſingularis cura, cum grata ciuiũ admurmuratione, ſuſcepta. Adeuntur quot hebdomadibus, & ſacra illis adminiſtrãtur. Puella noxio fluens tabo graueolẽtia fugabat omnes; à noſtris non deſerta, quoad purum cœlo Spiritum tranſmiſit. Odio quidam eo progreſſus erat, vt hęredes è ceris teſtamenti deleret, quem nemo ad ſanam mẽtem poterat reuocare. Correptus morbo portentoſo, certoq; mortis nũcio, à Sacerdote noſtro ita curatus eſt, vt obliterata omni odiorũ memoria tabulis hæredes reſtituerit, & mortem paratus expectarit. Tirociniũ Catecheſeos foris frequentant ipſi quoq; hæretici, ſuoſq; ad nos liberos & informandos & expiandos adducunt. Rogatus idcirco pater cuiuſdam, quare, quam filio ſalutem procuraret, eandem ſibimet inuideret? Reſpondit ſe, ſi qua liberi ætate ſunt, ipſe eſſet, nihil cunctaturum; nunc ſectam ſuam ſecum adoleuiſſe, quam puderet in vltima ætate ponere.

Deniq; tantum ſociorum fuit ſtudium rei Catholicæ iuuandæ, vt id cum vrbani tecte, tum ſuburbani aperte hæretici diutius ſibi ferendum non putarent, præſertim eum ſua omnia retrolabi quotidie coram cernerent. Hinc in magnum apud illos odium præco Lntheranus incurrerat, quod noſtris omni conatu in Catholicam Remp. incumbentibus, ipſe ſæpe etiam admonitus ceſſaret, cum vnicum hactenus Conſtantienſium fuiſſet aſylum. Ergo prouocatio fuit ad ſubſellia Tigurina. Capita accuſationis hæc fuere.

1. Iesuitis Constantiæ Gymnasium instituentibus, illum adduci nunquam potuisse, vt ludum quoq; litterarium aperiret, quamuis à ciue Constantiensi coempta sit in eam rem non parua bibliotheca.

2. Ipso die Paschæ coacta concione & viris ex vrbe Constantiensi primariis (quibus clam illuc conueniendi cœnandiq; mos) solum illum, quem primum oportuisset adesse, desideratum, nec vllo loco ante meridiem deprehendi potuisse; tandem è nescio quo latibulo emersum tam breuiter & frigide dixisse, vt propius nihil fuerit, quam vt è suggestu proturbatus eiiceretur.

3. Ex vltima prædicantium vecordia, & summa Iesuitarum industria, suam religionem in vltimum discrimen adductam, tantum non animam agere; proinde nisi quam primum rebus desperatiissimis succurreretur, Turgouienses mox versuram fidei facturos.

4. Illum ad Constantienses desertos nũquam nisi temulẽtum reuisere. Hæc delationis summa. Magistratus Tigurini sententiam auide expectamus. De Turgouia non vana ominantur. Myla pagus est in ea dynastia, annis abhinc sexaginta à veritatis tramite auersus; in quo sementis duntaxat Catholicæ pietatis in paucis relicta. Sed quam nec serere, nec colere quisquam publice audebat. Accidit, vt è pistrino progressus opifex minime timidi vir ingenii, secta hæreticus, (qui cum suo præcone diuturnas exercuerat simultates) odio sui opilionis, ad nos audiendos

venti-

ventitaret,& patientes culturam aures secum adferret. Imbutus nostris sacris, ac probe firmatus, audax tentat facinus. Catholicos populares aggressus suadet, vt implorata Pontificis Constantiensis & Catholicorum fœderatorum ope pro iure pacis inter Heluetas ciuitates & pagos initam, petant à magistratu antiquum sacrorum rituum vsum Cantonibus communẽ. Placet hominis consilium cæteris; sed Tigurini, quibus prima in Turgouios auctoritas est, mox vt hoc agi senserunt, contra omnem mouere lapidem, minas intentare, & nihil prætermittere, quo animos Catholicorum à cœptis auerterent. Auctor facti pistor neque domi, neq; foris satis vitam ab insidiis tueri, ita municipes in sodalẽ suum exarserant, perturbatorem Reip. seditiosum ciuem, hostem vocitando. Ipse proprætor toparchiæ, hominem nactus, pugnis occupat, adeoq; deponit, vt facie verberibus deformata, vix hominem referret: quiillico causam ad nostros defert, vindictæq; rationẽ exposcit. Vix agnouimus infelicẽ, ita plagæ vultum absconderat. Remittimus verbis delinitum, melioremq; inde statum sperare, fide nostra, iussum. Iudices causæ ex auctoritate legatorum nostri Antistitis, & Tigurinorum, primarii ex confœderatis leguntur, templum ipsum Mylæ pro tribunali est. Illuc ingens omnium ordinum concursus, summa expectatio. Primum Catholici iubentur ab hæreticis in diuersa secedere; cum pauci, nec plures nouem secessissent, Tigurinus arbiter: vos, inquit, illi omnes secessionem à communi facitis, tantasq; turbas datis, & Euangelium labefacta-

befactare nostrum audetis? Paucos, inquit alter, nunc censes, sed breui augente Deo, plures numerabis. Agitata diu inter legatos & iudices causa, in Catholicorum sententiam decretum est, vti ex æquo deinceps templo, suggestu, turri vterentur. Quare nondum dimisso consilio, spectantibus & frementibus hæreticis, ara ad præsentem vsum subito excitata, sacrum ritu solenni à Proepiscopo nostro eodem die musico concentu peractum. Animus hinc mirifice Catholicis creuit, & spes est, si Deus annuerit, magni prouentus.

DOMVS OETINGANA.

OEtingæ diem clausit extremum P. Simon Graulock, huius domicilii moderator, cuius valetudo iam diu vacillabat, cũ artes medicorum exhausisset eorundem suasu iussus est, euentu cõtra quam sperauerant, thermas experiri, in quibus dum sanitatem quærit, vitam amittit. Domo profecti pridie Id. Iulii, locum haud procul Salispurgo attigit, hospitio Toringensis dynastæ hominis nostri ordinis amantissimi vsus. Submisit & Pamburgẽsis cœnobii præsul opportuna morbo subsidia, sed cum arbiter vitæ diem dicit, vadimoniũ mortis est obeundum. Ergo Calen. Augusti cum vires cadere, & mortem præsentisceret, euocat Oetinga Patrem, cui postridie totius anteactæ vitæ rationem summa cum religione per confessionem reddidit, supplex veniam erratorũ flagitauit, dein vota pridem nuncupata è scripto instaurat, & ad circumstantes per horæ plus minus quartam par-

tem

tem verba facit, gratum & memorem beneficiorum animum erga omnes testantia; mox vrgente vi morbi, denuo reliquias noxarum confessione abstergit, & sumpta in manus Christi patientis effigie, oculisq; in eam defixis, quanta potuit voce salutare IESV nomen tricies ingeminauit, simulq; animam exhalauit. Mitis ingenii vir, & placidis moribus, quibus omnium sibi animos nullo negotio conciliabat; apprime Virgini Dei Matri & iuuentuti ad fidem ac morum innocentiam instituendæ addictus, quem & ipsa vti patrem desiderabat. Vixit annos octo supra quadraginta; in Societate nouem & viginti; obiit 4. nonas Aug. in classem adiutorum spiritalium relatus, domũ Oetingensem iterato rexit. Magno sui tum nostris, tũ aliis desiderio relicto. Corpus ab antistite Pamburgensi (qui & decumbentem sæpe solatus, & morientis animam excepit) curatum, curruq; in Cœnobii templũ, quod millibus passuum quinq; à castro aberat, deduxit; accedenti tota religiosorum familia ritu lugubri occurrit, & solenni cerimonia exceptum exequiis vesperi & postridie celebratis, terræ commendarunt. Quin & pro more monasterii præpositus triginta diale sacrum tanquam vni ex suis fieri curauit.

Cęterum multa pro hominũ salute facta. Auditi amplius dena quaterna millia ducenti, multi à flagitiosa vita reuocati, chartæ magicæ flammis damnatæ. Interuersa pecunia ad suos dominos reuersa. Colonus æger simul ac sacras decimas contra ius fas auersas prosoluit, hic reualuit. Sacerdos Vicanus tabe iam depastus, quo propius ab vlti-

ab vltimis aberat, hoc minus se abesse sentiebat, nec salutares amicorum admonitiones admittebat. Euocatus ab iisdem socius primo congressu nihil profecit, regressus à prādio hominem flexit, expiauit, & triduo post funerauit. Capitis damnatus falsam spē veniæ imbiberat, à qua depelli non potuit, donec fatali signo audito; ibi duceretur demū in Patris auctoritate esse, totumq; ei animū aperire, & omissa spe mortalis vitæ ad immortalitatē aspirare. Inter coniuges vltimis odiis dissidētes sincera pax conciliata. Ab erroribus hæresum duodeni liberati. Multa & mira Dei matris in varios beneficia taceo, non industriæ nostræ, sed religioni supplicantium adscribenda.

Reuiserunt ad nos hoc anno Serenss. Maximilianus Boiorum Dux cum cōiuge, de quo in Monacensi Collegio copiose; Albertus & Ferdinādus Maximiliani Germani, Guilelmus omniū Parens; Leopoldus & Carolus magni Austriæ Principes. Deniq; vno eodemq; tempore duodeni tū Boiæ, tum Austriæ Duces in domo nostra noctē posuerunt, & Virginem Oetinganam sanctissime coluerunt. Accesserunt & Pontifices Ratisponensis & Græcēsis, nemo fere immunis. Alii ornatū templi auxere, alii Diuorū cineres ornauēre. Thoringensis toparchæ coniux testamēto 200. nobis legauit alii cellam, penum alii instruexere. Io. Purckleutner Hagi Præfectus voto altari soluto post sextum decimū annū nuptiarū è sterili coniuge filiū suscepit. In excursionib. fere quæ domi, effecta: hoc peculiare, E ponte rogator, triginta ipsos annos simulata religione se pro Catholico gerebat, &

inter

inter alios ad D. VVolfangum ad tremenda Christi mysteria inexpiatus accedere solitus (ne animaduersa impietate sportula fraudaretur) nunc diuinitus perculsus & hæresin & conscientiam purgauit.

DOMVS PROBATIONIS LANDspergensis.

QVatuor aliunde huc piarum meditationum studio profecti, curiones bini, tertius sacris in cœnobio Virginibus à confessione; quartus liberalium disciplinarum magister: omnes ingentes secum vtilitates spiritus reportarunt, vti vulgò nunc paræci illi Iesuitæ nominentur. Laboratum à sociis domi strenue, magna vis hominum ab Ecclesiaste ad frugem reuocata, impetrata ægris & depositis in valetudinario sportula nunquam desitura. E neruo solutus nemo, aut damnatus, quin prius è vinculis cõscientiæ per Sacerdotes nostros expediretur. Capita fidei domi geminis in templis, foris quatuordecim pagis ingenti cum fructu tradita. Sodalitas vrbica Dei matri deuota hoc anno publicis & nostri præsulis & summi in orbe Patris auctoritatibus & gratiis aucta, firmataq; cœpit omnes pietatis vires exerere, præsertim vltimis ieiunii solennis diebus, luctuosi ad Christi passi cenotaphia supplicatione instituta, qua partim verbis, partim sacris signis tota historia morientis est exposita. Ager vicinus circumquaq; cineralib. & aliis anni sanctioribus diebus lustratus, Schongauiensis, Oberdorfianus, Algoius, Niessenvvangensis,

gensis, aliiq; remotiores, atq; ex omni parte manipuli frugum vberrimi relati. Scaturiunt è Tirolensium rupibus salutares ægris vndæ, quas dum vnus quidam è Sacerdotibus nostris valetudinis causa bibit, præbuit interim conuenis cœlestem diuini verbi fontem hauriendum, totamque viciniam expiauit. Duo quidem odiis diuturnis inter se dissidentes ægrius, sed tandem & illi expugnati. Repertum par coniugum inter horridas montium cautes, & ferarum potius, quam hominũ cubilia, qui procreatis olim liberis, ante octennium castimoniam consensu iurarunt, sanctissimeq; coluerunt, & colunt; parẽtum exemplum secutus cum sororẽ filius. Paterfamiliæ pro toro asserem substernit, preces Ecclesiasticas ritu Sacerdotum quotidie patria lingua exequitur. Filiæ hostis pudicitiæ, virginitatem inuidebat, quam nostro hortatu cœpit omni ratione defendere. Domi templum picturis nouis, aræ statuis, & veste, aliisque ornamentis amplius quadringentis aureis exculta. Maria nempe Helfensteinia illustri comitum stirpe oriunda, altera quasi parens huius domus nullum bene de nobis merendi finem facit. Senatus etiam centum aureis tenuitati nostræ succurrit.

ANNVÆ PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS Iesu, Anni 1607.

HAbet Rhenana Prouincia Sociorũ capita omnino ſex & ſeptuaginta ſupra quadringenta, tredecim Collegiis, quinq́ Sedibus, & vna probationis domo diſtributa. Coloniæ verſantur octo & triginta: Sacerdotes vnus & viginti, iuuentutis Magiſtri quatuor, tres qui Philoſophiæ, decem qui domeſticis operibus dant operam: quibus Nouitius vnus accedit. Auguſtæ Treuirorum centum viginti quatuor: in Collegio triginta, è quibus ſeptendecim ſunt Sacerdotes, quinq́ ſcholis humanioribus, octo neceſſariis miniſteriis occupantur. In Probationis domo ad Ædem D. Ioannis Baptiſtæ, præter quatuor Sacerdotes, & decem ſeniores adiutores, octoginta tirones exercentur. Moguntiaci degunt nouem & quinquaginta: Sacerdotes viginti, Magiſtri quinq́, Coadiutores vndecim, Theologiæ ſtudioſi tres & viginti. Herbipoli quinquaginta & vnus. Sacerdotes viginti vno minus, totidem Philoſophiæ ſtudio-

Studiosi, Magistri quinq; Adiutores octo. Spiræ vndetriginta. Sacerdotes octodecim, in quibus vndecim in posteriore probatione versantur, de reliquis litteras quinq; docent, sex domum curant. Fuldæ sex & viginti: Sacerdotes duodecim, Magistri quinq;, Adiutores septem, duo humaniora studia recolunt. Molshemii quinque, & triginta: Sacerdotes quindecim, Magistri quinq;, Adiutores nouem, Moralis Theologiæ Studiosi octo. Heiligenstadii nouendecim. Sacerdotes decem, Magistri quatuor, Coadiutores quinq;. Monasterii vnus & viginti Sacerdotes vndecim, Magistri tres, Adiutores septem. Paderbornæ vndeviginti. E quibus octo sacris operantur, profitẽtur litteras quinque, laboribus necessariis Collegium iuuant sex. Embricæ duodeuiginti: Sacerdotes nouem, Magistri quatuor, Adiutores quinq;. Hildesii sedecim: Sacerdotes septem. Magistri quatuor, Adiutores quinq;. Aquisgrani Sacerdotes quatuor, totidem Adiutores & Magistri quinq;. In tribus residentiis Erfurtensi, Altenẽsi, Bonnensi singulis agunt duo Patres, cum vno Administro totidem Patres in VVormatiensi. In Hagenoensi vero ad tres Sacerdotes & Adiutores duos, adiunctus est Grãmaticæ Præceptor. Demigrarunt in cælum quindecim, venerunt ad Societatem quadraginta.

COLLEGIVM COLONIENSE.

HIc annus vti ciuitati grauis & luctuosus fuit, ita Sociorum patientia, laboribusque auctis, non parum eorum fructus cumulauit. Finem vitę & miseriarum tres impleuerunt. Stephanus Hermanni Campensis adolescens annos natus viginti quinq; è quibus septem in Societate posuerat. Hunc eo tempore in templo nostro æditui partes sustinentem, cum frequentes eo, peste laborantes homines confluerent, eadem lues adorta, quamuis valentē, in breui extinxit. moribundus, si quid in Socios offendisset, ab iis eius sibi gratiam fieri, per confessarium rogauit. Paucis post diebus, eodem concesśit P. Gualterus Zeuener Nouiomagensis, quatuor vota professus, annos prope tres & viginti, quod erat eius ætatis dimidium, in Societate ita versatus, vt non facile reperias, quid in eo primum mireris, diligentiamue, ac nauitatem in suo, quodcunq; datum esset, negotio bene gerendo, an egregiam in Societatem, eiusq; nomen voluntatem, an aduersus superiores candorem & obseruantiam, an hominum gratiæ, quam officio suo semper viliorem habuit, contemptum, an incensum alienæ salutis procurandæ studium, an in confessionis administrãdo mysterio industriam, felicitatemque. Ter omnino vniuersam Philosophiam iuuẽtuti tradiderat, & qua erat ad eius animos demerendos dexteritate præditus, nũquam non pluribus eorum, cũ ad alia, tum ad nostræ in primis Religionis instituta, viã muniuerat, Deniq; hoc

hoc anno ſerpente in vulgus peſtilentia, cum ſoluto, quod regebat, conuictorum contubernio, vna cum ſocio, vrbem obiret, ægrisq; opem ferre laboraret, adeoq; in omnes partes eſſet intentus, vt in Hollandorum etiam naues, quæ ante vrbem, ad Rheni ripam totam pene hyemem ſtabant in anchoris, ſe penetrare auſus, inde quos ad Chriſtum adiungeret, petere non dubitaret: in medio contagionis incendio, laborumque copia, à peſte integrum, cholicus dolor & calculus, quas valetudines & antea ſæpe experiri erat ſolitus, ingenti hominum luctu ſuſtulerunt. Aliquanto poſt interuallo Nicolaus Caſtenholtz Aquiſgranēſis mediæ Grammaticæ Magiſter, intra Octauas Beatæ Virginis aſſumptæ ferias, vti multo ante prædixerat, phthiſi cōſumptus eſt. In horum locum ſuffecti è tribus huius Academiæ gymnaſijs, bonarū artium & Philoſophiæ Magiſtri quatuordecim: è quibus vndecim è noſtra diſciplina prodierāt. Sed familiam ducebat Sacerdos cum ſacris Theologię ſtudijs, tum cæteris noſtro inſtituto opportunis artibus egregie perpolitus, qui in gymnaſio, quod Moretanum dicitur, multos annos humaniores literas, Logicā Phyſicamq; docuerat. His omnibus duo rei domeſticæ adiumento futuri, ſe coniunxere. Peſtis, de qua iam ante memini, cum tanto impetu vrbem inceſsiſſet, vt paucorū menſium ſpatio, multa hominum millia necaret, præclaram noſtris, de hominibus bene merendi occaſionem dedit, Principio, cum ciuitati viſum eſſet, Diuorum tutelarium, atq; imprimis Seuerini & Cuniberti Colonienſium Antiſtitū ſacra corpora,

 quæ

quæ in ſacris eorum nomini Ædibus religioſe coluntur, ſolemni ſupplicatione, quod in ſimili Reip. calamitate fieri olim ſolet, circumferre, Sacerdos de noſtris, cum ea in ædem ſacrarum principem eſſent delata, omnium animos ſtudio pietatis mirifice incendit. Itaq; maxima omnium ordinum celebritate in Capitolium, quod hodie Virgini matri ſacrum eſt, atque inde, re diuina ſolemni apparatu peracta, ad ſua templa deportata, eo toto die frequentiſsimo concurſu celebrata ſunt. Fecimus & nos, vt tum quotidie in Gymnaſio, longiorem Litaniam recitaremus, tum feria quinta cuiuſque hedomadis miſſarum ſolemnia de Sanctiſsima Euchariſtia decantaremus. Interea gliſcente tota vrbe, ac præcipue in Collegii noſtri vicinia, lue; atque vt ante memoratum eſt, templum etiam noſtrum inceſtante, cum duo Sacerdotes opem ſuam operamque per vrbem aſsiduo circumferrent, tanta tamen fuit vis mali, vt cæteris quoque qui domi remanſerant, miſericordiam moueret. Ergo Superiorum voluntate, ex iis complures hominibus in extrema neceſsitate ſitis, auxilio & ſolatio fuere. Quid quod hi tales iam peſte obſiti, magno quotidie numero Sacramentorum ſtudio, templum noſtrum adibant. Neque raro accidit, vt eundẽ Sacerdotem moribundi peccata confiteri cupientes, vtrimq; ſtiparent, ac ſubinde ad diuinam Euchariſtiam, quæ omnibus ſacris præbebatur languẽtibus, inter aliorũ manus arreperent. Illud vero luctuoſum, quod puellã accepto ad cœleſte iter viatico, templo digreſſam in platea mors oppreſsit. Iam Sacerdotes

ægris

ægris adiuuandis destinati, impigre suum munus sustinebant, ac nõ modo confitentibus vel in hæreticorum ædibus dabant operam, sed in Nosocomiis etiã, pauperib. Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis Sacramnta ministrabant, horum altero, vt dixi, vita functo, tertius sublectus. Neq; vero in tot periculis, quæ Dei bonitas fuit, præter duos illos, qui naturæ satisfecerũt, atq; item alios duos, qui pestem medicamentis vicerunt, cuiusquã valetudo tentata est. Cæterum ab hæreticis ad Ecclesiam traducti triginta quinq;, & in his non nemo è Batauis prædonibus. Addam vnum de Sodalitate Angelica. Ex ea pusio fuit, qui cum aduersus pestem, quam iam visceribus conceperat, pharmaca sumere, ac subinde sudare iuberetur, prius Sacerdotem expiandi animi caussa adit, atq; etiam, nisi ille sudationem præuerti mandasset, Eucharistiæ percipiendæ. Tribus post horis reuersum, in sequentem diem iterũ reiecit. Is vbi diluxit, ad primum sacrum fractus iam, ac debilitatus adest, fratre languentem sustinẽte; cui suadenti, vt captandæ auræ tantisper pro foribus assideret, dum res diuina peragitur; Egon, inquit, vt sacræ Synaxis, cui toti non interfuerim fiã particeps? Itaq; perstitit, ac supremo viatico sumpto, relatus in lectũ, sororculam, quæ in eodem conclaui simili morbo tenebatur, ad cõprecandũ hortabatur. Idẽ vtriq; vitæ, qui precum terminus fuit. Ex catechisticis puellis, fuit par sororum, quarum altera tredecim, altera vndecim erat annorũ. Huic in amplo conclaui circiter meridiẽ versanti, species obuersata est

duorum Angelorum singulos pusiones brachiis ferentium, seq; prætereuntium. Cum ad vocem Angelos inclamantis, domestici accurrissent, rem enarrat. Altera post id visum hora, maior, neque longe post, etiam minor peste corripitur. Vtraq; à nostro Sacerdote communicata decessit. Deniq; ita florent Christianæ institutionis scholæ, ita non modo à plebeiis, verum etiam primariis tum pueris, tum prouecta iam ætate hominibus celebrantur, vt cum pluribus locis habeantur, sæpenumero in vno, præter ornatissimum seniorum consessum, mille omnino pueros numeremus. Itaq; parochus eximiæ auctoritatis & doctrinæ septingentos se taleros de suo sepositurum recepit, quibus ea parentur, quæ ad ornandum colendumq; catechismum opportuna videbuntur.

COLLEGIVM TREVIrense.

IPsæ Kalendæ Ianuariæ huic Collegio tristes admodum & luctuosæ fuerunt nec opinato exitu P. Lucæ Ellentz, qui in primario vrbis templo decimum iam annum, verba faciebat ad populum. Is è Societatis consuetudine expiato, atq; ad nouum excitato eo die animo, non modo valens, sed etiam lætus ad concionem accesserat. Principium illi procliue & expeditum fuit: sub medium irrausit: hora iam exeunte, cum in ipsa peroratione in celebrando, ornandoq; sacrosancto nomine IESV ardens & copiosus esset, vt cum maxime, derepente vehemens destillatio fauces etiamnum tam cœlestis suauitate vocis imbutas

butas obſtruxit, hominẽq; cæteroqui robuſtum ac lacertoſum momento in terram affligit. Trepidat vniuerſa cõcio, pro ſe quiſq; quod præ manu fuit, auxilium confert, aut confeſtim domo petit. Cum vis morbi omnia vinceret, in vicinas Canonici, viri nobilis ædes, exanimi ſimilis, ciuiũ manibus deportatur. Ibi cum noſtrorum, qui tam triſti nuncio excitati aduolarant, officiis, cum ciuium charitate induſtriaq; certantibus, nullis remediis effici potuiſſet, vt mens illi, aut ſenſus vel tantiſper rediret, altera à caſu hora animam Deo reddidit. Corpus ſub prima lumina, magno tædarum numero proſequente, in Collegium relatum, ac deinde ſepultum, toto anno à ciuibus, pro eius in ſe meritis, temporario cippo, & quotidianis florum ſparſionibus cohoneſtatũ eſt. Egerat inter mortales annos quinq; & quinquaginta: in Societate tres & triginta: è quibus ſex & viginti ſic in concionandi munere poſuerat, vt non contentus iis concionibus, quæ dominicis toto anno, ac feſtis diebus, neque iis quæ per Aduentum, & quadrageſimam ternæ quot hebdomadis habentur, plurimas etiam extra ordinem, in funeribus, in ſupplicationibus, in virginum cœnobiis libens ſuſciperet. Cum interea & in audiendis confeſsionibus aſsiduus eſſet ante alios, & qua erat, propter ſingularem candorem dicendiq; libertatem, mirifica comitate temperatam, apud ſummos, infimos auctoritate & gratia, ad plurimorum ſalutem eius opera perpetuo expeteretur. Sed ad eos potiſsimum Chriſto reconciliandos propenſiori ſtudio ferebatur, qui veneficiis, & nefaria cum hu-

mani generis hoste Societate contaminati, igni essent addicti. Horum gratia à suggestu summæ Ædis calens adhuc & madens milliarii iter conficere, in custodias se penetrare, peruigiles in sordibus carceris noctes agere, solidum diem cibo ac potione abstinere sæpenumero non dubitauit. Non longe ante lethalem suum casum, percunctanti P. Prouinciali; quot se huius generis homines ad rogum prosecutum esse meminisset; minimum amplius ducentos fuisse respondit. Hinc illud atri dæmonis in eum odium, atque insidiæ eius capiti in nefariis cœtibus sæpe decretæ. Exempla superiorum annorum literis prodita omitto. Vnum hoc duntaxat adiungā. Palatioli, quod oppidum non totis mille passibus ab vrbe distat, aliquot huius nequitiæ rei tenebantur. Aduolat P. Lucas, quaque erat vi dicendi, & harum rerum vsu, impellit miseros, vt repudiato Dæmone, ad Christum reuertantur. Deinde vero vrget porro, vt debitum tanto flagitio supplicium æquo iam animo exoluere meditentur. Ibi illi, hominis ardore & charitate permoti, eius potius quam suam vicem miserari; obsecrare, suæ saluti consulat. Constitutum nuper, nocturno cōuentu, omnium suffragiis, vt P. Lucas de medio tollatur. In primis vero monent, det operam, ne, quo die ducendi essent, ipse vna prodeat. Si faxit, certum vitæ discrimen aditurum. Ille cum hæc, vt solebat, risu excepisset, intermissam sermonem pertexit. Inito iam fatali die, cœlo vndique puro ac sereno, comitem se viæ adiungit. Venitur ad supplicii locum. Rei iterum, ne posita quidem ante oculos

feralis

feralis apparatus ſpecie, territi, iterato Patrem rogant, ne pedem ſecum in pyram inferat. Mira alioquin illi obiectum iri. At ille nihilo magis timefactus, hæret in incepto. Quid plura? vix ad infelicem ſtipitem alligati erant, cum è diuerſis cœli regionibus coorti venti, ſolem atris nubibus prætexunt, mox denſi nimbi, & inter eos immani magnitudine grando circum late decidit. Fit fuga in proximam ſiluam. P. Lucas perſtare, & ſuos alloqui, tum vero ingeminari procellæ, ſtrues lignorum, quibus ſepti erant, diſijci ac differri, fremere & miſceri omnia, nemo cuiuſquam, tametſi vicini, vocem exaudire poſſe. Ceſsit ergo pauliſper, dum tempeſtas deſæuiiſſet. Inde ad ſontes rediit. cui illi: Viden' Pater, non de nihilo fuiſſe denunciationes noſtras? Atqui certe de nihilo fuere, quando Deus P. Lucæ vitam, cui inſidiæ ſtruebantur, his periculis eripuit, vt eam deinde tam glorioſe, in ipſo ſuggeſtu, quem tot annorum laboribus decorarat, atq; in prædicatione nominis IESV, cuius gloriæ propagandæ ſe totum dediderat, iā demum poneret. Quam in tāto viro iacturam fecimus, aliquatenus viſus eſt DEVS ſarcire velle, ſiue duobus liberalium artium Magiſtris in Societatem allectis, ſiue duobus præſentibus periculis à noſtrorum capitibus depulſis. Nam & trabs duodecim pedes longa, ſeſquialterum craſſa, quæ tiliæ, ſub qua æſtiuis menſibus, à menſa, noſtri quaterni, aut ſeni, conſidere ſolent, late diffuſos ramos ſuſtinebat, ſub ipſum prādii finem collapſa; quos, ſi vel tantillum cunctata eſſet, oppreſ-

oppreſsiſſet, ſolo fragore terruit: & ingens porta, quæ ſuperiori cardine emota ab incautis, ſuper duos domeſticos adiutores eam plateæ admouere molientes, ruerat, gratulantibus, & velut ab inferis reduces conſalutantibus ciuibus, noſtriſq; incolumem vtrumq; reddidit. Nimirum Dei nutus ita tulit, vt arena, quæ recenti eluuione receſſerat, latebram ſubruina deprehenſis daret. His beneficiis excitati noſtri enixius in ſalutem aliorum incubuere. Noſocomia, & Leprodochia ope, & oratione curata. In quatuor cœnobiis, præter conſuetas conciones, creberrime verba facta. Ab hæreſi aſſerti ſeptem. Homo Catholicus lucri ſtudio die D. Ioanni, in cuius ſe clientelam ſponte cõtulerat, ſacro, re diuina neglecta, in pagum hæreticum egreſſus, cum illa hominum colluuione potabat in caupona. Interea ſubit animum religio omiſsi ſacri, & ſpreti ſui tutelaris. extemplo inde ſe eiicit, atq; amens domum repetit. Ibi cum ploratu, & inconditis vocibus compleret omnia, remedium inſaniæ quæritur, ac tandem etiam ad nefandas ſuperſtitiones, adeoq; ad opem carnificis & hæretici, & præſtigiatoris deſcenditur. Tum vero ille ex inſano factus inſaniſsimus, domus feneſtras pugnis cædere, ſupellectilem aut frangere, aut diſſipare. Deniq; vinculis alligatus ducitur in Arduēnam ſyluam, ad ædem D. Huberti, illius virtute in domandis improbis geniis late inclyti. Cum fruſtra eſſent omnia, Sacerdos noſter imploratur. Is mali labem odoratus, iubet quæ homini adalligata erant, protinus tolli. Reperitur fruſtum reſtis patibularis, capilli, ſeminum plura genera, ſexcentæ

centæ quiſquiliæ, quales in ſacrarum reliquiaru m locum nuper nati magiſtri ſubſtituunt. Pro his cum agni Dei cerea imagine appẽſa, inſuper confeſsione & Euchariſtia expurgatus eſſet, faceſſere coactus hoſtis, homo ſibi ſuiſq; redditus, octauum iam menſem eadem valetudine vtitur. Manifeſtiores in alium, quippe ſimplicem, & ruſticanum hominem fraudes, ſed eodem fere ſucceſſu parauit. Is è vicino vico, in quo pluſculum ſe inuitarat, vacillantẽ gradum laterna regens, noctu domum redibat. Dæmon, familiaris eius ſpeciem mẽtitus, comitem ſe vltro addit, laternam primo velut officii cauſa poſtulat, deinde abnuenti & reluctanti iniecta manu extorquet. Mox magnis paſsibus præit & prælucet, ægre ſequentẽ principio blande, ſuis veſtigiis inſiſtere hortatus, ac ſubinde, quo maledictum aliquod eliceret, tarditatem eius grauiter caſtigans. Venitur ad quendam lacum, ibi veterator temulento, heus tu, inquit, ſi quid ſaltu vales, me ſequere, & in alteram ripam vno impetu tranſili. Ad hanc vocem viſa homini ebrio aliquæ rationis lux emicare. Igitur magnitudine periculi excitatus IESV inclamat. Id impoſtor non ferens, laterna procul in medium campum abiecta oculis ſe pauentis eripit. Ruſticus domũ quidem multa de nocte, ad mentem vero nõ prius rediit, quam Sacramentis curatus à noſtris, intellexit, quam ſceleſti hoſtis inſidiis opportuna ſit vinolentia, & quantum aduerſus eũ res ſacræ polleant. Addam & aliud tota vrbe, in cuius medio contigit, notiſsimum. Publici muneris adminiſtrum intendentibus ſe tenebris cœmeterium foro pro-

ximum

ximum transeuntē vox alicuius ſequentis aduerterat. Conſpicatur ſpeciem viri nobilis pridem ſibi noti, galeri plumeo apice inſignem. Occupat prior data dextera ſalutare. Cui adminiſter mirabundus, IESVS, MARIA, inquit, tene Domine, tali tempore conſpicio? Hoc dicto plumatilis illa vmbra, pluma omni citius ſe abſtulit. Adminiſtrum ingens pauor ac trepidatio, atq; ex deſperatione, conſilium mortem ſibi ipſi conſciſcendi ſubit. Ab ea vnica illum decrepitæ matris miſeratio retardabat. alioquin negabat ſe inde deduci poſſe. Sacerdos noſter accerſitur. Is experiundi hominis cauſa fidei articulos edicere iubet. Cum nihil ille reſponſi daret, ipſe ſuggerere. At homo omnia ludibrio habere, & complura dementiæ documēta dare, ac tum quidem appenſa ad eius collum agni cœleſtis effigie, aqua luſtrali reſpergitur. Poſtridie, vbi nihil illi melius factū eſſe viſum, Eccleſię exorciſmi adhiberi cœpti, atq; imperatū, vt cibo eius omni ac potioni ſal, & aqua conſecrata miſcerentur. Tum vero aliquid illi mētis rediit. Deniq; cōfeſsione obita, acceptaq; Euchariſtia, furore & amentia ſolutus, corporis etiā valetudinē non longe poſt recepit. Sequitur aliud eiuſdē generis, ſed in imbecilliori ſexu. Mulier cuius animus & clandeſtino diaboli inſtinctu, & vero crebris vocibus ad aſſerendas ſibi manus rapiebatur, cum noſtrorum conſilio ſacratam ceram aſſumpſiſſet, atq; ad ſacram trium Diuorum ædem, nō procul ab vrbe cui ab ope, quā illi ægris afferre ſolent, ad tres Medicos, nomen vulgus fecit, ſupplicatum ex voto fuiſſet, ſanitatem recuperauit. Fuit etiam cū vtriq; ſexui

ſexui in re ſimili opitulari liceret. Vir, qui in vicina regione pro Comite quodam præfecturã gerebat, repentino correptus erat morbo, quē cephalagia etiam, & quidam membrorum omniũ ſtupor aggrauarat. Eodem malo coniunx etiam teneri cœpit: ſed illa hoc ægrius habebat, quod non die, non noctu partem vllam quietis caperet, ſeq; identidem ad finem his malis voluntaria morte quærendum ſtimulari ſentiret. Verum dum huic nefarii genii conſilio, morem gerere conſtanter recuſat, ecce tibi vox ſæpius (haud dubito quin de cœlo) allapſa, monet Auguſtam Treuirorũ, atq; ibidem Sacerdotem è noſtris (& indicabatur nomen) petere quantocyus, atq; apud eum peccata eluere. Id vtriuſq; malo certum remedium fore. Paret, aduolat cum marito, atq; etiam cum vxore Comitis, vniuerſaq; familia. Armantur ſancti agni imagine, conſcientiam rite expiant, cœleſtem cibum percipiunt. Hinc vis omnis illa tartarea, & quicquid erat valetudinum eueſtigio ceſsit. Igitur non pœnituit, ſæpius deinde ad nos redire ad eadem ſibi tam ſalutaria myſteria celebranda. Comitiſſæ idem faciendi auctores fuere, & puellam hæreſis, quam cum lacte ſuxerat, tenacem ancillam ſuam, Catholica diſciplina imbuendam curarũt. Ad noſtra cum inferno hoſte certamina, pertinet etiam, quod duos ruſticanos pueros è mapalib. iuſſu Archiepiſcopi ad nos adductos, quorũ alter quindecim annorum, alter biennio minor erat, domi noſtræ Chriſtianis inſtitutionibus, quarum omnino rudes erant, informauimus, vt pacta cum Dæmone, ab vltima pueritia inita reſcin-

derent,

derẽt, arteſq; omnes nefandas, quarum apprime erant gnari, deteſtarentur, flagitiaq; omnia cum lachrymis aliisq; eximiis pœnitentiæ argumentis apud Sacerdotem exponerent, perſuaſimus. Tres omnino hebdomadas in eo potuimus, quo toto tempore nunquã eis Dæmon vllis terriculamentis, aut manifeſtis inſidiis illuſit, præterquã quod ruſticani Prætoris os habitumq; mentitus, quondam minorem circum Collegii poſticum, quod forte patens offenderat, ſarmenta & aſſulas legentem abduxit; cum puero perſuaſiſſet, matre fato functa palabundum pecus errare, & niſi propere domum remigraret, nihil reliquum fore. Verum, cum ad vrbis portas veniſſet, Dei voluntate dæmon depoſita perſona abire compulſus, puer ab vno è cuſtodibus vrbis agnitus, in Collegium reductus eſt. Operæ pretium erit & hoc, licet exitu triſte, memorare. Mulier proiecti ad diras imprecandas oris, cum per viam ex alia, multa de moleſtiis audiret, quas à prole iam adulta pati cogeretur, ſuam etiamnum tenerã, ne ab ea ſimilia olim ſuſtineret, magna linguæ impotentia deuouerat. Vix limen domus attigerat, cum alteram extinctam, alteram animam agentẽ offendit; quæ non ita multo poſt, in oculis matris, cui longe erat chariſsima expirauit. Illa, licet ſero, linguã, quæ duobus liberis tam repente mortem attuliſſet, execratur. Decem milliaribus abeſt VVallerfinga, quod oppidum eſt in ditione Lotharingiæ Ducis. Eius parochus ſub ipſum Chriſti natalem, intempeſtiuo ſane fato functus erat. Vnus de noſtris, accerſitu magiſtrãtus, eo profectus, etſi, propter

altitu-

altitudinem niuium, viarumq; ſolitudinem moleſte ambulauit, tamen frequentia ciuium, Sacramenta, catecheſin, conciones celebrantium, atq; etiam in nos officiis & benignitate certantium plurimum recreatus eſt. Adiit & propinquũ Virginum cœnobium, vbi non ipſis modo, ſed etiam antiſtitæ conſanguineis, quas illa huius gratia, pio dolo, accerſierat, confeſione expiatis, multa cum eadem antiſtita de cœnobii commodis, veteriq; diſciplinia referenda, acta ſunt. Deniq; de ſedibus Societati in eo oppido attribuendis conſilia inita. Alius, natali Beatiſsimæ Virginis Matris, egreſſus in templum eius religione celebre, quod tertio ab vrbe lapide clauſa dicitur, bis, ad confertam multitudinem; cum omnium gemitu & lachrymis verba fecit, ac quinquaginta ſupra centum capita; pœnitentia, & Euchariſtia luſtrauit. Noſtram inopiam cum alii; tum imprimis Reuerendiſsimus huius vrbis Archiepiſcopus, Princeps Elector, eiuſque Officialis Bartholomæus Bodegemius ſæpe ſubleuarit. Mulier non magna cum re, centum florenos Treuericos, alia duo argentea, neq; inſcite cælata candelabra templo dedit.

DOMVS PROBATIONIS AD D. Ioannis Bap. ibid.

PLerumq; annum octoginta admodum Nouitios hæc domus aluit. dimiſsi ad Collegia, probatione abſoluta ſex & triginta; recepti in eorum locum quadraginta; parentibus etiam nonnullos libentiſsimis animis Deo conſecrantibus è quibus

vnus non multo poſt ſcriptas in hanc ſententiam litteras plenas pietatis, à Deo præmium, vti ſperamus, huius animi ſui tulit, peſtilentiæ vi ſublatus. Cum in cæteris inſtitutis, tum in peregrinationibus maxime, eorum virtus enituit: ſiquidem facto interdum per aquarum gurgites vmbilico tenus, itinere, cum ad hæreticorum vicum diuertiſſent, excluſi hoſpitio læti hilareſq; agitarunt. Alii ab obuiis item hæreticis omni probri genere vexati, ſua patientia eo homines perpulerunt, nemo vt eos indonatos dimitteret. Quo tempore Patrum è tota Prouincia in hac domo conuentus eſt habitus, eodem templum ad honorem D. Ioannis Baptiſtæ, ad diem 14. Kalend. Quinct. Deo ſolenni ritu à Proepiſcopo dedicatum eſt. Reuerendiſsimus Antiſtes Treuirorum, & Princeps Elector tunc in primis, quanti Societatẽ noſtram faceret oſtendit. Nam cum primum in noua æde ſacrum feciſſet, inuitatiſq; tum cleri, tum populi primoribus, de ſuo encæniale epulum præbuiſſet, ſeptimo poſt die, qui erat D. Ioanni Baptiſtæ ſacer iterum diuina re peracta, nouitiiſq; omnibus ſua manu ſacra Euchariſtia refectis, dimiſſa cohorte omni, priuatum in modum, cum Patribus prandit, diuq; perquam familiariter egit. Ad hoc, nemo fuit ex omni eo cœtu, quem non ad palatium ſuum vocatum, menſæque ſuæ adhibitum omni officio & humanitate comprehenderet. Acceſsit & alia eiuſdem liberalitas, quando mille florenis templo noſtro donatis, facultatem dedit eius egregiis toreumatis, tabuliſq; exornandi. Quibus quidem mirifice illuſtratum haud paulo maiorem homi-

hominum numerum ad res diuinas frequentandas allicit. In eodem templo, postquam dedicatum est, institutiones etiam Christianæ tradi cœptæ non sine cantu, quo nimirum perfectum est, vt loco leuium, diuinis cœlestibusq; carminibus, domus omnes passim compitaq; personet. Quin & apud rusticanum vulgus Nouitii tradendis iisdem Christianæ doctrinæ capitibus tantum profecerunt, vt cum multi ad obeunda sæpius Sacramenta essent incensi, vehementer eorum vicem miserarentur, qui tanto se bono defraudarent. Itaque non defuit parochus, qui cum magistratu ageret, vti proposita pœna, omnes tam necessarii beneficii fructu carere vetarentur. Missus per paschales ferias Sacerdos in oppidum quarto ab vrbe lapide, tres ipsas hebdomadas Societatis obeundis muneribus præclare nauauit operam. Sed præcipue pace duabus familiis reddita. In quarum altera puella, quæ ad alium, quam parentes vellet, sponsum adiecerat animum, cædesq; inter procorum necessarios concitatura videbatur, adducta est, vt in parentum potestate esse vellet: in altera coniuges thoro iam propter discordiam disclusi, reconciliati.

COLLEGIVM MOGVN-tinum.

DVos Moguntiæ extulimus, alterum P. Conradum Onnekinck domo VVestphalũ, templi nostri concionatorẽ, qui ætatis quinto & trigesimo, ab inita Societate tertiodecimo, propter illustrẽ animi sanctimoniã, immature sane decessit.

Mitto primos ætatis annos quibus aſperioris victus ac cultus, exacteque pietatis ſtudio id erat aſſecutus, vt non in æqualium modo, verũ etiam virorum amore eſſet, quippe tanta omnium erat de eius virtute opinio, vt eo ſuperueniente, leuitatem omnem miſſam facerent. In Societate vero eos obiuit perfectionis numeros, vt qui cum eo coniunctiſsime vixerunt, negent quicquam aduerſus Societatis regulas deliquiſſe videri. Afflictandi corporis amore tanto ferebatur, vt inhibendus eſſet: charitatis humilitatis officiis imprimis deditus: tanto zeli diuini ardore, vt viri in ſeculo primarii, eum demum eſſe prædicarent, quo conſtricti hæreſi, vitiisq; animi liqueſcere poſſent. Itaq; ſiue ad Collegii ianuam, quod complures annos Spiræ, ac Moguntiæ fecit quotidie, confluentes pauperes erudiret, ſiue ad agreſtium multitudinem exiret in pagos, tantum Spiritus vi poterat, vt complures ab hæretica veſania, atq; adeo totum aliquando pagum, à cæteris fruſtra tentatum, ad Catholicam religionem, non paucos item ab aliis flagitiorum generibus traduxerit. Hæc officia cum nunquã intermitteret, valetudinemq; vti poſtea euenit, offenſurus videretur, rogatus, quid ita nullam quietem caperet? Illud reſpondebat: Et quorſum tandem ad Societatẽ veni? item illud: Deus bone! quanti eſt vel vnam animam lucrifacere, & inferorum ſuppliciis eripere! De B. Virgine, quam inſigni pietate coluit, negare eſt ſolitus, quemquam poſſe vel primæ vocationis, vel ſupremæ ſalutis iactura periclitari, qui in eius ſe clientelam, fidemq; ex animo contulerit. Conciones

ciones suas, quasi diuinitus quæ dicenda essent, subiici animo suo optaret, in more habebat, submissis genibus conscribere. In morbo eximiæ fiduciæ aduersus Christum crucifixum, fastidii harum rerum mortalium, pietatis erga cœlestes patronos suos, quorum nomina, quæ quot mẽsibus sortito obrigerant, sibi moribundo recitari, atque implorari orauit; aliaq; virtutum exempla præclara præbuit, vt omnium consensu vere confirmare possimus, quod ei elogium celebri sanctitatatis fama Pater Henricus Hauerus, de quo anno 1604. plura memorantur, cum eum Spiram mitteret, aliquando tribuit, angelum nos in cœlum misisse. Alter fuit Ioannes à Sancta Cruce, in suburbano Treuirorum natus; qui cum in Societate annos duos & triginta, in Coadiutorum temporalium numero duodeuiginti vitam laboribus sane exercitã, atq; cum aliis charitatis officiis, tum illo præcipue commendabilem egisset, quod pestilentia nuper sæuiente, cũ Sacerdote, seiunctus diu à cæteris, ægrorum saluti posthabuit suam, tandem graui morbo oppressus, cum annum ageret octauum & quinquagesimum, è corpore simul, & ex ærumnis excessit. In horum locũ quatuor admissi; quorum vnus primo in Academia loco liberalium artium magister renunciatus erat. Datum interea adolescentibus triste quidem, sed tamen salubre spretæ Parthenicæ Sodalitatis, ac subinde pœnitentiæ exemplum. Adolescens magnis à natura dotibus ornatus, qui olim in eo Sodalitio, ac nuper in gymnasio nostro erat versatus, dum abiecta omni disciplina, præceps in vitia, qui-

bus illa ætas capi solet, agitur, vt est fere eorum comes alieni cupiditas, grandi se furto alligarat. Hic dum tenetur in custodia, quandiu spes eum veniæ impetrandæ sustentauit, nihil de animi salute ad animum admisit: at postquam comperit, nullum ei relictum locum, tum vero tanto pœnitentiæ sensu commoueri cœpit, vt illustre omnibus documentum fuerit. Ergo Sacramentis ritè expiata mente, libros pauperibus tribuere, precibus vacare, aliorum, atq; in primis nostrorum orationes pro se exposcere, lamentis plurimum se dedere. Cum duceretur, in oculis effusæ multitudinis ad spectaculum florentissimi, totaq; vrbe notissimi adolescentis, coram imagine Virginis Matris promissum olim ei honoré cultumq; multis cum lachrymis instaurat. Quo ex tempore, velut in desertæ prius matris gratiam restitutus, tanta animi æquitate doloreq; de anteacta vita, ad supplicium properauit, vt perfusus lachrymis rogaret Deum, vti si is dolor satis non esset, augeret porro, & exacueret: in ipso vero ferali loco, perinde se lætitia compleri diceret, ac si vita ibi sua minime ageretur. Iam nostrorum precibus permotus Magistratus laqueũ, cui addictus erat, gladio permutarat, ac sepulturæ honorem permiserat, quando carnifex infelici ictu se, ac nostros in magnũ discrimen adduxit. Nam cum non resecta ceruice, sed immani in occipite vulnere adolescentem prostrauisset, vulgus iam pridem eius misericordia permotum, saxis vndique in lictores coortum, eorum alterum, qui se in vrbis fossam receperat,

elifo

eliſo multis locis cerebro, ſaxorum multitudine obruerat. In hanc furentium turbam cum ſe noſtri penetraſſent, rogando, hortando, minando plebis impetum cohibent, miſerum hominem erigunt, pœnitentiæ ſacris expiãt, plagas obligãt, omnibuſq; infamis miniſterii contactum refugientibus, humeris vtriuſq; innixum per mediam vrbem, admirante ciuitate, domum ſuã reducunt. Id factum nonnullorum alieniores à Societate animos nobis conciliauit, & vir nobilis, qui pro Principe, in vrbe iuri dicundo præeſt, ſuo Principiſq; nomine de eo gratias egit. Agreſtium vicus noſtrorum opera totus iam ea peſte liber, Catholica religione tanto puerorum ſtudio informatur, ac ſi nihil vnquam cõtrariæ fœcis hauſiſſent. Præter hos aliquot ſupra centum ad Eccleſiam Catholicam redierunt. Inter hos adoleſcens nobilis ſecta Caluinianus, cum Coloniæ Agrippinæ, apud hominem Catholicum pium iuxta ac doctum diuerſaretur, ſolebat inter differendũ negare, poſſe quenquam in Catholica religione ſine acerbiſsimis conſcientiæ aculeis emori. Ea opinio, admirabili Dei prouidentia, homini ſaluti fuit. Nam cum eum ipſum, ad quẽ diuerterat, non ita multo poſt, morbus afflixiſſet, ſpemq; ſalutis ſuſtuliſſet, videretque eum contra ac putaret, hilari animo mortem præſtolantem, atque inter extrema hymnum, Te Deum laudamus, decantantem, cœpit nimirũ credere, in ea demũ ſola religione ſolidam mentis tranquillitatem reperiri. Igitur haud ita multo poſt huc profectus, hæreſi noxiſq; omnib.

rite depoſitis, eiuſdem boni particeps eſt factus. Alius adoleſcentulus domo Tigurinus in Heluetiis, opificio Sutor, cum neminem reperiret, cui operam nauare poſſet, ac mendicato victum toleraret, poſtquam in ſermonem cum noſtro Sacerdote de religione venit, cœpit illud Chriſti reputare: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Neq; id cũ falſum habuit. Nam cum diuina myſteria Catholico ritu obiiſſet, ac ſecundum ſacrã ſynaxin à viro Eccleſiaſtico ſtipem poſceret, ab eodem domo exceptus nõ modo hodieq; habetur perliberaliter, verum etiam quod eum appoſita ad literas indole eſſe cognouit, primis rudimentis imbuitur. E familia viri nobilis, quam noſtri natalitiis feriis Sacramentis expiarũt, duo, alter Lutherana, alter Caluiniana doctrina à teneris infecti ad Eccleſiam aggregati ſunt. Redintegrata etiam inter duos fratres concordia ſeptennali odio diſciſſa. Fuit, quem inopinato viſo, atq; euentu Deus ad pœnitentiam vocaret. Erat huic contubernalis non magis quotidianæ vitæ, quàm vitiorum ſocius: hunc, cum aliquãdo noctu euigilaſſet, videre ſibi viſus eſt in feretro iacentẽ, atq; inde cum ſe erexiſſet, vaticinantem primum eum fore, qui ſe ex illa familia ſequeretur. Sanum eum veſperi reliquerat, ſanum item mane reperit. Sed ſub meridiem morbo corripitur, quo intra trium & viginti horarum ſpatium extinctus hominem perpulit, vt propere confitendi cauſa Sacerdotem noſtrum adiret, moreſque corrigeret.

COLLEGIVM SPI-
renſe.

VIxit Spiræ Matthias Eichorn Luxenburgenſis annos natus duos & quadraginta, anno ab hinc vndeuigeſimo in Societatem, ante biennium in Coadiutorum temporalium formatorum numerum adſcriptus, qui in culinæ miniſteriis ſingulari cum manſuetudinis laude pleramq; ætatem conſumpſerat. Domi ſpiritualibus exercitationibus exculti duodequadraginta; atq; in iis Theologiæ, aut vtriuſq; Iuris Doctores, vel Licentiati, Electorum imperii Conſiliarii, Principum Aduocati, Canonici, Parochi, Vicarii, daturq; opera, vt non facile quiſquã Catholicus ad imperialis fori, quod eſt in hac vrbe, vſum cognoſcendum, niſi ante his ſacris commentationibus informatus, accedat. In æde ſumma concionator noſter, aduerſarii lenis declamationes confutauit, quibus oſtendere homo amens nitebatur, Eccleſiam Romanam ab Apoſtolorum doctrina deſciuiſſe. Pupugerat hominem contrarium noſtrorum ſcriptum lingua vernacula, eæ, concionatorum contentiones vehementer plebis in nos animos exacerbauerunt. Itaq; plures quiſquiliis, fuſtibus, ſaxis, vnus etiam Sacerdos colapho appetitus eſt. Et proceſsiſſet furor longius, niſi Antiſtes & Princeps Spirenſis, pro iure, quod ad Eccleſiaſticorum libertatem tuendam habet, in ciues tam luculentam iniuriam carcere eſſet vltus. Ita ſane compertum eſt, vbi vulgus eſt arbiter, res ſacras procliuius oppugnari, quam defendi. Memorabile etiam il-

lud eſt, quod Cæſareæ huius curiæ Præſes, è Fuggerorum inclyta familia, per quadrageſimam quotidie Pſalmum quinquageſimum in templo noſtro, non modo à Symphoniacis concinendum curauit, ſed ipſe etiam iis præeſſe, ac moderari ſit dignatus. Adiunxere ſe illi complures eiuſdem tribunalis Aſſeſſores, à quibus & reliqui dies feſti ſimili concentu ornati ſunt. Ab errore ad ſalutarem doctrinam reuocati nouem & nonaginta ſupra centum. In vno quid hæreticorum calumniæ apud ignaros, quid deinde cognita veritas habeat momenti, cognoſcas. Comitabatur ille ſubinde fratrem ſuum pridem Catholicum factum ad Collegium. Ingreſsis, de more, fores à tergo claudebantur. Ille necem ſibi à noſtris, vt erat edoctus à ſuis, parari ſuſpicabatur: obuium habebat quempiam. Hunc vero lictorem putabat. At vbi ad ſacras exercitationes adductus & religionis & noſtrorum candorem intellexit, non modo in iis cum eximio pietatis ſenſu verſatus eſt, verum etiam ad ſuos reuerſus nullum prædicandi noſtri finem facit. Quatuor familiæ iam diu diſcordes, & fruſtra ſæpe de pace tentatæ, in gratiam redierunt. Redierunt & duo coniuges, reconciliati à noſtro, qui ad maritum erat accitus in carcerem in quo tenebatur, quod intempeſtæ noctis ſilentio coniugem verberibus acceptam, inſuper eliſis faucibus de medio tollere eſſet conatus. Corporibus etiam ſubinde ſubuentum, vt homini, qui lunaticus eſſe putabatur, cui animus, noſtrorum hortatu confeſsione purgatus, morbum depulit: vt homini Gallo, qui cum loci linguæq; ignarus ab im-

ab improbis opilionibus pugnis oneratus maxime ſpoliaretur,ipſeq; Virginem Deiparam, velut vnicum refugium,tertium inclamaſſet, eius ſine dubio nutu, repēte duo ex noſtris forte illac prætereuntes, præda de manibus erepta, hominem ab iniuria vindicarunt.

Neq; vero neglecta Chriſtiana puerorum inſtitutio,in qua illud euenit, quod apud eius ætatis animos ad morem ſuo catechetæ gerendum multum habuit ponderis. Ex iis vnus grandior inſtitutori de modeſtia in locis,ac diebus ſacris admonenti: Se vero reſpondit, ſi tympaniſtæ copia foret, ne in cœmeterio quidem ſacrato ſaltatione temperaturum. Haud ita multo poſt dimidiatum illi corpus à vertice ad calces fœdum in modum tumeſcit. Medici negant, ſe morbo remedium,ac ne cauſſam quidem eius reperire. Ergo ad propitiandum Deum vertitur. Vix inſolens illud ſuum dictum Sacerdoti rite aperuerat, cum tumor omnis,præter modicum, qui hærebat in pede, reſedit, qui & ipſe non longe poſt euanuit, poſtquam ardentiore animo emendaturum ſe,quod contraxerat,promiſit.

COLLEGIVM HERBIPOLItanum.

TRes omnino hoc anno Herbipoli deſiderati ſunt. Primus Bernardus VVeberus Coadiutor formatus temporalis, annos natus 60. è quibus vnũ & quadraginta ſingulari cũ pietatis, modeſtiæ, promptiſsimiq; ad quæuis imperia animi laude

laude in Sociotate exegerat, aqua intercute extinctus est. Alter P. Arnoldus Lulling Coloniensis, vir antiquis moribus, anno vitæ religiose actæ tertio & quadragesimo, ætatis quarto & sexagesimo apoplexia, qua se aliquando sublatum iri sæpe præsagiebat, cum tertio Quadragesimæ dominico, quo die Annunciatio ortus diuini verbi recolebatur, honestiori veste tectus, è cubiculo in templum ad nauandā confitentibus operā egredi pararet, exanimatus corruit. Ita iacens à quodam, qui eodem accersitum eum venerat, reperitur; frustraque tentatis omnibus, sub noctem proxime sequentis diei, migrat è vita, egentibus atque in primis viduis, quibus solatio solebat esse, frequenter collachrymantibus. Maior etiam in P. Ioanne Brenneysen iactura facta est, quem susceptis, Aprili mense, huius collegii gubernaculis, virtutibus omnibus, quæ bonum præsidem decent, ad eximiam spem efflorescentem, ac non modo nostris iuxta ac externis, sed etiā Illustrissimo Principi & Antistiti nostro eximie charum, nono, ab eo munere inito, mense, pestilentiæ lues contigit, & tertio post die extinxit. Ingens apud omnes sui desiderium, neque leuem metum reliquit, ne à capite contagio ad alios serperet. Verùm, duobus qui tentati sunt, percuratis, placuit Deo, vt vnum pro multis daretur caput. Quinq; in horū locum suffecti; tres ad studia, duo ad ministeria domestica designati. Iam reliquorum labores exequamur initio ab eo Patre facto, qui vna cum socio, furente peste, seiunctus à Collegio, parochis omnib. principio metu absterritis, Sacramēta omnia, Episcopi volun-

voluntate, tota prope vrbe ægris ministrauit, ac dum malum tenuit, immensos labores diu noctuque exantlauit. Nam cum tanta esset morbi sæuitia, vt quamuis amplas familias totas sæpe corriperet, ne famulo quidem relicto, qui aduenienti Patri fores aperiret, nulla abibat dies, qua non viginti ea lue iacentes adiret; ac sæpe intẽpesta nocte, vel cadaueribus, vel senis septenisue moribũdis hominibus septus, cõfitentibus daret operam. Vt quemq; primũ inuisebat, hortabatur sedulo, culpam omnem, & præcipue errorem, si quo tenerentur, confestim deponere. Quod eius consilium, si qui (etsi pauci illi fuere) segnius secuti, vel vnius noctis moram sibi concedi postularunt, ea ipsa (horrendũ dictu) è vita exturbati sunt. Quantum vero profecerit, vel ex eo intelligi licet, quod cum hoc anno qui ad Romanam fidem redierunt nouem circiter & octoginta numerentur; ex iis fere quadraginta opportunitate morbi, huius patris labore, ea mens est iniecta. Accedebat quod in summa plurimorum egestate victus ipsi cum à ciuibus, qui vltro non modicam summam contulerunt, tum à Principe corrogandus, atque ægris, quibus ministratores nulli aderant, in os ingerendus esset. Quin & medicamentum ipse confecit (est enim eius artis non ignarus) quod tum primoribus ciuitatis, tum aliis, quotquot necdũ valida peste, in tempore sunt vsi, sanitatem attulisse constat inter omnes. Itaq; eum nunc Sacerdotem velut vtriusque salutis suæ parentem certatim omnes in sinu, atq; oculis ferunt. Sed crediderim equidem ciues ipsos, suis egregiis pietatis officiis,

quibus

quibus se per hoc tempus, nostris auctoribus, dediderunt, meritos esse, vt hos Deus patris labores secundaret. Documento sit, quod dilapsa metu periculi, quinq; mensium spatio, studiosa iuuentute, censa tamen sint hoc anno in ciuitate non frequentissima, & funeribus plurimum accisa, sacra in nostro duntaxat templo participantium, capita viginti tria millia octingẽta sexaginta septem. Quod nullo die confessariis nostris feriatis esse licuerit. Quod supplicationes, comitante ipso Principe, per vicos etiam contagione infectos institutæ. Qua religione non contentus optimus Præsul, longo & molesto itinere, pro commissi fidei suæ populi incolumitate, ad ædem Deiparæ Virginis, quæ Dettelbaci religiose colitur, profectus, sacrisq; operatus, aulicis nobilibus cœleste epulũ, templo munera impertiit. Ad hæc ad implorandam cœlitum opem præcipue eorum, qui vel huic vrbi præsident, vel in pestilitatis discrimine propitiari solent, nostri Concionatoris hortatu inducta in priuatas domos consuetudo vesperi eorum pronunciatis nominibus vna comprecandi. item D. Sebastiani, aut alterius similis effigiem in aperto ac propatulo domus loco proponendi, cuius aspectu prætereuntes admoniti breui aliqua prece, eum inuocarent. Quadraginta horarum comprecatio, per Hilaria instituta non à ciuibus modo, verumetiam à frequenti agrestium numero celebrata est. Sacra eo tempore participantium capita censa amplius mille ducenta. Neque vero confessariis ratio nõ constitit. Nam, vt taceam septem

ptem fœminas, viros decem è turpitudinis cœno emersos, discordiarum faces cum inter alios, tum inter tria coniugum paria ardentes, extinctas: tres à voluntariæ consilio necis abductos; illud euenit ad Dei clementiam declarandam memorabile. Puellam rudem, anus magicis artibus imbuta, ferali delibutam vnguento, intempestæ noctis silentio ad nefarios conuentus peruexerat: & eorum præses Dæmon ad miscendum parenti venenum perpulerat. Ex eo dum, serpente sensim vi mali, pater languet, puellam subit pœnitentia, eiulatu, & comploratione complet omnia. Vbi Magistratus certior factus, rem omnem confessam compegit in carcerem, indignatus hostis prodi sua mysteria, horribili primum fragore turrim, quasi mox ruituram, concutit, deinde blanditiis simplicem pertentat animum. Quæ vbi minus procedunt, in serpentem versus cibum omnem, qui à magistratu præbebatur, deuorat, ac misellam tridui inedia discruciat. Denique Herbipolim perductæ, cum se consiliariis Principis item indicasset, confessio, quam ex nostrorum præcepto, sane quam accurate, & eximia cum significatione doloris, obiuit, libertatem attulit. Mox Sacramento IESV CHRISTO dicto, Dæmoni bellum indicit, ac postridie sacro Chrismate, cœlestique epulo, atque etiam effigie diuini agni munitur. His cincta præsidiis IESV ac MARIÆ nomine inclamato, sæpius hostem in fugam vertit, siue cum in ripa Mœni fluminis ambuláti aureos obtruderet, siue cum luculento

excitato

excitato igne, in eum agni Dei imaginem & D. Iulianæ reliquias abiicere hortaretur, siue cũ florentis adolescentis speciem mentitus à nostrorũ, quos Societatis deprauato nomine, arietes Germanica voce appellabat, cõsuetudine deterreret; seu cum iam nostro rogatu in nosodochium acceptam, & inter alias, honestis asiduo laboribus distentam; felis duntaxat effigie proterue assultaret. Deniq; his tempestatibus perfunctam pestilitas adorta in cœlestem portum, vti nos pie obita mors sperare iubet; intulit. Adolescens nobilis ad hæretici hominis pedes toties se abiecit, dum peruicacem expugnaret animum. Quid quod alii tenera etiamnum ætate partiti inter se regiones, ciues, aduenas, colonos ad pœnitentiæ sacra adduxerunt? è quibus nonnulli contumeliis & verberibus affecti, aut deturbati descalis, gaudio scilicet exultarunt. Fuit in hoc numero præcipui cœnobiarchæ cognatus, cui cum hanc nostræ iuuentutis industriam exposuisset, eius voluntate, quo tempore pestis Gymnasium clauserat, peragratis vicis, qui in Abbatis sunt ditione, intentato mortis impendentis terrore; agrestes ad vnum omnes permouit, vt animum confesione expiaret. Alius non magna cum re, sed in res sacras maiores, quam pro fortuna, iacturas facere solitus, in nosodochium, in quo admodum octoginta peste iacebant, se coniicere non dubitauit, tum vt corporibus, tũ vt animis necessaria auxilia afferret. Templi noui ædificatio piorum liberalitate procedit. Ad eam Reuerentisimus atq; Illustrisimus Episcopus, & dux noster supra mille florenos adiecit.

Alius

Alius vicinus Princeps ducentas arbores, Comes Schvvartzenburgius, qui in summa æde Canonicus est, vir illustris mille item florenos; trecentos abbas Eboracensis, ducentos Decanus eius Collegii, cui nouo monasterio nomen est. Neq; defuit ciuium, ac ne inopum quidem benignitas, quæ tanto est gratia dignior, quod id contulerunt, quod de suo demenso comparserant. Eximium vero fuit donum Archiepiscopi Treuirorum, caput integrum, & duo ossa ingentia Martyrum, qui in ea vrbe sanguinem pro CHRISTI fide profuderunt.

COLLEGIVM FVLDENSE.

FVldæ quoq; pestis vnum mortalium numero exemit Fridericum Pirlinghofen; qui à tirocinio etiamnum recens, cum alterum iam mensem in suprema Grammaticæ classe, pueros erudiret, egregiam modestiæ & pietatis laudem tulerat. Interim ab hæresi liberati sex & viginti. In his vnus, qui suæ perfidiæ amore trium annorum exilium sponte sustinuerat. Ara maxima templi nostri, quam fundator noster signis marmoreis visendo opere, magnis impensis ornare cœperat, hoc anno ab eius successore Ioanne Friderico Abbate, & Principe Fuldensi perfecta, ab Episcopo Ascalouensi, qui nuper ab Archiepiscopo Moguntino consecratus, & Erfurtensis suffraganeus designatus, hac forte iter habebat, solemni ritu dedicata, & à nostro Antistite muneribus, & veste magni precii cumulata est. Postridie eius diei

magna vis hominum omnis ordinis, ætatis atque ſexus, confirmationis, quo Sacramento iam pridem hæc ora carebat, particeps, & aliquot è iuuẽtute ſacris ordinibus initiati ſunt. Floret Gymnaſium vniuerſum; atq; in primis ſeminarium Pontificium, cuius fructus ad eos præcipue manat, qui hæreticis orti parentibus, non efferos modo eorum mores exuunt, ſed etiam tantum humanitate, & religione proficiunt, vt cum iis etiam certent, qui in media Catholicæ Eccleſiæ luce ſunt nati. Porro in hoc ſeminario res accidit, quæ ad noſtros ritus commendandos, & adoleſcentum animos ſalubri timore configendos nõ leuis momenti viſa eſt. Verſantur in eo duo fratres Reutteri domo Bambergenſes Principi eius Vrbis à Secretis filii. Horum ſoror Catharina duobus ante annis Bambergæ defuncta, cum à menſe Decembri ſæpius horum adoleſcentum lecticas pulſari, perq; cubiculum deambulari auditum eſſet, ſexto Idus Mart. de media nocte, facto velut cadentis ciſtæ ſtrepitu, minoris natu fratris Chriſtophori lecto aſtitit multa luce circumfuſa, eodem, quo in loculo compoſita fuerat habitu, reductoq; velo, compreſsis arcte digitis exciuit è ſomno. Parantem exclamare, ſilere, & bono animo eſſe iubet. Rogat vt ſuo nomine preces aliquot (& eas in libello Germanico, qui Hortulus animæ dicitur, quem ſecum detulerat, ipſa deſignabat, tametſi puer litaniarum B. Virginis duntaxat meminerat) recitaret, triduo deinde ieiunium ſeruaret, ac deniq; aliquot pro ſe ſacrificia facienda curaret,

curaret. his, se Purgatorii pœnis, quibus teneatur, exsolui posse. Id cum esset factum, iterum affuturam. Colloquium dimidiatam ipsam horam tenuit, sic vt, tametsi obscurius, à vicinis etiã obsecrantis & obtestantis cum lachrymis voces audirentur. Omnibus quæ popoſcerat, cum ab ipso adolescente, tum à Collegio & Seminario perfectis, pridie Idus eiusdem Mensis sub noctis meridiem ex condicto iterum affuit, venustiore iam oris specie, testataq; est, eius ope è purgatorii se suppliciis, in quibus tres præterea annos hærendum fuisset, emersisse. Sciscitanti fratri, quare Fuldæ potius, quam Bambergæ se ostendisset, negauit se illic, altero post mortem anno fidem inuenturam fuisse. Rogata deinde cuius noxæ tam diuturnas pœnas dare iussa esset, respondit: Non depositæ penitus ex animo offensionum memoriæ: imperii materni de eleemosynis dandis sæpe præteriti: deniq; precum & eleemosynæ, quam ægra Deo vouerat, non persolutæ. Hæc omnia adolescentis auunculus homo de Societate nostra, diligenter ex ipso percunctatus, memoriæ prodidit.

COLLEGIVM HEILIGENſtadienſe.

MAgna fuit quotidie Heiligenstadii, præcipue nobilium adolescentum ad nostras scholas accessio. Eminent Parthenii, è quibus nonnulli parentes, affinesque suos è vitiorum & hæresum cœno, ad pœnitentiã, & rectam

fidem traduxerunt. Vnius etiam ſtudio atq; opera perfectum eſt, vt à nobis quinque frequentes ſane vici, quo necdum aditus patuerat, concionum & Sacramentorum cauſa adirentur. Qui hæreſim repudiarunt, fuerunt hoc anno minimum quadraginta ſupra quingentos. Ex iis fuere omnino centum ciues Heiligenſtadiani. Non pauci ex Haſsia profecti, in qua proſcripto Luthero nuper Caluini doctrinam amplecti iuſsi, à nobis ſtabilem religionem, quàm à ſuis Magiſtris, è quibus plures centum & quadraginta eodem die, nouas opiniones ſuſceperant, inanem, & vbi quid noui mõſtri ex orco prodierit, mox diſpliciturum erroré haurire maluerunt. Ex his alii Sacramentis ita ſunt expiati, vt deinceps ſe quotannis ad ea redituros promiſerint: alii ex iis oris, in has, quæ in ditione ſunt Electoris Moguntini, commigrarunt. Inter hos familiam ducebat vir militiæ gnarus, idcirco ſolum vertere iuſſus, quod antequam populus nouum dogma admitteret, æquum eſſe dixiſſet, vt prius de eo inter magiſtros conueniret. Iam enim ſex omnino in ſola Haſsia ad ſua myſteria à Caluinianis, panis genera adhiberi perſpexerat. Indidem ex Haſsia duo adoleſcentes compoſitiſſimis moribus, & optima indole, relicta Marpurgenſi Academia hæretica, ad nos venere, patriumque errorem auerſati, nunc inter æquales pietatis, & eruditionis primas ferunt. Quo die Eccleſiæ coniuncti ſunt, à condiſcipulis, ſalutem eis gratulantibus, epulo ſunt excepti. Sed præcipuus hoc anno extitit excurſionum ſiue labor, ſiue fructus, atq; in primis Quadrageſimæ tempore, quo, præter

ter Vrbanas Catecheses, octo & viginti vici instituti, ipsis etiam scholarum Magistris in tanta operarum paucitate, duabus & semis ab oppido leucis Germanicis, plurifariam, tertium interdum ad plebem verba facientibus. Glashausium vicus est celeber, quẽ nostri iam pridem irrito conatu Catholicis præceptis informabant. Templum eis erat non templum. horreum dixisses, canibus, cæteroq; Dianæ comitatu, qui in pariete pictus visebatur, ornatum. Hoc tãdem anno vt ædem expurgarent, collatoq; certatim sacro instrumento renouarẽt, Catechista noster cum impulisset, vniuersi deinceps partim Paschatis, partim Pentecostes feriis, quinq; duntaxat exceptis, Ecclesiæ se reddiderunt. Tres vicini vici cum sacris vexillis aliisq; lætitiæ signis Glashausensibus agmine cõposito gratulatum prodiere, & prætoris vicini item, vxor sæpe sollicita à nostris, hoc tandem exemplo permota abiecit hæresim; in qua duos maritos ad extremum vsq; Spiritum obfirmarat. Sacramentorum & agni Dei præsidiis nostro suasu homo ante hæreticus, & nostra consilia principio stomachatus dæmonis infestationem effugit, à quo sæpe abripiebatur in uia, sępe ædes, in quibus diuersabatur, velut terræ motu quatiebantur, omnibus deniq; eius aspectu incutiebatur metus. Qua re permotus eius affinis, quod hanc virtutẽ hæreticorum Sacramentis deesse cerneret, in Catholicum nomen transiit. Non absimile fuit adolescentis Molhusini malum, à quo eadem medicina curatus est, cum matri, quæ, frustra consumpta, in eodem conatu, suorum Magistrorũ opera,

 ad nos

ad nos confugerat, esset denunciatum, nisi Catholicæ Ecclesiæ doctrinam omnem sequerentur, nihil eis à nobis auxilii præstari posse. Impetrata sanitate ita discesserunt, vt se quotannis ad montem adiutorii, locum iam inde à D. Bonifacii temporibus, religione inclytum ad Catholica sacra venturos pollicerentur. Neq; vero minus operæ fuit, Catholicos in Ecclesia & officio retinere, quam alienos ad eam adiungere. Vnius pagi tantus est ardor, vt cum natali Christi quempiam de nostris expetissent, ac tertium, quod cæteri necessariis occupationibus distinerentur, repulsam tulissent, non dubitarint, quod erat reliquum, de media nocte sacris in templo nostro actis, Sacerdotem operiri. quem honesto comitatu adductum perquam auidis animis nocte dicentem audierunt, ac deinde apud eundem, quotquot per tempus licuit, conscientiam expurgarunt. Vt autem aliquando reuertamur domum, in ea Christianæ fidei rudimentis imbuimus adolescentem Turcam Sacerdotis eius gentis filium, atq; etiam singulari apparatu, impensas præbente viro clarissimo Ioachimo Hirschbergero Medicinæ Doctore, baptismo lustrauimus. Idem Doctor villam, sesquimilliario ab vrbe, duobus florenorum millibus emptam, reseruato sibi duntaxat, dum viuit, vsufructu, Collegio donauit. Neq; prætereundum silentio, inter alia quæ ad templi supellectilem aliorum liberalitate accesserunt, donum sartoris, qui in aula Landtgrauii Hassiæ hæretici Principis versatur, instrumentum sacrificanti Sacerdoti necessariũ omne, materiæ, atq; operis eximii, quod

ille,

ille, si pestilentiæ vndiq; ardẽtis periculũ cum suis vit-ret, Deo nuper vouerat. Obiit hoc anno vir de nobis, & Catholica religione optime meritus Thom. Seligen, I. V. Doctor, qui olim cũ ingenti vitæ suæ periculo, eius residentiæ, quam Erfurti habet Societas auctor fuit, neq; deinde, postquam ab Archiepiscopo Moguntino huius oræ Archistrategus constitutus est, vnquam destitit studiis nostris fauere, iamq; de Societate Duderstadii, quod oppidum lautum satis, sed hæreticis refertum est, collocanda serio cogitabat. Quam colluuiem detestatus, non, vt qui antea id munus gesserant, in illo oppido, sed Heiligenstadii sepeliri in nostra æde petiit, quo, vt pro sua animi demissione loquebatur, Sacerdotum, religiosorumque hominum pedibus calcaretur. Datum id eius in nos meritis, & zelo religionis Catholicæ, cuius gratia hæreticorum purgatorium vulgo audiebat. Eius exitus duabus mulieribus, alteri exitio, alteri saluti fuit. Hæc enim Lutherani concionatoris filia, & suæ sectæ adeo studiosa, vt quotannis tota Biblia à capite relegeret, cum nostri Patris cum moribundo congressus, moresq; omnes sedulo obseruaret, mutata mente Ecclesiæ se addixit, elutoq; per confessionem animo, cognatos iam suos vanitatis doctores coarguere aggreditur. Illa vero domo Mulhusina, Luthero ebria, cum ob nostra ora defuncto maledixisset, & religionis Catholicæ tam ardenter propugnatæ pœnas merito morte luisse iactasset, non multo post repentina extincta fato, octauo quam conuitium fecerat die, sepulta est.

COLLEGIVM MOLSHEIMIense.

FVit vbi negarent consuetudinem sibi esse ante septimum decimum annum peccata confitendi. data est opera, vt eam sponte reciperent, cum denunciatum esset à parocho, sepultura cariturum, qui postquam sextum annũ esset egressus, confessionem defugeret. Est in ditione Collegii nostri Sacellum D. Virginis Alpronianum, veteri religione celebre. Eo, præter alios qui assolēt, hoc anno totus pagus, quod annis duodecim intermiserat, supplicatum venit. Pertinet & illud ad eiusdem Diuæ honorē, quod viro, cuius menti adulteræ species, à qua munera acceperat, assiduo obuersabatur, postquam illa eius honori hortatu Sacerdotis nostri, consecrauit, tranquillitatē reddidit. Item illud, quod mulier è brachio, cum secundum quietem admonita, illud in fonte, qui eidem Diuæ sacer est, lauisset, vicinumq; sacellum adiisset, malum depulit. Rogatu Reuerendissimi & Serenissimi Principis nostri Cardinalis Lotharingi, cui defuncto bene precamur, cum duo Episcopatus quos administrabat, lustrarentur, nostri eius curæ, & laboris socii fuere. Atq; in hoc quidem nostro Argentoratensi, duo de hoc Collegio, quindecim dierum spatio in quinq; parochorum conuentibus, passimque apud multitudinem concionibus, catechesibus, aliisq; Societatis muneribus Reuerendissimo suffraganeo, qui interea admodum decem hominum millia rite confirmauit, præsto fuere, Per Metensem vero diœcesim apud

apud eos populos, qui Germanico ſermone vtuntur, vnus item ex hoc Collegio, plurimum operæ poſuit. trecentis circiter in vicis, præcipuisq; in oppidis ad confertam multitudinem, etiam alienorum à noſtra fide, verba fecit: ab vſu vtriuſque ſpeciei complures abſterruit: religioſis in paræciis degentibus, vt ſui ordinis habitum gererent, perſuaſit. Cæterum hoc anno ab hæreticis ad Catholicos redierunt vnus & viginti. Quidam, in peccatorum cœno hærens ſurdus ad conciones, precibus nihil promouens, ad frugem rediit, cum ſibi à dæmonibus in barathrum abripi viſus eſſet. Alter cum ſecundum quietem B. Virginem vidiſſet, ſeptam ingenti peccatorum multitudine, vt pro ſe oraret flagitantium, & quando id illa recuſabat, omnem eam turbam præcipiti terræ hiatu abſorptam. Gymnaſium noſtrum, etſi non valde frequens, floret tamen nobilitate, præcipue acceſſu quatuor Principum, Erneſti Croy Ducis Arſchottani ex fratre nepotis, & trium filiorum comitis Salignii è principibus Lotharingis: qui nuper re in Pannonia cum Duce Mercurio fratre ſuo præclare geſta, Viennæ diem obiit. Ad ſcholas etiam ſpectat, quod puer infimæ Grammaticæ ſtudioſus, cum religionis cauſa ad D. Otiliæ ſacellum quod in ſummo monte tertio ab vrbe milliari colitur, ab iis præcipue qui ex oculis laborant, in via viſum, quo ſextum iam menſem carebat, recepit. Extremum hunc annum luctuoſum nobis, totiq; Alſatiæ fecit inopinata mors laudatiſsimi Principis Caroli Cardinalis Lotharingiæ, qui hanc diœceſim bis graui bello in libertatem vindicarat, &

licet perpetuo æger, nunquam non in curam Catholicæ rei, ſalutiſque ſuorum erat intentus. Inuiſerat nos extremo vere, domum peropportunam Collegio adiunxerat; quicquid noſtra cauſa faceret, modicum ſibi videri multis argumentis oſtenderat. Eius iacturam ſolatur Sereniſsimus & Reuerendiſsimus Leopoldus, Ferdinandi Archiducis Germanus, quem iam ante deſignatum ſucceſſorem auide expectamus vniuerſi.

COLLEGIVM CONFLVENtinum.

EReptus huic Collegio Henricus Duiſdorff è diœceſi Colonienſi Coadiutor temporalis, cũ annum ageret ætatis ſexageſimum, initæ Societatis quintum & vigeſimum, vel eo felix, quod animam ſuam pro aliorum ſalute poſuit. Siquidem non in hac vrbe modo, dum eam peſtilentia populata eſt, ſed Lintzii quoq; (quod oppidum ad Rheni ripam Archiepiſcopo Colonienſi paret) viciniſq; in vicis, quos parocho eadem lues orbauerat, vna cum Sacerdote totum ſe ad ſolandos, tractandoſq; ægros dediderat. Plurimũ in commouendis hominum ad pœnitentiam animis potuit. Itaq; ſenem Anabaptiſtam inter ſuos magiſtrum (quo hominũ genere nihil ſolet eſſe pertinacius) à viro Erudito fruſtra ante ſollicitatum, ad Eccleſiam reduxit. Præter hunc tum domi, tum foris eodem conuerſi duodecim. In demortui locum vnus cooptatus. Mulier edocta à noſtro, rebus aduerſis non Diabolum ſed Ieſum, & Mariam ingeminare, præceps iu cellam vinariam delapſa, cum

ita

ita fecisset, incolumis exiit. Diuersatus est interea in Collegio nostro Reuerendissimus & Illustrissimus. Attilius Amalthæus Archiepiscopus Atheniensis, Nuncius Apostolicus, dum pestilentiæ vis Coloniæ desæuiret. Nimirum nō dubitauit optimus Præsul Societatis nostræ cōsuetudinem, splendidæ habitationi, ad quam ei Princeps noster Elector Treuirensis arcem destinarat, anteferre. Tres etiam Principes Electores Ecclesiastici, cum de Rep. in hac vrbe conuentum haberent, sacris nostro in templo affuerunt, quæ eorum primus Archiepiscopus Moguntinus suorū symphoniacorum concentu celebrauit: ac deinde vario orationis genere salutati à nostris, admirabili cum patrib. comitate diu sermones extraxerunt, literasq; concesserunt, quibus materiā reficiendo templo, per omnem Rheni tractum, qui in ipsorum est ditione, deuehendi licentiam permittebant. Vir reuerendus Maternus Gillenfeldius moriens quingentos Collegio florenos reliquit, quorum partem in statuam votiuam B.P.N. Ignatii, partem in templi ædificationem; reliquum in quotidianos vsus impendi iussit. Colenda etiam memoria Antonii Rosbachii, qui & ipse supra non cōtemnendum vini numerum, quem nobis legauit, insuper testamento statuit, vti nostris Boppardia, quo in oppido ad Rhenū, Monasterio erat à rationibus, iter facientibus necessaria parata essent. Templum illi stratum est gemina, sed à tergo iuncta B. Virginis Matris imagine. Ad hoc calix pondere & opere eximius, centum daleris confectus est; quos ea de caussa iuuenis nobilis, cū supremis appro-

appropinquaret, nobis donarat. Accesserunt floreni centum ad lampadem coram sacrosancta Eucharistia alendam, ab eadem virgine, quæ ad id superiori anno alterum tantum contulerat.

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

CAtholicorum quotidie animi conualescunt, & quos antea hæretici à publicis supplicationibus omni arte auertebant, inanibusq; perpetuo disputationibus obtundebant, ii nunc, quod hoc potissimum anno visum est, certatim supplicationem, quanta nemo se vidisse meminit, multitudine celebrant, & plebeii etiam homines allatis iis quæ nostris sermonibus didicerunt, hostium vanitatem & impudentiam sæpe compescunt. Ex errorum cœno extracti duodecim. In his I. V. Doctor, auditis à nostro concionatore nostræ fidei firmamentis, compertaq; Lutheri & Caluini maledicendi, fingendique libidine, ab iis se abrupit. Deinde virgo quæ nullis duorum fratrum minis, aut precibus, quibus eam sex ipsos annos fatigarunt, molliri potuerat, ab alterius vxore impulsa, vt vel semel nostro dicenti attenderet. postquam semel & iterum paruit, cum religionem tum etiam mores Catholicos induit. In æde D. Ludgeri, rogatu Decani, pueros de capitibus fidei nostræ erudire cœpimus, non sine obtrectationibus inuidorum, qui Iesuitas res nouas moliri, & exemplo Anabaptistarum, fallacibus pietatis officiis rudem principio ætatem pellicere, cæterum sacrorum maiesta-

maieſtatem imminuere iactabant. Compertum eſt has maleuolorum voces. Quas vt facile contemneremus, fecit non modo Sereniſsimi & Reuerendiſsimi Electoris Colonienſis huius diœceſis adminiſtratoris, auctoritas, cuius iuſſu hæc puerorum inſtitutio cœpta eſt, ſed multo magis ciuium ardor, qui non liberos modo ſuos, verum etiam ſeipſos certatim informandos noſtro Catechiſtæ præbent. Ex Sodalium cætu quatuor Societatem, quatuor aliorum religioſa inſtituta ſunt complexi. Iam vero quantum diſcipuli noſtri in bonarum litterarum ſtudiis proficiant, aduerſarios noſtros teſtes habemus. Nam cum Doctor quidam Marpurgenſis, qui in illa Academia hæretica plures annos eas literas publice docuerat, eo tempore hac iter haberet, quo noſtri adoleſcentes palam ſui ingenii, propoſitis ad legendum carminibus, ſpecimen dabant, teſtatus eſt, in eo genere decuplo Monaſterienſes Marpurgenſibus præſtare: cumq; eorum nonnullos (& producebantur in medium) ſextum decimum annum vix egreſſos eſſe cognouiſſet, felices eos etiam atq; etiam prædicans, ſe perpetuum eorum laudum præconem profeſſus eſt. Verſatur in hoc Gymnaſio adoleſcens enutritus in Lutheraniſmo, qui cū ſeptentrionales omnes eius doctrinę ſcholas obiuiſſet, mirificamq; eorum diſcordiam cōperiſſet, veræ religionis inquirendæ cauſa Monaſterium venit; quam ſimul agnouit, ad eam propenſo animo ſe contulit. Vrunt hæc quidem hæreticos, neque ceſſant parentes deterrere, ne noſtræ diſciplinæ filios ſuos commendent, illud potiſsimum cauſſati,

ſati,ad Societatem dolis pellici.Itaq; non dubitauit vnus quidam Caluinianus profiteri, malle ſe ſuis manibus filium ſuum mactare, quam Ieſuitis informandum dare. Verum breui tam inſignis amentiæ pœnas dedit. Filius enim Caluiniano in ludo tam belle profecit,vt, cum eius luxui parentis opes pares eſſe non poſſent, primum furti,deinde etiam homicidii reus, non ita multo poſt capite truncatus ſit. Nos interea haud ſane laboris, qui in hac erudienda iuuentute ponitur, pęnitere debet,quando eorum,qui ſuperioribus annis exantlati ſunt, vberes iam fructus metimus. Certè vnus cum è noſtra diſciplina ad procurandam populi ſalutem veniſſet, in quo, præter quatuor,omnes in ſacris participandis vtramq; ſpeciem flagitabant, breui perfecit, vt quadringenti Catholicum morem ſequerentur. Sed neq; ii noſtræ inſtitutionis memoriam deponunt, qui mercaturæ ſtudẽt. Ex iis quidam cum ſemel & iterum in hæreticis oppidis morbo correptus eſſet, non prius ad ſanitatem profecit, quam huc redire, & ſacramenta obire ſtatuiſſet.Ad extremum commemoranda nobis eſt Sereniſsimi Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis humanitas,& beneficentia,qua cum hanc ſuã diœceſim luſtraret,templumq; noſtrum, atq; Collegium inuiſiſſet, nos eſt complexus. Salutatus à duobus adoleſcentibus, qui Principum Apoſtolorum,quorum alteri templũ,alteri gymnaſium ſacrum eſt, perſonam referebant, audita commemoratione meritorũ, quæ plurima eſſent à Sereniſsimo parente eius Alberto Bauariæ Duce in Societatem profecta,qua eſt pietate, lachrymas

non

nō tenuit. Primariis Canonicis, vt quod ad iustam fundationem deerat vectigalium, adiicerent, deq; ea re extemplo literas conficerent, cœnobiarchæ vero, cuius iuris erat domus Collegio vicina nostris vsibus peropportuna, vt ea aliam æque commodā secū mutari pateretur, auctor fuit. Senatus Monasteriensis quod adhuc obtineri nequiuerat; hoc tandē anno, interposita Rudolphi Cæsaris auctoritate, copiam nobis fecit, aliquot vini dolia, ab omni vectigali immunia in vrbē inuehēdi. Interea non cōmisit Deus, quin, vt assolet, hæc læta tristib. permisceret. Nam cū nonnulla ciuium insolentia edicto Cæsareo castigata esset, improborū hominum calumniis eius nos auctores esse vulgatū est, persuasumq; quamplurimis, non nisi eiectis Iesuitis, ciuitatē pacato tranquilloq; statu vsurā. Deo de prosperis deq; aduersis laudes gratesq; agimus in quo vtriusq; tēporis spem omnē collocauimus.

COLLEGIVM PADERbornense.

HÆresim Paderbornæ exuerunt sedecim, quos inter vnus quem ex Parocho Catholico insaniæ præconem factum, datis non leuibus pœnitentiæ, constantiæq; in posterum argumentis, sacris commentationibus armauimus. Ad mulierem vero suæ perfidiæ, supra quam credibile est, pertinacem expugnandam auxilio nobis in primis fuere filii eius optimi adolescentis preces, & crebræ ardentesq; literæ. Missio Rsbergensis, quæ ad Comites Orientalis Frisiæ instituta, tandē hoc anno finem accepit; suffecto in nostrū locum Sacer-

Sacerdote Collegii Germanici quondã alumnõ, quem pro ea doctrina ac virtute, qua valet, cœpta nostra tum in hæreticis corrigendis, tum Catholicis confirmandis prosecuturum confidimus. Certe ipsi comites Societatem colere non desinunt, nostrumque nomen tuentur qua possunt. Itaq; hominẽ, qui maledicas in nos chartas sparserat in vulgus, intra quatuor & viginti horas solum vertere coegerunt. Natalitiis Christi Sacerdos eos, ipsorum rogatu reuisit, multisque sacra mysteria impertiit. In vrbe effectum, vt nobilis Catholicus, qui dum domesticum sacellum ab hæreticis profanatũ pristino nitori restituere molitur, à cognato eius vesanię patrono vulnus acceperat luculentum, eam iniuriam non armis & cædibus, quod futurum videbatur, sed meliore via, & eum religionis emolumento refelleret. Illud hoc anno singulare Sodales sunt aggressi, vt diei tutelari huius vrbis sacro iam pridẽ hæreticorum nequitia intermissam venerationem votiuo sacro restituerent. Vicinum oppidum opera Parochi, & Præfecti, qui ambo è disciplina nostra prodierunt, iam tandem veræ fidei lucem, cui adhuc contumaces oculos clauserat, lætum libens hausit. In altero oppidanorum animi, zelo Satrapæ, & sermonibus Sacerdotis, nostri item alumni, sensim emolliuntur. Templo datum quantum olei ante sacram Eucharistiam anni spatio consumitur, ex voto viri primarii: quod cum fecisset, filius eius è periculoso morbo diuinitus recreatus erat,

COL-

COLLEGIVM EMBRICENSE.

HOc tandẽ anno voluntate Serenissimæ Antoniæ Cliuiæ Ducis, quæ suos ad id legatos misit, in laxiores, atq; ad vsus nostros accommodatiores ædes traducti sumus. Habitabantur ante à duabus duntaxat virginibus tertiam D. Francisci regulam professis, quas sine præsidie, sine custodia agentes Iureconsultus quidam amicus noster, nobis inscientibus, perpulit, vt ea domo iam pridem Canonicorum decreto, & Nuncii Apostolici auctoritate nobis designata, viuentes sponte cederent. Ita absq; cuiusquam offensione, absq; vlla nostris institutis aliena conditione templum, & Collegium bene amplum in superiore vrbis parte habemus. Instauramus nunc & reficimus; quæ vetustate collapsa erant. Quam in rem Serenissima Dux quingentos daleros, vir nobilis ducentos, consiliarius Principis trecentos, virgo pia centum, vt alios prætercam, eleemosynæ nomine donarunt. Cæterum decessit è vita Ioannes Linden, classis infimæ moderator, animo tam tranquillo, vt nullum de proroganda vita sermonem vellet admittere, neq; aliis quam de Deo colloquiis oblectaretur. In eius locum adolescens è gymnasio probatus successit. Duo professione & votis publicis se Deo obstricturi arctius, cum, de more, nõ hic modo, sed etiam Cliuis, vbi frequentes degunt hæretici mendicatum irent, incredibili hominum munificentia an pietate sunt vsi. Ducentos omnino ex hac sola vrbe daleros tulerunt. Et fuerunt qui collatum panem, precario repeterent, vt eo velut iam sacrato vescerentur. Cliuis

vero Cancellarius Principis, cum nostros frustra domũ inducere tentasset, posita in vestibulo mẽsa, ac liberis pietatis ergo, ad eã submissis genibus adesse iussis, vna cum nostris mendicis vir grauissimus discumbere non erubuit. Nobilis adolescẽs inter sacras meditationes, quibus domi nostræ vacarat, cum ad Capucinorum familiam adiunxisset animum, ne ei obsequeretur, præpropera, sed pia & optabilis mors fecit. Scholæ auditores plusquã quadringentos habuerunt, ex variis prouinciis etiam hæresi maxime inquinatis. Qui de sodalitate sunt Virginis Matris, cum pristinis pietatis officiis se exercuerunt, tum eum hoc anno suæ religionis fructum cœperunt, quod eorum exemplo Vrbanæ Tribus supplicationem quotannis tædarum accessione ornandam susceperunt. Eorum qui diuina mysteria apud nos participarunt, nouem fere millium numerus fuit: confitentium longe maior. Hæresin deseruere plus quam viginti. In iis fuit virgo honesto loco nata, quæ hæresin à teneris hauserat, mordicusq; tuebatur. Fœmina quam pudor à confessione deterrebat, ieiuniis duntaxat & lachrimis culpas abolere nitebatur. In iis cum noctem insomnem aliquando duceret, bis ex arcano vocem audiuit, frustra eam se fletu & inedia affligere, donec mentis ægritudinem confessione releuaret. Fœmina sesquianno postquam Catholicis se coniunxerat, tantum in omni sanctimoniæ genere profecit, vt ipsis etiam hæreticis approbantibus, in sacrum se cœnobiũ abdiderit. Idem factum à quinq; aliis nobis confiteri solitis. Virgo

Iudæa

Iudæa quæ iam inde à pueritia Christianorum religionem amabat, Iudæorum nequitiam execrabatur, clam à piis hominibus ad Sacerdotem nostrum adducta; ab eo iussa erat Dei gratiam orare, & peccatis temperare. Longo post eum sermonem interuallo, diuinitus impulsa, suis insciis ad Christianam virginem venit, & En, inquit, præsto sum: meos deserui. Vestrum nunc est iudicium ad eos reuertar, an vobiscum maneam. Illa nihil cunctata manere iubet. Fit certior magistratus, Iudæi res ei suas restituere iubentur. mensem ipsum Catechismo à nostris eruditur, triduiq; suscepto ieiunio magna omnium gratulatione baptizatur; à B. P. Francisco Xauerio, cui is dies sacer erat; Mariæ Franciscæ nomen accepit. Baptizatus etiam est adolescens anabaptistis natus parentibus; cui ad hæreticum oppidum, atq; ad suam perniciem properanti, Sacerdos quidam pius, auctor fuerat, vt huc se ad Collegium Societatis conferret, & aures accommodaret salutaria præcipientibus. Paruit, & aliquot hebdomadis institutus, ad salutem peruenit. Excursum magna anni parte Cliuos, vbi est Ducis curia, atque ibi multi mortales, præsertim triduo ante pascha pœnitentia lustrati, ab vtraq; specie, ad Catholicum ritum traducti, restituta Quadragesimiæ obseruatio, sanctioris hebdomadæ diebus quotidie passionis Domini historia explicata, magni pietatis motus excitati. Qua, vt equidem arbitror pietate delinitus DEVS, ingens ab hac prouincia discrimen depulit. Nam cum seditiosi milites,

qui à Catholici regis exercitu ſeceſsione facta, cum Hollandis conſpirauerant, ad Rhenum in conſpectu adituque Cliuorum munitione facta, eo conſilio conſediſſent, vt vel tributis, vel populationibus hanc omnem oram expilarent, Deo auctore factum eſt, vt ipſiſmet Hollandis auctoribus, locum opportuniſsimũ deſererent. Addidit ea res Catholicis animos, vt, quod annis prope quadraginta intermiſſum erat, Dominica, quæ proxime Pentecoſten antecedit, tota vrbe ſupplicatum irent, eamq; pompam, noſtro Sacerdote pro ſuggeſtu hortatore, & multitudine comitantium, & ornamentorum varietate egregie honeſtarent.

COLLEGIVM HILDESIenſe.

MIgrauit ex hoc Collegio, vti ſperamus, ad cœlum P. Ætherius Richardi, homo mirifici Candoris & innocentiæ. Noſtrorum in hac vrbe labores non ingratos eſſe Deo, vel ea fides eſt, quod hæretici peſsime nos oderunt. Si quidem quos poſſunt, oppoſito etiam terrore, à noſtra conſuetudine deterrẽt. Itaq; aliquot ſuarum Scholarum ſtudioſos idcirco virgis ceciderunt, quod Ioſephum, quem noſtri gymnaſij adoleſcẽtes agebant, ſpectaſſent. Superintendens item, vt vocant, cum ferre non poſſet intra eadem ſecum mœnia Ieſuitas agitare, vrbe ceſsit ac digrediens ſe proſequentes, Pontificis inſtar benedictionibus impertiuit. Exculti ſpiritualibus exercitiis quinq; in qui-

in quibus duo Cathedralis Ecclesiæ Canonici, singulari cum suo aliorumq; emolumento. Venere ad nos magnis itineribus, etiam alienorum à fide nostra Principum asseclæ, iiq; cum sermonibus, tum appositis ad eam rem libellis in religionis instituto confirmati sunt. R. P. Ioanni Hammero, qui, cum primus in hanc vrbem Societatem inuexisset, eamq; complures annos rexisset, multis perfunctus laboribus excessit è vita, neptis fuit etiam tum hæresi addicta. Hanc qui nullo studio, neq; opera ab ea mente viuus abducere potuit, nunc mortuus, suis, vt equidem reor, precibus ab exitio asseruit. Nam cum eam nobilis virgo, in cuius gynæceo versabatur, concionatori heretico nuptui dare vellet, à matre deterrita, atq; ad nostros perducta, non modo tam nefandum connubium, sed etiam pristinam impietatem detestata, peccata rite eluit, iamq; tantas fecit in pietatis ardore progressiones, vt & virgine illa, aliisq; nobilibus eius constantiam demirantibus beneuolis vtatur. Itaq; facile eam patiuntur, quibus diebus assolet, apud se carnibus, aliisq; vetitis cibis abstinere. Illud vero salutare, quod eius admonitu maledictis in virginem Deiparam iam temperant. Neque est verita eiusdem Diuæ effigiem, quæ pro portis hæretici Oppidi, sed multo situ & squalore obsita adhuc visitur, deterso omni puluere, non modo suo nitori restituere, sed etiam eleganti veste ornare. Gymnasium accessione classis Rhetoricæ, quotidianæ scholæ Dialecticæ, & geminæ singulis hebdomadibus catecheticæ, amplificatũ est. Pietas vt in medio tam deprauatæ nationis,

adoleſcentum noſtras ſcholas celebrantium ſane eſt eximia. Fuit adoleſcens tenera ætate, qui cum à nocte intempeſta, ad ipſum prope ſequentem meridiem, frigidiſsima tempeſtate, natali Domini noſtri perſeueraſſet in precibus, negauit ſe vllam frigoris moleſtiam percepiſſe. Beneficentiæ in pauperes fuit illud argumentum, cum vnus miſeratus aduenæ nuditatem, eum ſibi detracto pallio contexit. Enituit etiam Partheniorum Angelicorumq; ſodalium cum in aliis obeundis virtutum officiis, tum præcipue in retinenda veteri religione, conſtantia, à qua vnus imprimis nefarius parens filium ſuum, qui ſe in noſtro Gymnaſio Eccleſiæ adiunxerat, magno licet conatu, fruſtra reuocare tẽtauit. Adhæc profuit excurriſſe Magdeburgum, & Halberſtadium, quod & confitentibus nauata opera, & pluriũ animi ad omnia pro religione fortiter patienda firmati ſunt. Qua de liberalitate amicorum, ſacra ſupellex egregio apparatu ad Diuinæ Euchariſtiæ tabernaculum conueſtiendum, bibliotheca vero, à duobus Doctoribus, compluribus vtilibus voluminibus locupletata eſt.

COLLEGIVM AQVISGRAnenſe.

QVi de noſtris Aquisgrani degunt, in omni charitatis officio, atq; adeo in hominum peſte laborantium cura verſati, cum ab aliis malis complures, tum amplius quadraginta à peſtiferis erroribus reuocarunt. Habitæ & conciones de

tradenda pueris Catechesi; quibus perfectum, vt eæ scholæ longe, quam ante sint frequentiores. Eas mirifice exornat cantus puerorum, quo fit, vt nonnulli ante capita religionis Christianæ imbibant, quam per ætatem pronuntiare posśint. Peregrinorum, eorumq; qui huc ad calidas balneas ventitant, mentibus consultum, vt fuerit, qui etiam gauderet se in corporis morbum esse delapsum, quod is animo salutem attulisset. Multi mortales quos infernæ laruæ, & intemperiæ agitabant, vel confeśsione peracta, vel appensa ad collum agni Dei effigie, vel pronunciato à nostro Sacerdote vnico exorcismo, animi tranquillitatem sunt adepti. Instituta noua Sodalitas B. V. annunciatæ, in quam primarii quique cum Cleri, tum ciuitatis viri sunt allecti; atque hoc anno exeunte ad Romanam est aggregata. Extremis Hilaribus ad duo vrbis templa pro communi harum regionum pace supplicatum iuit. Ad Grammaticæ, & Humanitatis scholas accesśit Rhetorica. Non sine singulari Dei prouidentia factum est, vt pars infimi ludi Grammaticæ, vetustate, semihora prius collaberetur, quam in eum bona puerorum pars, vt assolet, conueniret. Sed longe etiam maius nos, ciuitasque vniuersa discrimen, Dei nutu euasimus, cum Batauorum copiæ, improborum ciuium, qui Cæsareis edictis, solum superioribus annis verterant, rogatu, huic vrbi imminerent. Verum vbi detecta sua consilia, vigilare Senatum, custodiri mœnia senserunt, in vicinum oppidum, cui ab

Hercule nomen, furore conuerſo, illud cœperũt, diripueruntq; In ea vaſtatione duo milites, quorum alter Chriſti cruci affixi ſimulachrum ænea fiſtula diffringere, alter D. Annæ cœli Reginam ſinu confouentis effigiem non ſine maledictis violare eſt auſus, meritas ſuæ veſaniæ pœnas dedere. Nam huic abſciſſo in ipſo conatu pollice, nulla quies data eſt, donec templo ablata redderet: illi vero, diſsiliente inter moliendum fiſtula, oculus excuſſus, neq; longe poſt, vita erepta eſt. Cœpta huius anni exitu ſacra fieri in tẽplo, quod non valde laxum, nõ tamen in opportunum noſtris rationib. ad ædes noſtras moliti ſumus, cum ante in Æde D. Virginis, conceſſo in tempus Sacello vteremur. Ad id Sereniſsima Antonia Dux Cliuiæ quingentos, varii ciues ſexcentos, piæ virgines ſacras reliquias contulerũt. Coemptę etiam tum aliorum, tum præcipue Reuerendi & Nobilis Decani Ioannis à Thomberg., cognomento VVormbs, ope vicinæ ædiculæ duæ, è quibus in Collegium erat proſpectus.

SEDES ERFVRTENSIS.

Hoc anno Ioannes Suicardus Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus noſtros, qui Erfurti adhuc in eius aula, quam habet in ea vrbe, loco minus appoſito ad religioſum morem, erant diuerſati, miſſa huius rei gratia ad clerum honeſta legatione, in ſeiunctas ædes tranſtulit, & vectigalibus, quæ quatuor de Societate alendis ſufficiant, auxit. Neq; defuit aliorum, atq;

inprimis

in primis nobilis viduæ Magdalenæ Fensterinæ liberalitas, qua vtensilibus, & omni prope necessario penu large instructi sumus. Porro tametsi magistri impietatis omni conatu nostris consiliis obsistant, abstracti tamen ab eorum colluuie nostrorum opera, admodum quatuordecim; & in his virgo domo nobilis, quadragenaria maior. Cœlesti epulo mille centum, & quinq; refecti, inter quos complures è media Thuringia, Misnia, Saxonia aduenerant. Exercitationibus sacris duæ prope totæ virorum religiosorum familiæ, ac duo Ecclesiastica dignitate præditi, grandiq; natu viri exculti.

SEDES ALTENENSIS APVD Hamburgum.

NOstris qui Altenæ ad oram maris Germanici ita adhuc versati erant, vt hominibus, ipsis illis, quos prospectant, fluctibus insolentioribus, immanioribus vterentur, iam tandem, Deo volente, tranquilliorem tempestatē sunt nacti. Nam & Illustris Comes ipse Ernestus ab Holstein, & Schavvenburg, in constantem, & alio, atq; alio non semel spatio temporis definitam habitationem, in vigesimum annum proferendi potestatem fecit, & summus pro eo huius oppidi Præfectus magna nos humanitate, & beneuolentia cōplectitur. Itaque & domum nostram inuisere, & nobiscum vna prandere, & scholas adire, salutarique à puero appositis versibus non est dedignatus. quin & in hyemem lignis nos donauit. Ita

fracti sunt plebis animi, cuius ante tanta erat in nos resq; nostras audacia, vt nullum prope commeatum tuto inferre liceret; quin apparitores in culinam, ac cellam penariam inuolarent, vasaque extraherent. A scholis nostris bruta concionatorum aduersariæ partis fulmina plurimos deterrent; ad dialogum tamen, quem extremis Hilarium diebus, dedere discipuli nostri, certatim se Hamburgenses effudere; & conciones tam sunt frequentes, vt iam quartum Sacellum laxandum fuerit. Mercatores, quorũ sumptu hic degimus, consilio P. Prouincialis, de maiore æde deliberãt, ad quam à Comite iam viginti quercus donatæ, aliæq; impensæ collectæ. Octo reuersi ad Ecclesiam, inter quos vnus, qui ipsos quatuor & viginti annos sese totum ita Lutherismi, Anabaptismi, Arianismi sordibus immerserat, atq; conspurcarat, vt se ipse ferre non posset. Conuiuas dominicæ mensæ habuimus duos & quadraginta supra ducentos. Illud vero accidit ad vim religionis nostræ ostendendam sane efficax. Aurigæ cuidam hæretico, qui in suburbio Hamburgẽsi habitabat, quatuor & viginti equi simul atq; pedem in stabulum intulissent, ordine mortui corruerant. Apparebat maleficium esse: remedium quærebat, indicebantur ab hæreticis pro suggestu, singulis concionibus, preces, & vota. Sed frustra fuere omnia, donec fœmina Catholica homini persuadet, vt ceram consecratam limini equilis includat. Paret ille, & iam, admirante vniuersa ciuitate, quatuordecim equos, absque vlla noxa, eo quotidie du-
cit, ac

cit, ac reducit. Res domestica censu mille dalerorum creuit; accessere è testamento adolescentis Catholici quinquaginta, aliaq; aliorum haud vulgaria beneficia.

SEDES HAGANOENSIS

SEdes Haganoensis incrementa in dies capit, non Sociorum modo numero, sed etiam fructu auctior. Vnum Societati dedit, Fidei auitæ vndecim reddidit. Vicinus Comes alienus à religione, sed in Societatem propensus, cum super eius mensam Sacerdos, quem è nostro Collegio accersierat, duos mendaciorum caupones, disputando oppressisset, & eorum inscitiam, leuitatem coarguit, & egregia suæ in nos humanitatis documenta dedit. Senatus huius vrbis Sacellum ædibus nostris continens nobis sane opportunum, non modo tradidit, sed etiam sua impensa ornauit. Id tum alias sæpe, tum quo die primum in eo sacrificium longissimo interuallo, factum est, maxima populi multitudine celebratum est. Quid quod etiam ludum habere cœpimus. Nam cum gymnasium mediocre ab vno rectore, & duobus magistris administraretur, Catholicorum socordia superioribus annis eo res erat delapsa, vti Rector, & alter magistrorum semper esset prauis doctrinis imbutus, ac Lutheri Catechismus, aliique pestilentes libelli à pueris discerentur, donec superioribus annis, postquam Catholicis animus rediit, Catholico Rectore suffecto, vnus duntaxat hæreticus hypodidascalus

relictus

relictus est. At hoc anno Rectore, & Magistro Catholico peste sublato, visum est Senatui faciundum, nihil admodum contra nitentibus hæreticis, vt nobis tantisper gymnasium traderet, donec de Collegio cõstituendo videatur. Vbi P. Prouincialis certis conditionibus auctor est factus, ipso die D. Virgini Præsentatæ sacro, re diuina in Sacello nostro peracta, à primoribus Senatus ad iuuentutem, quæ in Gymnasio conuenerat, deducti sunt magistri nostri, eaq; honesta oratione nobis in posterum ex Senatusconsulto parere iussa est. Placuit tamen, ne qua tumultus occasio daretur, profitendum esse, nemini qui religione dissideret à nobis, vim adhibitum iri, & hæreticum illum hypodidascalum tantisper in eo munere relinquendum esse, dum à Cæsare, quæ expectantur, decreta, pro statu Religionis Catholicæ fiant; aut certe, vbi se nostros æquare posse desperarit, sponte prouinciam ipse deserat. Numerus discipulorum ab initio, cõtinuo maior esse visus, præsertim postquam hæretici, liberos suos, quos inani spe alterius gymnasij pro suis aperiẽdi sustentati, aliquandiu detinuerant; omnes præter vnum ad nos miserunt. Atq; hæc maxime gesta sunt, cum turpissima fabula, de Collegio Monachiensi ab aduersariis in popinis, circulisq; iactaretur. quã qui primus inuexit in hanc vrbem, eum Magistratus, reliquis exemplis omnibus multatũ coniecit in vincula, ac literas Senatus Monachiensis, quibus purgabantur nostri, palam proposuit. Ita nescias munificentiorem ne se in re nostra augenda, an constantiorem in nomine tuendo præbeat.

SEDES

SEDES VVORMATIensis.

E Duobus Sacerdotibus, qui VVormatiæ morantur, alter P. Gisbertus Bernardi natione Hollandus, patria Harlemiensis, ad eos iuuandos qui in pestiferam luem essent delapsi, destinatus à Superioribus vitam suam, cuius quatuor & viginti annos integre, pieq; in Societate posuerat, cum ipso genere mortis, contracto aliorum causa morbo, tum duobus illustribus caritatis officiis, præclare finiuit. Nam cum paullo ante ægritudinem forte ad Rhenum egressus, adolescentem nostræ olim disciplinæ alumnum, in ripa animam prope agentem offendisset, ac deinde de scheda, quam prouidus adolescens, huius rei gratia, paratam gesserat in sinu, peccata sua, quoad inter mortuis vocibus licuit, confessum expiasset, eundem in spectante populo, & hæreticis iuxta, Catholicisq; mirantibus, collaudantibusque vna cum socio, sublatum in brachia, deducit ad valetudinarium, vbi eius rogatu, accurate habitus, sacroq; viatico munitus, animam pie exhalauit postridie. Iterum, cum iam exitiali morbo teneretur, accepissetque esse, qui supremis proximus, suam operam requireret, inter aliorũ manus deductus, ad hominem perreptauit, eumq; pœnitẽtiæ sacris expurgauit. Sepultus ad ædem sacrarum maximam, in Sacello D. Virginis, inter nobiles. Funus prosecuti clerus, & populus. primo, septimo, tricesimo ab obitu die, in principe templo pro eius salute sacrificatum, & triginta diebus quotidie, finitis ante meridianis

ridianis officiis, ſepulchrum eius, aqua luſtrali, ſolemnibusque, precibus luſtratum. Alter in primaria vrbis parochia confeſsionibus audiendis, habendisque concionibus diſtinetur. Eſt etiam cum in ſumma æde, funeribus, ſupplicationibus verba facit. Cœleſti menſa in Sacello D. Nicolai, quod noſtris functionibus attributum eſt, mille ducentos quinquaginta refecimus. Doctrina Chriſtiana, quæ ante peſtem tribus locis tradebatur, celebratur præcipue in ludo primariæ ædis vbi Epiſcopi, Canonicorumque voluntate, non paruuli modo, ſed adulti etiam, qui frequentes conueniunt, permiſtis non raro hæreticis, religionis capita edocentur. Damnata hæreſi, Eccleſiæ adiuncti tres & viginti, vt alios taceam, quibus labes, quas eis diuturna cum hæreticis conſuetudo aſperſerat, deterſæ ſunt.

LITTERÆ

LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ AVstriæ 1607.

Loca Prouinciæ Austriæ, vbi Societatis nostræ homines sub finē huius anni M.DC.VII. commorati fuerunt, quatuor fuerunt & viginti. Collegia decem: Domus Probationis vna: Residentiæ septem: Missiones sex: Socii trecenti octoginta nouem, præter quadraginta quinq; Nouitios. In Collegio Viennensi triginta octo: Pragēsi vnus & quadraginta: Græcensi nonaginta: Olomucensi triginta nouem: In domo Probationis veterani Brunenses vnus & viginti, præter septem Patres tertium annum probationis agentes, & Nouitios quadraginta quinq;: In Crumlouiensi Collegio decem & sex: Commodouiensi totidem: Nouodomensi quatuor supra viginti: Labacensi decem & octo: Glacensi sex & decem. Glagenfurtensi decem & septem In Residentia Ad S. Bernardum quinq;: In Lincensi quatuor: In Bernartictensi tres: In Millestatuensi quinq;: In Pletriacensi sex: Bagrabiensi quinq;: Eberndorfiēsi quatuor In Missione Posoniensi duo Zickovvicensi duo Passa-

Passauiensi duo: Cremsiriensi duo: Brumouiensi duo: Habrouana itidem duo. Duo etiam Patres in Transyluania commodũ animarum procurant. Ex hac vita abierunt hoc anno quatuordecim: ad Societatem accepti triginta quatuor.

COLLEGIVM VIENNENSE.

Qui nostrarum personarũ numerus annis superioribus in Viennensi Collegio degentium collectus fuit, is fere etiam hoc præsenti anno 1607. colligi potuisset, nisi eundem nobis, proxime antecedentis anni atrox illa pestilentia plurimis circumquaq; Prouinciis immaniter grassata, decimasset; offecissetque etiam habitationi plurimum inopinata flamma; quæ incredibile est memoratu, quam subito antiquissimum in tota Germania Societatis nostræ domicilium piissimiq; Cæsaris Ferdinandi monumentum æterna dignum memoria, prostrauerit atq; deiecerit. Fuere nihilominus qui Viennæ tum ante tum post busta illa Collegii deformia, de nostris hominibus vixerũt numero triginta quinq;. Sacerdotes quidem duo de viginti, non Sacerdotes septem & decem Duo ex Sacerdotib. in publica Academiæ D. Thomam docuerunt. Vnus domi quæstiones ad conscientiam spectantes explicuit. Duo curriculum Philosophiæ docendo persequuntur vnus item Rhetoricam in Gymnasio nostro prolegit. Concionatores ordinarii quatuor; vnus Serenissimi Archiducis

ducis aulam: alter primarii vrbis templi: duo reliqui domi nostræ. Duo insuper adolescẽtium, qui sub nostra cura degunt contubernio præfuerunt. Eorum vero, quos in Sacerdotibus non numerauimus, quinq; humaniorum litterarũ Magistros egerunt. Duo fuere sacræ Theologiæ discipuli. Duo item Philosophiæ, reliqui fratres cæterorum operũ administri. Delectus est ex hoc toto numero vnus, qui perfectum ex se Deo sacrificium compleret. Fuit P. Ioannes Reinelius Catanensis Bohæmus, professus ante annos viginti vota quatuor, homo ætatis annorum quatuor & sexaginta, ex quibus quadraginta quatuor in Societatẽ transegit. Hic igitur cum iam ex laboribus multis & morbo asmatis indies magis ac magis ingrauescente, ad eum diem, qui vitæ ei supremus fuit, perductus fuisset, eundem diem, vt & plures præcedentes, quasi certiore quodam vitæ alterius cõprehendendæ augurio, in piis ad Deum precibus, libelloq; litaniarum suarum euoluẽdo transigendum sibi esse censebat. Porro circa vespertinum tempus visitatus à Medicis, nullum adhuc signum discessus ex hac vita sui præseferebat: vnde Medici constitutis iis, quæ ad eorum officium spectare videbãtur, recesserunt. Pater autem post cœnulã allatã ex parte refectus, atq; ad quietem sẽ se componẽs, aqua sacra se ipse aspersit, signumq; sibi viuificæ crucis impresſit: ac demum valetudinis Curatorem & Sacerdotem alium, qui tunc ei aderant exire cubiculo iubens precesq; eorũ postulans, in latus quasi dormiturus se se collocauit. Quod tempus vltimum ei vitæ terminum attulit.

Loco enim ſomni morte ſtatim apprehenſus fuit, ſuauiterq; in Domino obdormiuit. Concionibus à primis initæ Societatis temporibus adeo deditus fuit, vix vt eum vel morborum aſperitas, vel multæ etiam & variæ occupationes à ſuggeſtis abſterrerent, quo conatu & labore tantum profecerat, vt ad præcipuas Viennenſis ciuitatis Cathedras vltro frequentiſsime inuitaretur: ex quibus concionans Societatis auctoritatem & conſeruabat ſolide, & mire promouebat exiſtimationem. Ad conciones matutinas domi noſtræ habitas adiungebat pluribus annis alias quoq;, quas ad detentos in carceribus (qui ei maxime ſemper curæ fuerunt) habebat. neq; ex celebrioribus modo locis, ſed ex humilioribus etiam exedris magno animi ardore ſementem verbi Dei prædicando mentes rudium imbuebat. Ille ægrotos viſitare, cõfeſsiones ſedulo accipere, ille miſeros & vinctos omni ope iuuare, ille ſupplicio afficiendos primum Sacramentis præmunire, præmunitos vero ad locum cædi deſtinatum, Chriſtiana charitate pleniſsimus comitari, ille cohortationes ad fratres domi habere, ille Collegiis paupertate atq; indigentia preſsis corrogatis labore ſuo eleemoſynis pro virili opem ferre, omnibuſq; ſe affabilem & benignum præbere ſolitus erat. In Caſtris ſemel atq; iterum Sereniſsimis Archiducibus adfuit: eoſdem ſimiliter Romam, in Hiſpaniam, Poloniam, Tranſyluaniam comitatus eſt: Strenuam vbique operam concionibus, & piis operibus nauando. Miſsiones etiam aliquas gnauiter obiuit. Verum in Concionibus, & cõſuetudine familiari

clare

clare exponere audebat: neminique palpare, aut blandiri, præſertim diuitibus, à quibus non tam petebat eleemoſynam, quam dari præcipiebat; iuxta illud ſuum: Præcipe diuitibus rem: In tribus primariis Prouinciæ Collegiis Rectoris munere functus eſt, in Religioſa diſciplina procuranda vbiq; ſtudioſus fuit. Ad extremum vero iam cœlo maturus laborum ſuorum præmium in immortalitatis domicilio, vt pie ſperamus, à Deo conſecutus eſt. Cæteri pro ſua quiſq; virili officiũ ſuum præſtitere. Ab hæreticis ad ſigna Catholicorum ſe ſe centum viginti octo receperunt. Horum aliqui inſigniores. Vir fuit inter ſuos honoratus, & conſulis munus gerens. Hic cum accepiſſet Principem ſuum vniuerſa ſua diœceſi grauiſsimo edicto cauiſſe, ne quis extra Caluini doctrinam, vllam aliam complecteretur; precibus agendum eſſe exiſtimauit in ſua ſibi cum lacte materno hauſtâ Lutherana hæreſi, ciuibuſq; ſuis permanere & viuere liceret. Quod vbi ad Principẽ perlatum fuit ne quid ex ſemel promulgato atq; etiã in vulgus diſsipato interdicto deminueretur, præcipitur conſuli, domi, vt ſuæ tam diu ſe contineat, quoad de cauſa eius aliter tranſigatur. Hæret itaq; conſul domi, & ſeuerioris alicuius regulæ nuncium triſtis & mœrens opperitur. Tranſactis igitur hebdomadibus decem Iudex triſtis percellit aures cõſulis, eumq; in carcerem abire compellit, dum in carcere conſul tenetur, prouentus eius conſcribuntur; poſſeſſæ facultates in fiſcum rediguntur, dignitas conſularis alteri confertur. Diebus quatuordecim, ſuperatis vinculis abſoluitur: ſed cum

neq; domus sibi ianua pateret, neq; sustentando corpori suppeteret quicquam, secum ipse suam vicem miseratus peregre abit, & forte fortuna hic Viennæ in hominem nostrum incidens, ab eo veræ Religionis dogmatibus imbuitur. Quid amplius? fit ex lupo agnus, & iacturam bonorũ suorum, postquam veræ fidei opes assecutus fuerat, in minimis posuit. Sed hoc proximũ, vti perrarum, ita & memoratu dignissimum est. Caluiniana hæresi ab ipsis nascentis ætatis primordiis imbutus homo, diuersarum etiam linguarum peritia doctissime eruditus, postquam Gallias, Hispaniam, Italiam & alias plerasq; prouincias veræ religionis causa peragrasset, nec vsquam animo quietem reperisset hunc tandem etiam venit, vbi à nostris in fidei rebus melius instructus, veritati manus dedit, & Catholicis adiunctus est. Repertus est etiam senex, qui annis abhinc viginti Ecclesiam deserens infami falsorum Euangeliorum turbæ se adiunxerat, sed falsis opinationibus, Concione nostri Patris de pectore eius extritis, ac penitus abolitis, præmissa in primis ingẽti vi lacrymarum, depositaq; cum dolore maximo peccatorum sarcina, quod ouile deseruerit, cũ vtilitate repetiuit. At etiam vnus ex numero prædicantium, qui antea nihil pensi, nihil sancti, nihilq; moderati hominis habere docuerat, nunc opera nostrorum immutata & viuendi & docendi ratione vitam homine Christiano dignam exorsus est, & deploratam doctrinam saniore emendat. Alius quidam magni viri filius, apud ducem enim quondã consiliariũ egit, cernens peruersam Euangelicorum

nouo-

nouorum, præſertim miniſtrorum vitam, & quod ex ſolius fidei prædicatione quotidie ſceleratiores redderentur, aſſiduis triennio ipſo ſcrupulis agitatus in Religionis rebus mirum quantum nutabat. Hic cum Praga, cōfecto quodam apud Cæſarem negotio, impulſionibus quibuſdam Viennam venire inductus fuiſſet, cū noſtrate homine diu multumq; de ſalute animæ egit: tandemque veritati Catholicæ fidei conſenſum præbuit, confeſſusq; peccata perfidiam eiurauit. Porro ne in patria periculum aliquod adiret, proſpectum illi de conditione eſt, modo coniugem huc adducere laborat, ſolumq; patriæ mutare. Alter quidam Moguntiæ puer in ſcholis noſtris Catholice vixerat, at vero à parentibus hæreticis reuocatus facile à pietate & veritate, quæ nondū firmas in eo radices egerat, ſe abduci paſſus fuerat, atq; inſuper ad hæreticorum Academias miſſus. Hic etiam caſu Viennam veniens, de quibuſdam dubiis edoctus, Eccleſiæ ſanctæ reconciliatus eſt. Ex dura illa Turcarum gente ſacro abluti myſterio quatuor, cum primum ſufficienter rudimentis ſacræ fidei Catholicæ inſtructi fuiſſent. Periculoſum in primis facinus, ſed diuina miſeratione emendatum, aggreſſus fuit homo tam præcipitatæ ætatis ac virium, vt ne domo quidem, niſi ſubleuatus alicuius auxilio, pedem efferre potuerit. Negabat ſe apud vllum vnquam, niſi apud Noſtrum, peccata iam ab annis quinquaginta nulli vnquam patefacta, detecturum. Ad hunc ergo octoginta annos natum hominem, viri cuiuſdam noſtri amantiſsimi induſtria, duo Noſtrorum Sacerdo-

tum perducti fuere, quibus senex ille comiter, humaniterq; saluere iussis. senium suum triste, laboresq; quos in vita infinitos hauserat, exposuit: demum vero vsq; eo inter colloquendum ventum erat, vt continuo conscientiæ suæ maculas confessionis Sacramento expiatas voluerit. Reconciliati nonnulli coniuges accerrimis odiis inter se dissidentes. Abducti pleriq; à turpium comœdiarum spectaculis: Celebrari etiam adhuc hic pergit B.P.N. Ignatii felix & sancta recordatio, cuius post Deum precibus, ac meritis puerpera grauiter ex partus dolore afflicta facile prolē enixa est. Narrauit hoc ipsum eiusdem fœminæ vir, qui B. Patris in nummo expressam imaginem à Sacerdote nostro sibi eo fine datam, vxori laboranti à collo appenderat. Sodales minoris congregationis B. Mariæ Virginis magno cum externorum hominum spirituali gaudio, admiratione, atq; exemplo publice omnes cum accensis cereis in festis Dei Matris ad sumendam sacram Eucharistiam accesserunt. Disciplinas ad flagellandum corpus & funes cilicinos frequentissimi expetiuerunt. Solenni etiam quadraginta dierū abstinentia piis de Christi Domini cruciatibus meditationibus eisdem in certa puncta distributis, animum exercuerunt. Horum ex numero quidam per eos dies, quibus à studiis remitti solet in Hungariam cum hero abierat: vbi cum diuersa loca vagus quandoq; percurreret in Turcarum, Tartarorumq; turmam incidit. Eum ergo vbi longis appellationibus, interrogationibusque fatigauerat vestibus ad nudum vsque spoliauerunt, nihil nisi femoralia relinquentes,

quentes. Adoleſcens interea ad D. Virginem cor attollens orabat, per illud ſtudium, quo ſibi ſemper deſeruire laborabat, dignaretur ſe ex tam manifeſto periculo eripere, atq; in priſtinam libertatem aſſerere. Nec irritus voti factus eſt. Nam quinquaginta circiter Turcæ Tartaris permixti concitatis equis fugæ ſubito ſe commiſerunt; cum tamen ſiue fugæ, ſiue timoris nulla manifeſta cauſa appareret. Hac ille fortuna lætus, ſeminudus licet ad herum, ſine cuius ſcitu & conceſſu de loco tutiore prodierat, ſe recepit. Quam rē vbi primum Viennā reuertit noſtris narrauit. Atq; eo quidem loco hactenus res noſtræ & ſtudia vſa ſunt, vt nihil magis nobis polliceri auderemus, quam priorum damna annorum commodis futuris compenſatum iri: ſed enim necdum exhauſtæ erant calamitates, necdum ſeruos ſuos Dominus ſufficienter periclitatus fuerat, maiora immittenda erant, quibus virtus eorū probaretur. Itaq; poſt clades præcedentium annorum ex hoſtibus, prædonibus, bellorum turbis, peſtifera lue, quæ nobis ſeptem ſocios abſtulit, infortuniis non leuibus acceptis illatas, ipſum Collegii peramplum domicilium ſeuiſsimo incendio hoc anno 1607. abſumptum eſt. Quod quemadmodū qui interfuimus geri vidimus, ita poſterorum memoriæ perſcribemus. Tranſcurſis itaq; ſolennibus ſacri Paſchatis diebus, quibus ingens omnium ordinum multitudo Sacramenta apud nos adiuit, dominicam in Albis attigimus. Poſt prandium eius diei hora conſueta ſimul religioſe agentibus incendium in domum irrupiſſe nunciatur. Socii hoc nuncio ex-

citi certatim pro se quisq; ad amoliendam & extinguendam flammam niti, aquam curare, nihilque non moliri: hæc vero contra vim omnem & conatum Nostrorum in altiora domus & tigna tectorum confestim se extulit, vbi ex asserum vetustiorum inibi depositorum copia cū aliis quam plurimis impedimentis nimium inualuit, forasq; vltra tecta prorupit: statimque æris Campani lamentabili sono ex turri ciuitatis facto toti ciuitati innotescit, Collegium ardere postquam compertum est, omnis sexus, omnis ætas accurrere cœperunt, dispari voluntate & consilio: alii vt deteriora precarentur, quod si quidpiam rerū nostrarum in manus incideret nullo adhibito Iudice aut arbitro diriperent: alii vt tātummodo inanes spectatores essent, & crepitantium flammarum sonitu pascerentur, alii vero commiserationis studio ducti, vt si qua possent ope succurrerent. Crescebat vero incendium, atq; in singulas domicilii partes iam ingressum, quæ ruina illud secutura esset, ostendebat. Nihil interne, nihil exterius, nihil supra tecta laborando proficiebatur. Supellectilis aliquid per fenestras iactatū & flammæ ereptum disparibus manibus pro rapina scilicet aut custodia exceptum fuit. Inter hæc nihil quidem ad restinguendum incendium proficiente solicitudine, non penitus tamen à labore & contentione cessabatur. laboratum enim fuit, vt si aboleri penitus non, saltem cohiberi atq; ad certos terminos redigi posset. Quo in labore præstitum est quantum fieri potuit satis ab his, qui aquæ conuehendæ curam habuerunt. Ciues præterea aliqui,

tales ſe exhibuerunt, ac ſi de propriis eorum domibus ac facultatibus ageretur, omni labore & conatu etiam non ſine periculo flammæ ſe oppoſuerunt. Enituit quoq; ſtudioſorum noſtrorum pietas, qui neq; veſtimentis, neque calceamentis parſum quicquam voluerũt, modo in aliquo nobis prodeſſe potuiſſent, etiã minimi quiq; libros, chartas, imagines, altaria, &c. ſeduli domũ ſuam tranſportabant compoſito deinde incendio reſtituturi. Singularis vero & aliquorum fuit charitas & zelus erga templum noſtrũ, qui æditum fidebiter noſtrũ in cuſtodienda templi ſupellectile, etiam cum vitæ manifeſto diſcrimine, adiuuerũt, altarium ornamenta in tutiorem locũ conferendo, ſacras res etiam per flammas eripiẽdo: deniq; irruentis ignaui vulgi, turbæque quæ fere ex falſorum Euangelicorum fece conſtabat, nec quicquam aliud niſi furari rapereq; meditabatur, impetum ſubmouendo: cœperãt enim iam altarium cãcellos effringere, euertere exedram, fiſtulas organi excipere, rapere, ſeq; onuſtos domum cito abdere, redire iterum, atq; ad rapiendum rurſus, oculos huc atq; illuc conuertere, quos hi cohibebant ſtrenue, dicebantque ſe in hac fortuna, ſi neceſsitas ferret non promptos ſolum, ſed & libenti animo mortem oppetituros, cum præſertim fratrem noſtrum iam exactæ hominem ætatis eiuſdem animi eſſe ſcirent. Temperauit nobis diuina Maieſtas hoc graue periculũ clariſsimæ quietiſsimæq; diei tempeſtate. Si enim aduerſarii noſtri tenebris defenſi fuiſſent, quantum in res templi cæteraq; noſtra ſæuiiſſent? quod ſi vehemẽtior

quiſpiam flatus eo die regnaſſet, timendum erat, ne non tantum nos rerum & domus noſtræ damnum faceremus, ſed etiam alii pleriq; hoc malo inuoluerentur. Tolerabilior autem hic caſus nobis ideo fuit, quod præter nos vix vnam atque alteram domum leuiter tetigerit, ex harum domuũ poſſeſſoribus nonnullus faſſus poſtea nobis eſt, ſe etiam beneficii loco repoſuiſſe, quod eum quoq; hominum iuſtorum (nos intelligebat) calamitas aliquantum apprehendiſſet. Cæterum plurimi licet in maximam adacti fuerint ſolicitudinem, diuina tamẽ ſeruati benignitate nihil prorſus, quantum ſcire poſſumus, à flamma damni acceperunt. Hoc etiam maximi beneficii loco reponendum eſſe cenſeo, vitam omnibus tum noſtris, tum conuictoribus, Alumniſq;, quorum curam gerimus, conſeruatam fuiſſe. Et iam vniuerſe tecta noſtræ domus ſolutis laquearibus corruerant, templi etiam immenſam trabiũ molem interne continens in ignem repente conuerſam horrendo fragore comminutas tegulas inſtar grandinis vndequaq; diſiiciebat. Noſtri partim in domo quæ in angulo tractus ad Collegium ſpectantis ſita eſt, partim in forum effuſi in medio ſpectatorum verſabantur templi turris, quod interius denſis ac pinguibus laricum tignis conſtaret, vt diutius, ita vehementius cremabatur. Itaq; reliquorum iam tectorum ruina ob non graue ſecum allatum malum tolerabilior videbatur; at huius in excelſo admodum loco ſitæ lapſus, non mediocri timori vicinis domibus merito fuit. Verumtamen placuit Deo ne conſumptis licet lignorum vinculis, lapide etiam

ex quo

ex quo pars exterior constructa fuit, vi ignis quasi in calcem excocto torua illa moles decideret malumq; malo augeret. Iam vno cum amplius nihil, quod exterius voraret, reperiretur; in ea, quæ intra muros deciderant, quæq; antea reposita efferri non potuerant flamma desæuiebat, cuius tanta vis fuit, magna vt illa aquæ copia, quæ desuper fundebatur, quasi in fauillā abiret vniuersa. Summo vero conatu & labore obtentum est, ne extra Collegium serperet, & ciuitatem inuaderet. Ad quam rem tota insequenti nocte inuigilatum est; & aliqui è Nostris fratres, Patresq; illa nocte ita insudarunt, vt Carbonariam exercuisse ad lucem sequentis diei viderentur: concerpserant ii in opere illo molestissimo vestes, exusserāt calceos, pedes, manusque vulnerarant, deniq; per omnia si non animum spectes Nostri esse desierant. Alii vero Nostri ab amicissimis quibusq; ad noctem eam apud se transigendam pertracti fuerunt. Dicebatur ab hæreticis in illa conferta multitudine venisse eum diem quo Iesuitas Vienna exscindi, exstirparique oporteret: sed respondebatur eis à Catholicis, Iesuitas Viennæ adhuc colla superborum hæreticorum calcaturos. Atq; ita Viennense Societatis IESV Collegium cum tota conuictorum domo & scholis anno 1607. Dominica in Albis spatio paucularum horarum exustum est. Fuerunt qui subiectum clam ignem dicerent: alii à nobis ipsis profectum affirmabant: comœdias nos tunc probasse, puluereq; bombardario vsos fuisse, atq; per negligentiam nostrā incendium erupisse. Alii circa lauti prandii apparatum: alii circa hostias co-
quen-

quendas occupatis ignem in tecta incidisse asserebāt. Alii plura & dictu fœda, & paradoxa inania, penitusq; falsa astruebant. Vnde autem hoc incendium, aut quomodo exortum fuerit DEVS nouit: illud nos sustinuisse ad humilitatis & patientiæ fructum reponere decet. Ingēs porro hoc incendium fuit, tamq; acre vt fragore illo & vehementia flammæ, in remotissimas ciuitatis & plateas & domos regulæ excussæ auolarent, fierentq; lapides calcis instar, lateres velut mollis arenæ grumus tam vero diuturnū, vt vix ad mensem duosq; insuper dies aboleri ac penitus extingui potuerit. Nunc autem ad diem posteriorem qui videlicet primum à vigore incendii noctem subsecutus est, redire placet. Nostris ergo ea die simul ac diluxit, quasi inauspicati quidā homines nouo ritu modoq; apparere cœperūt, aliis pileus, pallium, vestis aliis defuit: qui cum sic partim foro, partim plateis, in Collegio enim, nisi forte ad flammas & ingentem bustorum fœtorem, vix consistere licebat, obambularēt vniuersorum in se hominum oculos conuertebant: quorum plerique lacrymas piæ commiserationis vehementia tenere non potuerunt. Immo & in amplexus nostros ruebant, vt vel sic ingentem de acerbissimo casu nostro solarentur dolorem suum. Quidam vero sicut varii sunt mortalium in omnē partem sensus, conuitia & sannas in nos deonerabāt. At vero Nostri memores magis Dei æterni, qui quod dederat, recipere dignatus est, quam aut conuitiorum, aut suspiriorum lacrymarumq; humanarum quibus nihil citius arescit, prouocare se se ipso di-

luculo

luculo eius diei ad gratias agendum Deo, sacra facere, templa obire & in omnibus veros se ac germanos Societatis Iesu partus probare. Tunc vero homines magis ac magis commoueri, signa cōmiserationis, voce nutibusq; verbis ostendere: dicere fuisse nos quondam Troes nec opus habuisse alienis templis, in quibus sacros ritus ceremoniasque perageremus: nunc antem exutos rebus nostris tanquam extorres patria, aduersis huc illuc iactari casibus. Hæc quidem licet ita se haberent, Nostri tamen æquā in omnibus rebus mentem seruari debere meminerant. Quo fiebat vt amissis quamuis reculis suis, pleriq; enim ne iota quidem vnum extulerunt ne commouerentur quidem dolore aliquo, sed lætissimum vndiq; vultum præ se ferrent atq; in omnibus Diuinæ se voluntati resignarent. Vt vero & reipsa ostenderent homines optimi, quā hic casus noster dolori esset vniuersis, certatim pro se quisq; singulos nostrum in domos suas inuitabant, quin & pertrahebant, benigne humaniterq; accipiebant, pileos pallia & reliqua necessaria offerebant; vestes concerptas reparari curabant, deniq; humanitate illa sua eo vsq; deueniebant, vt modestiam nostram in multis frangerent. Etenim quæ nos modeste recusabamus, illi importune iterum atq; iterum ingerebant. Duos tunc valetudine affectos probi homines in domum suam deferri curarant, qui ægre incendii rabiem effugerant. Horum vnus valetudinarii nostri Præfectus fuit, quem medicus Collegii in domum suam delatum impensis suis breui tempore sanum fecit. Alteri etiam ex senio-

ribus

tribusPatribus grauiter ægrotanti nihil deesse boni homines passi sunt. Quemadmodum neq; illis, qui in exusto Collegio remanebant. Etenim & cibos coctos & alia huius generis commode subministrabant. Viuebamus itaq; hac necessitate compulsi per varias dispersi domos, tractabamurque pro hominũ benignitate quatuor aut quinq; circiter hebdomadas, sed assuetis secum viuere grauior statim effecta est hominum externorum consuetudo, dulcisq; vitæ spiritualis recordatio continue animum coquebat, ad Collegiumque reuocabat. Inita itaq; aliqua habitandi simul ratione domum rursus, hoc est, ad rudera nos recepimus, scholarum cursum quatuordecim iam dies intermissum redintegrauimus: nec omnino iniucundum fuit in reliquiis inflammatorum ruderum aut Aristotelem, aut Ciceronem Virgiliumque detonare. Carebant quidem scholæ tecto, fenestris, ianuis, scamnis; sed leuabat omnem molestiam occupationum solitarum amor, atque studium, discipulorumque in literis, honestisque disciplinis progressio. Vnicum solum erat quod nobis difficillimum perpessu videbatur; indigentia sacri loci, in quo consueta pietatis, ac religionis studia, commode obiremus. Etenim quod templum nostrum, tecto, campanis, ornamentisque careret, insuper qua parte chorus cantantium est ingentis de arcu fornicis delapsi lapidis ruina, magno foramine hiaret, fornixque ipse debilis decidentis tecti à lapsu effectus crederetur, inhabile; nec aptum diuinis officiis peragẽdis iudicabatur. Prouiderat huic necessitati nostræ Parochi S. Mi-

chaelis

chaelis (parochiæ id nomen est) viri nostri amantissimi pietas, ac beneuolentia. Is namq; nobis tẽpli sui (non adeo à domo nostra remoti) copia facta peragendi quoque nostra in eo facultatẽ plenissimam fecit. Sed nõ potuere homines templo & cærimoniis nostris assuefacti in animum suum inducere, vt in eodem loco, aut Sacramenta frequentarẽt, aut sacro interessent, eo sensu fructuq; animi quo apud nos hæc facere soliti erant. Adeo templi nostri opportunitas eorum mentibus alte insederat. Memini virum quendam & moribus & ætate dicere solitum accidisse sibi non semel nostrum vt templum Diuinæ rei obeundæ causa peteret, nec memorem se male materiati templi fuisse, nisi cum primum ianuam eius clausam offendisset. De templo igitur nostro instaurando serio laborabatur, expetebaturq; miris nominibus à cunctis mortalibus, vt liceret sibi, quam primum apud nos mysteria sacra obire. Nec nostri vbicunque erant, segniter munia Societatis peragebant, donec rursum ad propria templique sui vsum redirent. Quod (summe in eam curam incumbentibus nostris, vt ex temporaneo saltem asserum tecto imposito, ipsa interna templi facie à fumo & fuligine expurgata ad quam rem mille circiter talerorũ impensa facta est) ita cito Deo adiuuante instauratum fuit, vt sexta post cladem illam incendii funestissimam Dominica, sacra Pentecoste hæc erat, consueta in eo Diuina officia cum piorum exultatione repetiuerimus. Subuẽtum item in illis angustiis fuit, quod ad supellectilem & libros magis necessarios, partim à Serenissimo Ferdinando

dinando Græcensi Principe partim à Bauaris nostris, partim etiam à nonnullis aliis. Absumpta si quidem est vniuersa instructissima huius Collegii bibliotheca, quod damnũ cæteris maius nobis accidit: itemq; & supellex domestica, cum permagna frumenti copia, cæterisq; victualibus. Non reticendus hic videtur Reuerendissimus D. Abbas Meticensis qui ad eam liberalitatem, qua aliquot menses duos ex cõcionatoribus nostris humanissime in domo sua habuit, donum non vulgare librorum pro concionatoribus adiecit. Altera vero quæ vitam totam templo addixit fœmina plane mirabili indefatigabili cura cum ipsa ex suo quod largiretur non haberet, opulentiores adibat, & quicquid ab ipsis impetrabat, id totum ad nos perferebat. Itaque labore eius tum codices, tum strophiola, lecticas, rosaria, tum alia pleraque acquisiuimus. Seruitia in Xenodochiis, ad Collegii restaurationem, quod eis pecuniæ suppeditabat vltro contribuere satagebant. Hæretici cuiusdam opificis famuli negante vel nummum hero, omnes ipsi ad vnum in librum benefactorum nostrorum, pro sua quisq; facultate pollicentes aliquid voluerunt inscribi: quamuis porro iste tam duri pectoris esset, reperti tamen ex eo genere hominum sunt, qui daturos se aliquid pollicerentur. Et iam feruente labore artificũ tectum templo inducebatur, peruentumq; erat ad diẽ illum, quo extremi asseres affigi debuerunt, vociferabatur de nobis plebecula, nosq; in tam cita tecti erectione adiutore Diabolo vsus affirmabat: alii vero ne cibi quidem illo die gratiam sibi fieri voluerũt,

quoad

quoad vniuerſum tectum templo impoſitum viderent. Ita ſcindebantur ſtudia in contraria miſeri mortales. Aderat dies ſacer Pentecoſtes; iamq; ad peragenda Diuina officia templum noſtrũ aptum videbatur, dato ergo ſacro illo die ſigno frequentes concurſus Sacramentorum percipiendorum gratia, ſicut alias more conſueto, fiebant. Plurimi etiam nouitatis tantum repentinæ gratia concurrebant. Quapropter coniunctis ſic templo atque ſcholis, in antiqua quadam rerũ facie verſari nobis videbamur. Veniebant ad nos diuerſæ & Religionis & Ordinis viri, mirantes quod in mediis carbonum, calcis, arenę, ruderum tanta animi cõtentione Inſtitutum noſtrum perſequeremur. Horum maximi fuere duo Sereniſsimi Principes Auſtriaci Matthias gubernator Auſtriæ, & Leopoldus Paſſauienſis Epiſcopus. Hi pro more dominica poſt feſtum Corporis Chriſti ſanctiſsimi Sacramenti ſupplicationi conſueta celebritate, ambitu ad hunc finem præter multorum opinionem à ruderibus expurgato interfuerũt, obitiſq; omnibus, quæ ad diuinum cultum ſpectabant, in medio exuſti Collegii ſub dio atque ab vno de Noſtris breui ſalutatione excepti ad compatiendum præſenti calamitati permoti ſunt, ſicque in Aulam magnis beneuolentiæ ſignis datis regreſsi ſunt. Initium noui ædificii datum eſt, die Iulii nona, iamq; ex parte vna non mediocriter muri aſſurrexerunt. Ex ſcholaſticis noſtris ſex diuerſarum religionum inſtitutum complexi. Cuius animi plures adhuc reliqui ſunt. Adoleſcentulus quidam audiens exemplũ caſtitatis S. Thomæ Aqui-

natis à Magiſtro in ſcholis commemorari, nec opinato in hæc verba prorupit, ſe à petulanti quadam puella crebro ad res obſcœnas & cogitatu ipſo nefandas prouocari: cupere ſe proinde intelligere, num ea, qua ſanctus Thomas reſtitit ratione reſiſtere & ipſe poſsit. Affirmauit Magiſter, ita tamen vt impoſterum ad ſe veniētem primum conſpuat, ſin ſputis abigi non poſſet, tum demum exemplo S. Thomæ vteretur, aut baculo auttorre manu comprehenſo. Ad fuit tandē rurſus improba lupa, verum adoleſcens quam potuit validum in eam ſputum coniecit, atq; ita in futurum tēpus pudicitiæ ſuæ proſpexit. Sodales item B. Virginis congregationis minoris carceres obiuerunt, vinctiſque, quæ roſaria vocamus, ſubminiſtrarunt, eleemoſynamq; elargiti ſunt adiunctis adhortationibus, quo promptius B. V. precarētur. ſectati ſunt cordis & cogitationum munditiem, atque quo facilius integritatis & puritatis donum illibatum integrumq; conſeruarent, preces multas ad DEVM fuderunt, à cibo & potu, etiam iis diebus, quibus his licitum eſt vti, ſe cōtinuerunt. Demum eidem Sodales, quo vberius diuinorum abundantiam donorum in feſto die Aſſumptæ Virginis perciperent, vno menſe ante ipſum feſtum, meditationibus aliiſq; piis exercitationibus ſe appararunt, ac demum in die natali Diuæ Matris formulam eam, qua ſe ei in perpetuum iam ante deuouerāt repetiuerunt. Repertus eſt etiam vnus quidam, qui religioſi ſtatus deſerti ſepta noſtrorum hortatu repetiuit, atq; hæc quidem ſunt huius anni notatu digniora ex iis, quæ annotata

incendio

incendio ſuperfuerunt: : cætera circa reconciliatos ſibi coniuges ereptas ſuperſtitioſas chartas, ad meliorem frugem reuocatas concubinarias perſonas, excurſiones in vicina vrbi loca factas, vtpote frequentia nimis noſtriſq; iſthic degentibus ſatis communia ſtudio prætermittimus; non ſtudio vero iſthæc quæ cum flamma fumus tenebris inuoluit.

RESIDENTIA LINCENSIS.

FVerunt hoc anno ex noſtris Lincii Sacerdotes duo, fratres adiutores totidem. In Octobri acceſsionem ad Reſidentiæ amplitudinem fecerunt Magiſtri duo pro inſtruenda iuuentute in claſsibus duabus. Ab hæreſi Lutherana omnino perſonæ quatuor ſupra viginti ſexus vtriuſq; ad fidem Catholicam ſunt reductæ. Circa ferias Paſchales auditæ à nobis confeſsiones circiter 350. In præcipuo quodam cænobio, toti conuentui ab vno ex Noſtris exercitia B. P. N. pluribus diebus tradita, atque omnes fere eiuſdem loci religioſi totius vitæ maculas ſalutari, atq; accurata peccatorum expoſitione eluerunt. Supellex templi acceſsione caſulæ vnius ſericeæ, ſertique vnius affabre ex vnionibus contexti, ad ornatum thecæ, in qua Venerabilis Euchariſtia aſſeruatur, aucta eſt. Imago CHRISTI in crucem affixi non inelegantis cœlaturæ hæretico cuidam, qui eam in angulo abſtruſam domi ſuæ aſſeruabat erepta, ſumptuq; bonæ cuiuſdam Matronæ nitori priſtino reſtituta, in medio maioris templi noſtri collocata eſt,

cui ornamentum non exiguum vna cum singulari ipsam intuentibus religione adfert. Viennæ 28. Nouemb. Anno 1607.

COLLEGIVM PRAGENSE.

NVmerus nostrorum fuit hoc anno 48. Sacerdotes 28. Magistrorum Philosophiæ, & Theologiæ Auditorũ 13. Nam reliquarum scholarum Magistri & duo insuper ex Theologiæ auditoribus inter Sacerdotes numerati sunt. Coadiutores vero rei familiaris fuere 14. Quatuor ex domesticorum numero ad feliciorem, vt speramus, vitam transcripti sunt, ab eodem periculo prope affuerant duo. Fuerunt hi ex iis, qui septimum iam pulsa Societate ex Transyluania per varia dispersi Collegia tres huc se ad nos receperant. Postridie quippe quam Pragam attigerant in vno ex fratribus, primũ febricula, tum luculenti anthraces, ad extremũ bubo pestifer apparuit: quare seiunctus à conuictu cæterorum atq; etiam cõtagionis metu ab optimis medicis & chirurgis destitutus tandem Diuina ope incolumis euasit: pro cuius adhuc ægrotantis valetudine & vita, Sacerdotem quendam è nostris inter sacrificandum ingens ardor Deum obsecrãdi incesserat, tanta cum fiducia, vt non dubitaret ipsum sibi donatum iri. Nec vanam fuisse spem euentus probauit. Ab hoc intra triduum eodẽ malo corripitur ipse vice Prouincialis Transyluaniæ, ad cumulum calamitatis accessit vena siue iniquo loco, siue imperite aperta, cum tanto periculo, vt doctissimus huius vrbis Medicus

Medicus affirmarit eam plagam ſolam ad hominem enecandum ſufficere potuiſſe. Huic ſalutem attulit votum nuncupatum B. V. Lauretanæ & B. P. Ignatio, quos eadem nocte ab emiſſo voto ad lectulum adſiſtere ſibi viſus eſt, ſeq; ab iis ad ſpem vitæ haud dubiam animari. Recuperata valetudine & accepta à ſuperioribus poteſtate menſe Nouembri Lauretam exoluendi voti gratia profectus eſt. Sic igitur duo hoſpites noſtri euaſerunt; ſed propagata in domeſticos lues tres nobis, cum nullo vltra quatriduum congreſſa extinxit. Scholaſticum vnum, præclaris animi & corporis dotibus ad omne Societatis munus ornatũ iuuenem, alterum Coadiutoré, qui in longo cum Deo colloquio, quod clara voce orſus fuerat, animam poſuit: Tertium itidem Coadiutorem, qui præcipua erga infirmos per eos ipſos dies charitate, præmiũ eius à Deo accepturus euolauit. Mortuus & alius Sacerdos eſt. In horum locum ſeptem ad Societatem admiſsi. Scholæ admodum florentes fuere, niſi peſtis interturbaſſet. Quæ tamen efficere non potuit, quin vbi primum ſcholæ rurſum apertæ ſunt, certatim quam frequentiſsimi confluerent. Vtraq; congregatio Deiparæ tam ſtudioſorum, quam Italica ſuum tuetur decus. In illius album Illuſtriſsimus Antonius Caietanus Archiepiſcopus Capuæ cum primum Sedis Apoſtolicæ ad Imperatorem nuncius Pragam appuliſſet & viſitans Collegium tam à Cõuictoribus ac ſeminarii Pontificii Alumnis, quam à Contubernio Pauperum carmine & oratione ſalutatus fuiſſet, ſuum nomẽ adſcribere manu ſua dignatus eſt, quod etiam

fecit Illustrissimus Archiepscopus Pragensis Carolus à Lamberg, & cum alias Germanici concionatoris audiendi, tum postridie à sua consecratione officii causa per humaniter inuisit Collegiū pergratumq; sibi fuisse significauit, nuptiis illis suis mysticis ab Helicone nostro epithalamiū decantatum, & typis mandatum esse. Altera congregatio B. M. Virginis assumptæ, quæ Italica dicitur, sacelli, quod habet in Collegio nostro elegans, septem arcus gloriosis B. Virginis vitæ mysteriis partim plastice, partim pictura radiāte sumptuose effictis exornauit. Hoc splendide, illud pie & humiliter, quod egenorum humandis corporibus sumptum & operam præstitit. Id quod hoc etiam anno peste grassante necessarium fuit, non minus quā ægros spiritualibus subsidiis munire, cui charitati idem ille, qui alias Sacerdos noster vitam suam impendit, tum corporalibus medicinis ac fomentis, quæ liberalitate imprimis Illustrissimi Antonij Caietani, cuius supra meminimus suppeditata sunt nō sine lucro animarum, quæ, dum corporibus succurritur, ab æterna pernicie sunt ereptæ. Ex illa autem B. Virginis Annunciatæ congregatione Illustris Baro eximiū demissionis documentum dedit, quando adhibitis etiam filiis ad idem officii, pedes pauperum lauit, ac dato epulo cui ipse ac filii ministrabant cum larga stipe eosdem dimisit, magno pauperum solatio, sodalium vero atq; spectantium ædificatione. Dant & aliarum virtutum exempla, sed quæ mirabiliora fuere factu, quam sint futura commemoratu, vt illa adolescentis ad stuprum sollicitati constantia, cui

in tam ancipiti ac diuturna pugna potißimũ profuit quod animo recogitaret Sodalem ſe eſſe parthenium. Conciones duplici nomine cõmendari ſolent, auditorum approbatione & fructu, approbatio & applauſus auditorum nunquam fuit illuſtrior, quam cum noſter Germanicus concionator refutaret Polycarpi Leiſeri primum dicta hic Pragæ, mox etiam impreſſas cum præfatione & poſtfatione (hac enim voce vſus eſt ipſe Polycarpus) conciones. Tres fere horas tenuit hæc poſtrema refutatio, ad quam tanta hominũ vis confluxerat, vt plures locus omnino capere non poſſet. Innotuerat enim vulgo ſcriptum illud refutatum iri. Ea igitur fuit auditorum conſtantia, vt nemo abiret, immo vix ab ore loquentis oculos demitteret, aut hiſceret quiſquam, cũ tamen maxima pars eſſent hæretici, qui haud parum deinde de illa exiſtimatione, quam de Laiſero conceperant remiſerunt. Illuſtriſſimus quidem Archiepiſcopus, cum cuidã ex his refutationibus intereſſet illud de ea iudicium tulit: nunquam, inquit, hæreticus hic concione ſua tantum damni potuit adferre, quantum hæc refutatio vtilitatis ſit populo allatura. Fructus autem, qui quidem ſciri potuit, ſiue ex dictis tam domi ſolitis tribus linguis concionibus, quam foris in excurſionibus, atq; etiam in reliqua poſt diuinam gratiam induſtria centum animarum conſtitit: è quibus Iudaiſmo duo, vſui Calicis octo, alii aliis hæreſibus valedixere. Par cõiugum poſt triũ quatuorue Menſium diuortium ad concordiam rediit, ſed non prius vxor Huſsitica Marito Catholico, quam depoſita hæreſi Deo

reconciliata eſt, quã vbi eiurauit, atq; etiam ſumptione Euchariſtiæ conſtantiã teſtata eſt, cũ Deo vna & cum marito Sacerdotis noſtri opera in gratiam rediit. Pia quædam fœmina, dum in templo noſtro precibus vaçat, rerum omnium ignara accerſitur per famulos à viro Nobili magicis artibus dedito, expetẽte ipſam & detegente ad eius artis vſum vel malo dœmone, vel adminiſtro quopiam eius mago. Introducitur ergo in ædes, deduciturq; in conclaue interius, vndiq; obductum tapetibus, ita vt nihil lucis intrare poſſet. Hic nobilis accenſo cereo, produxit ſpeculum, in quo ſe dæmones tres præbebant viſendos hoc ordine. Primo infantes duo in albis veſtib. ex lucida quaſi nube prodeuntes exibant, mox ſequebatur rex corona & purpura ornatus. Nobilis, etſi omnes coniurationes magicas ad quas Dœmones comparere debebant, probe perageret, nihil tamen ipſe in ſpeculo videre poterat. Quare mulier iuſſa intueri ſpeculum vna cum paruula ſua filiola, & Mater & filia ſingula, quæ fiebant, perſpicue intuebantur. Per mulierem igitur, nobilis quid ageretur in ſpeculo, & quo habitu dæmones comparerent, cognoſcebat. Quod ſi Rex in albis conſpiceretur, iubebat per mulierem iterum recedere, rogabatq; vt in ornatu regio quam primum rediret; quod & Dœmon faciebat. Vt primum igitur Mulier annunciabat venire malos ſpiritus ſacrilegus ille procidens in genua ſalutabat aduenientes hac ſalutatione: bene veneritis mihi boni ſpiritus, poſtmodum rogabat Regem per mulierem, vt duo iſti pueri adferrent menſam ac Sedes: quibus

allatis

allatis Regem accumbere petebat & adferre librũ Salamonis: quo allato, varia ac multa per mulierem à Dœmone ſciſcitabatur, de gratia ſua apud Principem vtrum in officio eſſet perſeueraturus, aut ad altiora promouendus. Ad quæ Dęmon non verbo, ſed ſcripto aliquando, aliquando impreſſo charactere reſpondebat, quam in ſpeculo mulieri legendam exhibebat ſchedam. Quin & amaſias ſuas poſtulabat adferri, quæ ſi longius nonnihil abeſſent, ſpatio vnius mediæ horæ à duobus iſtis pueris viuæ adferebantur exhibebanturq; viſendæ in ſpeculo in ſtatura propria, quæ omnia per mulierem & eius filiam nobilis, cum ipſe nihil videret, cognoſcebat. Hanc operã mulier iã trium hebdomadarum ſpatio quotidie locauerat nobili, qui vt impoſterum eandem præſtaret muneribus & multis pollicitationibus perſuadere conabatur, atque omnino in ædibus ſuis retinere, aut certe in arce extra vrbem, in loco videlicet, vt aiebat, opportuno huiuſmodi viſionibus, vtpote in mediis ſiluis, atq; ab hominũ conſortio remoto. Ad quod præſtandam viri duo, qui huic nobili authores & magiſtri erant, ac directores in ſeruitio dæmonis, mulierem inducere conabantur, perſuadentes nullum eſſe peccatum, ſpiritus eſſe bonos, ſcireq; futura, quod vtique Dœmones neſcire poſſunt, quin & nobilis addebat, ſibi in animo eſſe, ſe penitus obſequio & ſeruituti horum ſpirituum tradere modo illud ab ipſis impetrare poſſet, vt & ipſe eos videret & reſponſa non amplius ſcripto, ſed verbo darent, ad quod ab iis impetrãdum homo ſacrilegus imaginem Chriſti cruci affixi, qua-

dam vice speculo supponens, rogabat dæmonem, vt eam conculcaret: à quo scelere & ipse Diabolus abhorruit, respondens hoc sibi minime licere. Nec facere voluit quantumuis Diabolicis coniurationibus ad id à Nobili adigeretur. Hæc omnia cũ sæpius præsens mulier oculis propriis vidisset, ignara quidnam subesse posset, rata tamen quod res erat, hæc omnia à bonis spiritibus non peragi, conscientia eam instigante rem totam nostro detegit, petit consilium quid hac in re sibi sit faciendum. Ideo vel maxime, quod cum Nobilis eam videret tergiuersantem minas & carceris & abductionis violentæ, quin & mortis intentauit. Hic mulier cum interrogaretur vnde illud haberet, quod illa sola hæc, quæ in speculo agebantur videret cum sua filiola, candide respõdit, illud se prorsus ignorare, neq; si iam iam mortem obire deberet causam huius rei, neque in se, neque in filiola sua se scire. Persuasum igitur mulieri, vt facto diligenti examine ad confessionem integram se se compararet, periculumq; hoc, neq; vllis pollicitationibus, neq; vllis minis subiret amplius: & si contingeret violentas sibi iniici manus, rem deferret ad magistratum. Satius sibi esse, euadere periculum æternæ damnationis, quam Nobilem incurrere aliquam infamiæ notam. Tutius tamen fore, si longius hic discederet, vt à Nobili amplius haberi non posit. Quod illa, agnito periculo salutis suæ & recepit se facturam, & egregie etiam præstitit. Nam à famulis domini vocata quotidie nouis insuper promissis onerata, nunquã adduci potuit, vt ad ædes nobilis se conferret amplius.

Aliud

Aliud in eodē ſuperſtitionis genere occurrit non prætereundū, propter B. P. N. Ignatii patrociniū. Mulier in matrimonio, prolis cupidior, vſq; ad magica remedia deſcendit: vtebatur preculis quibuſdam in ſpeciē piis, in paruiſsimo libello deſcriptis, non ſine ignotis tum vocibus, tum characteribus, eumq; libellulum tanquā amuletum quoddā ſemper apud ſe geſtabat: ſed hac an alia de cauſa fiebat, vt fœtum ſemper ederet mortuum, nec ſine propriæ vitæ periculo. Accidit vt hoc anno ſimili enixu aliquot dies laboraret, nec tamen morticinum eniti poſſet; quamobrem morti proxima accerſit ex Collegio confeſſariū, ſuadet is abiicere ſuperſtitioſum codiculum, hortatur patrocinium B. P. N. Ignatii inuocare, cumq; præmortuis iam ſenſibus Ignatii nomen ſatis effari mulier nō poſſet, creta ſcriptū ob oculis ei in tabella eſt propoſitū. Nec mora, inuocato B. P. fœtus ille abortiuus abſcedit: nec in præſens tantū mulier periculum euaſit, ſed breui poſt nouo concepto incolumes liberos cœpit progignere. Laboratū eſt in vinea domini etiā extra Pragā, in excurſionibus, atq; ad fidē non pauci adducti: & domi in viſitandis carceratis: horū multis libertas impetratur, aliis ope & ſolatio frequenter ſuccurritur. Poſtremo non eſt reticenda piorum in nos beneficētia, & in primis Illuſtr. Regni Boemiæ Cancellarii, qui cum ſe ad triclinium noſtrū, cum aliquot proceribus vltro inuitaſſet, exemplo & adhortatione perfecit, vt ſinguli vas vini Collegio donarent. Vidua etiam nobilis mille taleros teſtamento legauit.

E domo

E domo ſubiecta conuictorum Collegio, quæ parum decora Alumnis Pontificiis, pluribus annis, ſpectacula præbebat, tandem hoc anno offendicula ſublata, ipſaq; domus dato pretio, conuictorio adiuncta.

COLLEGIVM GRÆcenſe.

PRæter ſeptem, qui in duab. Miſsionibus Paſſauienſi & Zagrabienſi & quinq; alios qui verſantur in Reſidentia noſtra Mileſtadienſi, ſocios numerat hoc Collegium nonaginta: Sacerdotes viginti quinque è quibus Theologiam quatuor, Philoſophiam cum Matheſi quatuor, quintus Sereniſsimi Carolum, nobileſq; illi adiunctos docet Logicus. Rhetoricam vnus, vnus humanitatem profitetur: alii alia agunt ex officio: Scholaſticos quinquaginta quatuor, è quibus magiſtri ſunt quatuor; ſtudioſi Theologiæ 27. Philoſophiæ 23. vndecim rem familiarem adminiſtrant. P. P. ſingulis Miſsionibus ſinguli, è Reſidentia duo, vnus ex Collegio in beatorum Societatē vti ſperamus tranſcriptus eſt Bartholomæus VVagner Coadiutor temporalis formatus annos natus quatuor & ſexaginta, quorum 40. religioſe traduxit in Societate, vir fuit ornatus virtutibus, quæ coadiutorem Societatis commendare ſolēt. Eximia erat in illo animi ſinceritas, & candor & religioſa ſimplicitas. Sartoris officium in hoc Collegio totos triginta ſeptem annos adminiſtrauit. Cum literarum eſſet penitus expers, magnū tamen habuit in

rebus

rebus ſpiritualibus lumen, quod illi adferebat ſtudium deuotionis, cuius in omni vita fuit amans, ſed poſtremis annis cum iam velocem præuideret ſui tabernaculi depoſitionem, amãtiſsimus. Certum tempus à meridie flexis genibus ante Euchariſtiam orationi quotidie tribuebat, ſocios ipſe amabat omnes, & viciſsim ob ſuas virtutes diligebatur ab omnibus. Quo die animam Deo reddidit, ſacroſanctam perceperat Euchariſtiam. Mors eius audita domeſticis iuxta & externis, mixtum dolori gaudium attulit, nam & illum ſibi ereptum dolebant & viciſsim felicitatẽ & gratiam ipſi gratulabantur. Nemo fuit qui illi non bene precaretur. Sereniſsima Archiducum Mater, cui fuit ſemper chariſsimus, rem ſacram pro eius anima ad altare priuilegiatum trigeſies fieri curauit. Cæterorum in Collegio, quæ eſt Dei benignitas, perpetua conſtanſque fuit corporis veletudo ac magna in obeundis ad Dei gloriam Societatis muneribus alacritas & ardor. Profectus perfectioniſq; propriæ, vt eſt potiſsima, ſic prima cuiq; fuit cura. Antumnalium feriarum tempore, cum per occupationes ſcholaſticas licebat ſpiritualibus cõmentationibus operam dederunt omnes, vt perſpectis abſterſiſq; paruarum etiam imperfectionum puluiſculis ſuum religioſus animus ſplendorem coram oculis Dei obtineret. Homo magnæ in Auſtria nobilitatis, ſed fidei Catholicæ, Catholicorumq; magnus inimicus & oſor, Græcium venerat pecuniam ſibi debitam repetiturus, noſtrum de ſacrificio Miſſæ diſputantem pro concione audiuit, ad verbi Diuini tonitrua cohorruit in Eccleſiæ

clesiæ Catholicæ gremium, vt tutus esse posset se recepit, ac ita, qui æris recipiēdi gratia venerat ipse quod Deo debebat, æs persoluit, & iniquus esse desiit. Nullam instillandæ in pueris religionis & pietatis præteriri occasionē oportere, & ex bona semente fructū & messem sperari posse, licet illico herbescere non videatur ager, docuit procerum Styriæ nōnullus. Qui cum puer multa de nostrorum dogmatum constantia & veritate ex nostro audiuisset, nullamq;, vel puer, vel adolescens, vel iuuenis Lutheri deserendi, Catholicæ veritatis acceptandæ spem facere videretur, demum ætate virili fructum tulit grauissimum, Ecclesiæ Matri se restituit, &, vt ipse alios restituat, conatur. Hominem Nobilem grauibus pressum molestiis, graues ob acceptā fidem Catholicam ab hæretico parente persecutiones, & inter cæteras vnius anni incarcerationem aliaq; huius vitæ incōmoda passum inimicus homo conatus est inducere & induxisset forte, nisi perditis eius conatibus nostri obuiam iuissent opportune. Illum enim die quadam in agro deambulantem solitarium & multa, vt fit, animo voluentem, & reuoluentem suo aggreditur, salutatq; blāde, velut sibi familiariter ex nomine notum, hæret iste attonitus, ad rei nouitatem horret, tantumq; non obstupescit, cumq; ille admirationē huic conatur excutere, auget magis, omnes n. ex ordine, quas pateretur calamitates, recēsuit, & vnde illæ proueniāt edocet, multaque leuandæ molestiæ præscribit remedia: quæ reuera (quamuis callide hoc dissimularet) eo tendebant omnia, vt Catholica religione valere iussa

Parentis

Parentis hæretici gratiam quærendam & promerendam iudicaret, fraudem ſuſpicatus iſte (ſed ſuſpicatus duntaxat) Deo ſanctiſsimæq; Dei Matri ſe ſe tacitus ex animo cõmendabat: ſubſtitit veterator velut aliud acturus & diſparuit: ad Collegiũ, accurrit iſte, rem non ſine lacrymis narrat, dolum inimici clarius edocetur, cõſilioq; armiſq; opportunis aduerſus maligni hoſtis armatur inſidias. Ante annos circiter quatuordecim adoleſcẽs præferuidus Viennæ de parentis, viri minime ignobilis, voluntate noſtris, & in Gymnaſio & in conuictorũ contubernio, magiſtris vtebatur. Hic ſtudiorum labores, conuictorii diſciplinam, monita præceptorum, parẽtum imperia citius, quã oportebat faſtidiens, omne iugũ excuſsit, militiæ nomen dedit, tandẽq; multa in Hungarico bello expertus Signifer euaſit, audax animo, manu promptus, fama celeber, proſperitas iſta ruinæ, ruina ſalutis illi fuit occaſio. Nam Rakelſpurgi, oppidũ eſt Cortano hinc milliario Germanico) ob magnatẽ Hungarum interfectum captus, Grætium in vinculis adductus. Grætii capite damnatus eſt, & ita damnatus, vt quo in loco patrarat cædẽ, in eodem ipſe capite plecteretur primum, tum cadauer extra oppidum in rotam ageretur. Vbi primum ſibi moriendum, & ſe alio deportandũ ſubodoratus eſt, tum primũ eius animum ſubire, quæ in ſchola de vita recte terminanda audierat: tum demũ ipſe ſerio cogitationem de anima, & ſalute ſuſcipere, Sacerdotem ergo noſtrum in carcerẽ euocatũ per Societatis charitatẽ ſibi olim perſpectã, per omnia diuina, etiã atq; etiã rogat, vt ſe comitari ſibi dies aliquot recognoſcẽdæ ſerio & expiandæ cõſciẽtiæ

impetraret, sibi adesse velit in supplicio; actum esse de salute, si è Societate hominem ad manum non habeat moriturus, sin vero Sacerdos noster sibi sit præsto, non dubitare se, quin à Deo & veniã peccatorum ante mortem & post morrẽ queat beatitudinem obtinere. Facile impetrauit quod petebat, intra dies quinq; quinquies aut sæpius est confessus, eo spatio remporis se ita ad mortẽ comparauit in carcere positus, eo animi ardore & vocis contentione, tum in via ad supplicium, tum in ipso loco supplicii flexis genibus Deum ac DEI Matrem deprecatus, ita populum allocutus est, ea demum constantia & tam luculentis pœnitentis animi, & veræ contritionis argumentis gladium excepit, vt maxima hominum, quæ aderat multitudo lacrymaretur, dicerentq; non solum, qui animo in ipsum non iniquo venerant, & Catholici, sed etiam, qui eum vehementer, antea oderant & è Lutheranus Proceres aliqui quid demũ est pœnitere, si hoc non est! cui veniã dabit Deus si huic non dat! certe noster fatetur se tale nihil vidisse in omni vita, dici vix potest quantum nostri Sacerdotis operam & industriam commendarint, qui aderant omnes, quamq; gratum nostris Principibus acciderit hominem illum malam vitam tam bono fine terminasse. Ominabantur enim pleriq; omnes, qui vitam eius norant morte illum mala moriturum, & opinio erat non modo vulgi, sed etiam magistratus Rakelspurgensis, qui nostrum ea de re admonendum censuit, magicis eum pollere artibus, & verebantur ne vel ictum gladii efficeret irritum, aut alium pro se gladio carnificis

obiiceret, quam opinionem crearat eius pene incredibilis cũ manus promptitudine audacia. Aliqui à Societate valde alieni Societatem eo die amare cœperunt, Gratiũq; profecti nostro illi Sacerdoti confiteri voluerũt. Serenissimi nostri audita morte tam pia, corpus è rota deponi, & sepulturæ tradi mandauerunt.

MISSIO PASSAVIENSIS, ET Millestatuensis.

PAssauii morati fuerũt duo Sacerdotes, quorum alter à concionibus & confessionibus, alter à sacris Theologiæ lectionibus Serenissimo Archiduci Leopoldo, Pater is Christophorus L' Abbe, qui posteaquam septem annos in instituendo Serenissimo Principe Leopoldo posuisset ex hominum vita, quemadmodum sperare licet, ad diuorum domicilium migrauit. Homo fuit ad Societatis labores ab ipso Deo factus, illius morti cum præcipui viri, tum Serenissimus Leopoldus illacrymati sunt, quemadmodum Serenissimus Princeps suæ beneuolentiæ in Societatem in dies adiungit accessionem, ita sedulo de Collegii fundatione deliberat. Multi laborant, vt Collegii ædificandi deliberatio incidatur & Societas ex amoribus Principis effluat. Quanquam vero nostrorum sparta & prouincia est Serenissimo Principi concione & lectione seruire, tamen istos illi cancellos non sibi circumdederunt: concionatus n. alter toto anno in Cathedrali templo magna omnium acclamatione & vtilitate. Ab hæresi reducti 50.

Illis, qui ad hæresim inclinare videbantur, multis melior mens data. Curati infirmi, morituri adiuti, Pauperibus adiumenta comparata, scandala publica sublata, simultates amore cõmutatæ. Quæ nostræ Societatis functiones omnium hominũ studia mirabiliter excitarunt. Et certe ciuitas incredibiliter Societatem amare videtur. Residentia Millestatuensis duos amisit, P. Adamum Hubnerum, & Matthiam Polard, vtrumq; magnæ integritatis, constantiæ, & patientiæ virum.

DOMVS PROBATIONIS Brunensis.

HOc anno 1607. Domus Probationis Brunensis sexaginta hominum numero stetit. Veterani fuere tres & viginti. Sacerdotes vndecim & in his quatuor, qui tertium probationis annũ egerunt. In scholis Præceptores quatuor, in re familiari octo. Reliqui Nouitii. Vnus duntaxat peste, quam secum tulerat, triduo domi nostræ extinctus, cœlum potius, quam Instituti rationes iniit. Quidam & carceres incultos tenebris, odore fœdos, aliaque grauissima vitæ, reique familiaris incommoda perpessi sunt, ne rectæ in Deum fidei iacturam facerent. Aliqui à quadraginta, aliqui ab octoginta passuum millibus suæ salutis remedia apud nos quæsiuerunt, & inuenerunt. Nonnulli certam Agni imaginem, salem, & aquam bona dictione sacram à nobis sumpserunt, vt pessimorum hominũ præstigias, & infestas mali Dœmonis fallacias pellerent. Cum fructu itum est ad eos, qui in Nosocomiis, & carceribus fuerunt: cum illis

illis actum, vt huius vitæ necessitates: cum istis, vt grauissimos corporis dolores, atq; adeo mortem ipsam forti animo exciperent ad æternitatem intenti. Mire omnino prauam hæreticorum calliditatem summa Dei sapiẽtia, & miseratio elusit. Ab hinc quindecim passuum millibus Baro errores Picardi insigniter doctus, & in iis se se studẽs præstare cæteris, quendum è suis habebat sceleris capitalis reum, plectendus is his Brunæ erat; sed obstabat scelestus timor, ne, si ad carceres Brunenses duceretur Sacerdotum studio virus hæreseos euomeret, sanitatem acciperet. quæ insana cogitatio, dum mentẽ exagitat, nunciatur alios etiam quosdam proxime flagitii pœnas morte daturos. Notatur dies, hora, locus. Sistitur eodem loco, eodemq; temporis momento scelus, vt cũ corpore animus quoq; pereat. Sed præter opinionem dilata dies inuito salutem affert. Ducitur ad carceres, & serio mandatur custodi, ne vllos vocet, aut accedere patiatur, qui cum eo de animo agant. Verum carceris custos hominum salutis cupientissimus, hæreticorum improbitatem nostris aperit: monet, ne officio suo, illiusq; saluti deesse velint. Accedit noster Sacerdos, hominem reperit à veritate alienissimũ. Vltimaq; illi huius vitæ nox erat, quæ æternam alterius exciperet. Hortatur itaque, lucem respiciat, tenebras damnet: multa & magna hoc temporis puncto stare, quod si semel per socordiam negligat, superesse tantum acerbissimorum cruciatuum æternitatem. At immobile saxum ad omnem salutis rationem durat.

Spem noſter de operæ pretio abiicit, ac domum reuertitur. Quia vero magnum pretium animarum ſoluit is, qui exiguo pro nobis veniit pretio; alius quidam è noſtris Sacerdotibus ſubmittitur, ſi quid forte, vt alias ſæpe, temporis mora poſsit. Qui in bonam noctis partem ducto labore, effecit tandem, vt ingens ſudoris conſtaret pretium, & animus nunc mollior hæreſin ſuam tot annorum peſtem abiiceret, ſuauiſsimeq; veritatem amplecteretur. Die ſequente, prima luce, noſter ad carceres recurrit, conſtantiam inculcat, ſacram peccatorum totius vitæ confeſsionem perſuadet, qua exacta, è veſtigio traditur in manus carnificis, hoc vno triſtior, quod ſine ſacro viatico abeundum; quo tamen eum ſperamus hoc breui ad cœlos itinere non omnino opus habuiſſe. Impetratum etiam à carnifice, homine ſene, & hæretico, ne amplius ſuperſtitionibus vtatur, quibus variis ſolebat circa eos, quibus ex iuſtitiæ decreto hanc cœli lucem adimeret. Inter plurimas, hæc vna fuit, primum carceribus egreſſus, ad limen pede crucem ſcribebat & eius iuſſu reus: de hinc in loco ſupplicii, ſpectante populo, cultrum è vagina raptum terræq; infixum in orbem ductabat, ceſpitē exſcindens, ſuper quem reus ceruices gladio daturus genibus niteretur. Senator imprimis exacta iam ætate, noſtri amans, ad augendam religionis gloriam promptiſsimus, ſenectam ſuam hoc pulcherrimo facto condecorauit. Oblatum ei clam erat ab hæretica fœmina non exiguum auri pondus, vt contra S.C. Maieſtatis decretum liceret abſq; peccatorum confeſsione, ſacriq; corporis

Chriſti

Christi sumptione ritu Catholico cum spōso matrimonium inire. Quam ille pecuniæ vim prodendæ virtutis haud æquam mercedem fortiter abiecit, & perniciabilem mulieris dolum sui officii iure acerrime perstrinxit. Aiius quidā legitimo suo domino, & veritati rebellis, maluit inter alienos Hussitarum greges incertus diu vagari, quā probe suis ciuibus conuiuere; qui tamen hoc anno patriam reuisens, Deo fauente, nostrorum ore in sinu Ecclesiæ positus, ibi multa pietate cōquiescit. Claruit etiam hoc anno Illustrissimi Cardinalis Francisci à Dietrichstaim &c. Episcopi Olomucensis &c. singularis in nostrum ordinem liberalitas & amor, in salutem populi Christiani labor & pietas. Nam & mille taleros nostræ Domus ædificationi continuandæ attribuit: & continuis octo diebus in æde nostra sacra ad frequentissimā concionem verba fecit. Illo quidem die, quo nostræ libertatis pretium Deus ipse in crucem fixus solenni memoria colitur, quinq; horas integras tanta dignitate & contentione, rerum & verborum iuxta pondere dixit, vt summam ipse ab omnibus admirationem merito acceperit, ab eo plurimi salutem. Post hunc tam præclarum laborem decoro sudore fluens priuato indutus vestitu, suis dimissis, inter duos nostros medius sacra Christi cenotaphia intra & extra ciuitatem raro virtutis exemplo obiuit: quo in itinere perpetuus illi de rebus diuinis sermo fuit: reuersus deinde ad templum nostrum, nudaque humo nixus admodum prolixe, singulari etiam adstantium pietate Deum precatus est. In scholis porro magnum

eruditionis ſimul & pietatis ſtudium fuit, cum præceptorum, tum diſcipulorum, ex quibus tres Carthuſianorum caſtra, alii alia ingreſsi ſua virtute noſtram commendant. In ſcenam dati Iuſtus & Paſtor, mirum placuere. Hæc domi. Foris etiam vtiliter laboratum. Itum enim eſt ad Magnifici cuiuſdam Baronis exequias, quæ quadraginta paſſuum miliibus Bruna celebratæ ſunt. Neptis illius in medio hæreticorum habitans, marito quamuis hæretico, annuente tamē petierat aliquem potius de noſtris Patribus, qui in frequentiſsimo nobilium concurſu in rem pro funere diceret. Id temporis erat ad verni ieiunii finem, quando plurimæ occupationes impedimento ſunt; impetrauit tamen ea pietas, & egregie firma in perfidiæ fluctibus fides, duos Sacerdotes, à quibus admodum copioſe aduerſariorum etiam conſenſu factū ſatis. Et cum inter nobiles menſæ adhiberētur ſua præſentia, & quæ virtuti debetur, dignitate multos à funeſto carnium eſu prohibuerunt. In medio reditu Viſcouiæ plurimos poſt ſacram cōfeſsionem menſa cœleſti refecerunt. Inde diſcedentibus largam quidam pecuniam obtulit, quam recuſantes monuerunt, vt ſi quam eleemoſynam facere percuperet, velum emeret, quo B. Virginis ſtatua ornetur, in quod opus triginta florenos depoſuit. Duo item ad feſta Chriſti reſurgētis profecti ſunt in Auſpitz ciuitatem viginti paſſuum millibus diſſitam, eoq; tempore ſuo deſtitutam paſtore, cuius illi varium munus plenis numeris obiuere: illis maxime in Noſocomio authores fuerunt, vt ſuarum animarum ſalutem maiori curæ haberent, ibi namq;

namq; initio cũ sanæ fidei hominem reperissent nullum, adlaborarunt, vt breuissimo tempore maior pars Diuinum lumen auido pectore haurirent, errores damnarent, publica lætitia cœlitum epuliis fœdam plurimorum annorum famem pellerent. Idem alio socio ciues Brunenses comitatus ad locum in D. Virginem pietate celebrem, primo aduentu ad populum sic dixit, vt ad medium noctis, quam insomnem ducebant omnes sacris hymnis, & precibus intenti, iterũ dicere sit coactus. Insequente autem die, cum tertio verba facturus esset, nec sacræ ædis angustia tot homines caperet, honestissimi ciues Brunẽses suis ipsi manibus suggestum in locũ ampliorem extulere, quo auidæ multitudini Diuinorum verborũ copia fieret. Alius noster Sacerdos, cũ ex itinere ad ciuitatem Archiepiscopalem in vicino Regno diuertisset, vt primum visus fuit à Collegio Canonicorum, & Senatu, eorundem etiã amicissimis precibus coactus est, vt in summa Æde sacra ad amantissimum nostri Ordinis populum verba faceret, quod noster, sic præstitit, vt eius dicta maximo applausu exciperentur, eidemq; vno omnium ore, Metropolitana Cathedra, liberalesq; in vitam sumptus offerrentur. Verum cum se affirmaret ad paucu-los solum dies domo abesse posse, post quorũdam in hospitio & templo exceptas exomologeses ægre admodum dimissus est. Ciuis Iglauiensis in scholis nostris olim præter eruditionem optimis quoque moribus ad Rempublicã institutus, vxorem hæreticã inter pessimos hæreticos acceperat;

quam tamen paulo post sic instituit, vt non tantum grauissimas malorum calumnias, & ampli patrimonii iniquam iacturam à consanguineis ob veram religionem æquissimo animo ferret; sed etiam altioribus virtutibus capacem animum honestissima matrona exornaret. Supremus vniuersæ Morauiæ Notarius dominium quoddam nuper emit, ab annis quadraginta religionis expers. Situs is locus est ab hac ciuitate quatuor passuum millia procul: nidus hæreseon ante, nunc spes melior. Nam pridie Non. Nouemb. templum aqua piaculari reconciliatũ sacrum Missæ officium decentatum, habita cõcio ab vno de nostris, qui imposterum hunc agellum frugum pabuliq; salutaris lætiorem reddent. Ædificium in nostro prædio Diuaçenti ante duos annos ab Haidonibus exustum, hoc anno vna cum templo instauratum est. Res Nouitiorum communis bene processit.

COLLEGIVM CRVMLOuiense.

SEptenos denos exeunte anno socios tenuit Crumlouium: Sacerdotes videlicet octo: in his Rudimentorum Lectorem vnum, Grammaticæ alterum: nondum sacris initiatos Syntaxis & Poeseos professores duos; reliquos rei domesticæ curatores. Alias ipso decursu anni diuturno satis tempore plures commorati; quos necessitas ad alia Collegia amandauit: duos vero Deus ad vitam calamitatum omnium expertem, vt speramus, euocauit: Scholasticum vnum Rolandum Konig

annos

annos natum 27. Ex quibus octo in Societate cõsumpserat: alterum P. Ioannem Ruſs, annorum circiter 40. quorum tres & viginti in variis per Prouinciam Collegii muneribus fructuoſe collocauit. Vbi ex certis instare ſignis mortem didiciſſet, ſuperiorem ſtatim ad ſe tanquam rem magni momenti propoſiturus aduocauit, rogauitq; obnixe vt ſuo nomine iis, qui in religione loco Chriſti duces ſibi ad perfectionis ſtudium extitiſſent, ac proinde multas, ſui gratia curas ſubiiſſent, gratias ageret immortales, & ſingulares quidem ei, qui in adoleſcentia, ſeuerum potius quam leuem leuiculorum etiã defectuum animaduerſorem ſe exhibuiſſet. Cæterum in horũ duorum locũ ſubiere ex ſcholis noſtris lectiſsimi iuuenes duo; plures ad aliorum religioſorum ordines. Ad Benedictinos duo, Franciſcanos vnus, Ciſtercienſes alter, ad quos remiſſus quoq;, qui inde diſceſſerat tyro addito inſuper comite alioquin ſtudioſa iuuentus tam in pauperum contubernio, quam in ciuitate, vti numero, ita probitatis diligentiæq; laude hoc anno effloruit magis. Numerati in Burſa exceptis decem, quos reliquiæ Collegii ſuſtentant, plures ſexaginta. Ad eos vero, qui propriis in oppido degunt ſumptibus è natione Auſtriaca, & maxime Paſſauia Sereniſsimi Leopoldi Archiducis Epiſcopali vrbe & Sede, acceſſere non pauci. Quos optimus Antiſtes eximio liberalitatis ſuæ exemplo excitauit. Et vero proxime elapſa ſtudiorũ renouatione Muſas Crumlouienſes, diligentiæ nomine commendatas ampliſſimis muneribus exornauit, dato tum in ſce-

nam ex Dialogiis D. Gregorii puero, qui blasphemiæ meritas dedit pœnas magna spectatorũ probatione. Ac vt agendi eiuſcemodi dramata, magis in posterum tempus, iuuenilis excitetur industria quidam pretiosas vestes in choragium donauit. Neq; vero ab iisdem in litteris tantum profectus datum specimen, sed etiam egregium in Deum diuosq; pietatis: quam spectare licuit tum in supplicationibus etiam ad Diuos plures leucas dissitos, quas cœlo inclemente & pluuio constanter ad exemplum externorum obiuerunt: tum in frequentatione cœlestis mensæ rite peracta à pluribus vitæ quoq; totius confessione. Dies B.P.Ignatii & D.Catharinæ non solita solum illa deuotione, sed vberioribus præterea poematibus & nobiliore ornatu sacros habuerunt. Venerat ad nundinas Circumforaneus quidam, qui amuleta sua per scelus Sacramentis Catholicorũ potiora proclamabat, delatus à studiosis ad eum est, cuius intererat punire sontes: & male acceptus fuisset nisi clanculum se subduxisset, Scholis nostris, Germanicæ, Coronidis loco adiungantur: quæ ciuium hæreticorum præsertim liberis abundant. In has opera nostra Catholicarum precationum ritus, cum antea promiscue etiam Lutherani vsurparentur, est inductus, ablatiq; contaminatæ doctrinæ libelli, sincerioris fidei eorum loco substitutis. Nunc è scholis ad templa. Conciones toto anno diebus diuinis & festis habitæ binæ Boemica in æde ciuitatis principe, Germanica in templo quod vocant Luterano, tempore verni ieiunii quot hebdomadibus iisdẽ linguis duæ. Nec à consueta

Chri-

Christianæ doctrinæ explicatione cessatũ. A dissecta Lutheri secta ad vnitatem fidei veteris aggregati sunt duodeni. Febre æstuanti tres à confessario aquæ haustus in honorem trium Christi clauorum concessi malignam febrem extinxerunt. Plura cœlestis agni in cera expressi effigies edidit: eius quidẽ applicatu mente captus ad sanitatem rediit: fœmina faciliter enixa partum: remota Cacodæmonum terriculamenta, seruatæq; à tempestatibus in agris fruges.

COLLEGIVM COMmotouiense.

FVit Commotouiæ varius, hoc anno numerus nostrorũ, Patres vt plurimum decem, fratres nunc vndecim, nũc octo, ad extremum sex: quorum duo studiosi, totidem præceptores, reliqui domestici operis adiutores. Ad vitã, vt speramus meliorem euocati duo. Primum Michael VVeininger, ætatis suæ 50. & vnius anni, Coadiutor temporalis Formatus, qui trigesimum ætatis annum in Societate emensus, lenta tandem Phthisi placidissime, piissimeq; expirauit. Vir erat laboris, orationis, sacræ lectionis perquam studiosus, & pestiferis curandis vel maxime intentus. Hunc vno post mense secutus est Christophorus Stuber annorum 32. temporalis itidem Coadiutor, qui cum apud nostros, 13. circiter annos vera simplicitate, prompta obedientia, magna superiorum obseruantia transegisset, pari plane morbo, pietateq;

pietateq; decesſit. Vtriusque locum ſuppleuit B. Virginis Sodalitium, ſubmiſsis quinq; liberali indole adoleſcentibus Rhetoricæ candidatis, qua item è ſchola regularium D. Auguſtini Canonicorum inſtitutum complexus vnus. Fuit ſane in ſterili & iam iam ſilueſcente ſolo vnica fere ſtudioſæ iuuentutis cõſolatio, quæ temporis iniuria non tam frangi, quam ad pietatem confirmari viſa eſt. Conciones domi, foriſq; diuerſis in pagis frequēter habitæ hoc fructu. Quatuordecim totius vitæ maculas deterſerunt. Ex hæreticis quatuor ſupra viginti tranſierunt ad Catholicos; ſenex quidam à ſexaginta annis male vſus erat Sacramentis, hic ad meliorem eorum vſum reductus eſt. Illuſtriſſima item Curlandiæ dux, Alberti Radiuili Ducis in Olica & Nieswiez coniunx, nunc orba viro, cum à thermis Miſniacis ſolius religionis cauſa Commotouiam digreſſa Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis apud nos ſe communicaſſet, viſitato Collegio eleemoſynã eidem cõtulit. Neq; vero in ciuitate cui inuiſi ſumus exercẽdæ patientiæ occaſio defuit, qui enim maleuoli, neq; veris, neq; ſimilibus poſſunt, conantur ſaltem ſtultis, & hebetibus commentis occultum in nos odiũ expromere, vt cum nuper in vulgus ſparſerũt, nos homines ad fidem ineſcare decem talerorũ pacta mercede, & patrem è noſtris, qui ante 12. annos ex humanis abiit, deſerta in Germania coniuge factum eſſe Ieſuitam, quæ tamen nobis vrgentibus frequenti Senatu reuocata ſunt, & publicis tabulis conſignata. Cum neſcio quis calumniator famoſam illam, de ſacrilego inceſtu cantilenã in

Patres

Patres Monachienses confinxissent, nihil magis in votis Commotouiensium erat, quam vt toto dominio quam primum diuulgaretur: idque vt fieret prima publici fori die cantari & circumferri permiserunt. Nos apud Primatem, Consulem, Iudicem iniuriam questi rogabamus circumforaneum, tam diu nostro sumptu in carcere detineri, donec tabellarius Monachium missus de re tota Senatum faceret certiorem. Illi dare verba, hominem clanculum dimittere, simulate querere, Iesuitas ridere, ludere. Ergo noster in concionem ascendens, eam coram pauculis auditoribus pro tuenda Societatis fama dixit, quæ quod vel calumniatoris arguerent calumniandi impudentiam, vel male fictorum ostenderent repugnantiam, adeo omnes permouerunt, vt nemo fuerit, qui maledicum illum præconem non execraretur. Postquam vero tam Serenissimi Bauariæ Ducis, quam amplissimi Monachiensium Senatus grauissima pro nobis testimonia, typis excusa, Senatoribus perlegenda dedimus: à Notario publico in Senatu quidem lecta sunt, non tamen detergẽdo crimini sufficere visa, argumento est, quod quidam non erubuerit affirmare, Bauariæ Ducem sceleratissimam Iesuitarum causam, vel non audere deserere, vel vltro velle defendere: & quidem huius proteruia decem dierum carcere, punita est, non vtiq; punienda, nisi grauiora sibi inde mala Pragæ oritura timuissent. Susceptæ lites cum dominii huius emptoribus religionis tuendæ causa; eum tandem exitum habuerunt, vt nobilis quidam Cæsaris nomine Pragam accersitus,

ſitus, & à ſupremis regni Magiſtratibus grauiſſime reprehenſus, dimiſsis Lutheranæ perfidiæ Buccinatoribus, exactos à ſe tres Parochos reſtituere ſit coactus, & ad Bacchanalia recepto emptionis pretio bonis cedere iuſſus. Alius item maioris authoritatis, qui iam non modo pleroſq; parochorum reditus, ſed ex Collegii cenſu centum quoq; taleros ſibi vendicauerat, poſt longam tergiuerſationem ſua cuiq; debuit reſtituere, idque fecit, præter propriorum prædiorum decimas, quas vt deinceps quoque pendat à Cæſare eſt cōſtitutum. Decretum præterea ab Imperatore, vt quemadmodum noſtra habet fundatio, ita eiuſdem Domini ſubditi debitos Collegio cenſus apud nos deponerent, nec nos eius voluntate collectos in curia Girkauienſi huc transferremus. Alius Nobilis ob negatam nobis ex ſuo pago penſionem, non ante Praga diſcedere iuſſus eſt, quam cum Rectore conueniſſet: præſumpſerat hac omnium in nos cōſpiratione vicinus Nobilis templum, quod ante quinque annos Cæſaris iuſſu occluſum erat hæretico Prædicanti reſerare, ſed malo ſuo; nam poſt primam concionem ſtatim Pragam citatus, nihil propius fuit, quam vt in carceres duceretur, ac templo iterum per commiſſarios occluſo, promiſit ſe in ſimili negotio religioni non obfuturum. Pari audacia, & impietate Capitaneus Girkauienſis ad impediendum proceſsionem corporis Chriſti, Monſtrantiam Parocho dari vetuit, arbores ſeu ramos ex ſiluis negauit, menſas pro Altaribus ſuis locis ponendas manda-

mandare noluit, quo factum vt consueta solennitas fuerit necessario intermittenda. Item Soslauiense templum aliquot Septimanis occluserat, sed Domino eius super his ab officialibus Regni grauiter obiurgato, & templum reseratum, ac vt deinceps in religione nihil immutet nomine Cæsaris definitum. Commotouiensibus denique, qui alium Parochum præter suum Husitam apostatam monachum non agnoscunt, à Cæsare mandatum, vt baptismata, copulationes, funera, cæteraque stolæ vt vocant accidentia ad antiquitus institutam paræciam reducerent, sed cum hactenus non paruerint, speramus eos alio decreto, quod iam præ manibus est, ad officium compellendos, nec impune laturos, si vlterius fuerint refragati. Iidem cum deponere in Collegio censum nollent, Regiæ Cameræ mandato, vel intra quatuordecim dies rite deponere, omniaque persoluere vel Pragæ comparere iussi sunt: ipsique grauius veriti, vna cum nouis, vetera simul debita dependerunt. Ita & plures aliæ sunt nobis fere quotidie luctæ & persecutiones, quibus vtinam DEVS illum tandem det prouentum, vt & in nostram, & eorum, qui iam nobis & religioni male volunt, cedant salutem.

COLLE-

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

EX triginta Sociis, qui Nouodomi hoc anno versati sunt, Sacerdotes fuerunt nouem, docendi munre occupati quatuor, Rhetoricæ Auditores 10. rei domesticæ curatores septem. Adsciti in Societatem nostram duo; mortuus nemo. A lue pestifera, quæ nõ oppida tantũ pagosq; vicinos occuparat, sed ipsam quoq; ciuitatẽ Nouodomensem, eiusque suburbia non absq; strage quotidiana peruagabatur, peculiari Dei munere nostrates toto anni decursu extiterunt immunes. Nec minoris à diuina bonitate in nos profecti beneficii loco, reponendum id, quod quarto Idus Septembres incendium proximis ædibus intempesta nocte exortum, & ventis flammam vehementer promouentibus, subito auctum (ita vt intra pauculas horas ad octoginta sex ædes, & in his curia Senatoria, Xenochium & templum D. Ioannis miserandum in modũ conflagrarint) Collegio & Seminario nil omnino detrimenti attulerit. Turbulenti cerebri vnus à cœtu nostro proscriptus, mox paucis interiectis horis amissa crumena, & temulento milite ipsum stricto ense diu insequẽte fatigatus, permittente Deo religionis desertę pœnas se dare vltro agnouit. Ab vsurpatione Eucharistiæ sub vtraq; specie abducti septẽ Virgini pestilenti contagione correptæ, ac iam moribundę, votum sacram Synaxim, vbi conualesceret, sub altera specie iure Catholico sumendi, saluti fuit. Complures nutantes in religione confirmati.

firmati. Data opera, vt qui Catholici ſunt, ædes ſuas à libris hæreticum venenum continentibus expiarent, igniq; exurendos traderent. Dynaſta huius loci Magnificus Dominus Gulielmus Slawata, præſente coniuge ſua Lucia Otilia de & in Nouodomo, &c. Senatū communitatemq; Nouodomēſem graui fæcundoq; ſermone, vt hæreſi depoſita Catholicā fidem amplecterentur hortatus eſt: ac nos templi ac cœmiterii Sanctiſsimæ Trinitatis (frendentibus incaſſum hæreticis, qui loca illa ſuis ſumptibus extructa iam pridem ſpe deuorauerant, & exercitio Lutheranico ibi peragendo deſtinauerant) patronos eſſe decidit. Illuſtriſsima Domina Fundatrix inſtar optimæ Matris Collegii ſui eſculentis & poculentis frequenter tranſmiſsis ſemper meminit; ac nuper ampliſſimum diploma, quo D. Rudolphus II. Imperiali ac Regia authoritate fundationem Collegii confirmat, nobis tradidit eius filia Illuſtriſsima & D. Lucia Otilia Slawatona, &c. Datis quingentis ſexaginta ſexagenis groſſorum Miſnenſium ſeminarii ſiue Pauperum fabricam ad exitum hoc anno perduxit: & ſupellectilem Sacrarii noſtri donata veſte, quæ centum quinquaginta aureis æſtimatur, auxit.

COLLEGIVM LABACENSE.

AVctum eſt hoc anno Collegium perſonarum numero & reſidentia Pletriacenſi, cumq; in principio anni octodecim fuiſſemus poſt Paſcha quatuor aut quinque ſupra viginti ſumus nume-

tati. Pletriaci communiter tres Patres & tres fratres; Labaci vero decẽ Patres ex quibus tres Magistri, duo aut tres fratres lectores in ſcholis, alii rei domeſticæ adiutores. Feſto circumciſionis mane votis Deo nuncupatis reliquum tempus vti & pridie Sacerdotes quotquot poterant aures pœnitentibus pro lucrando indulgentiarũ theſauro accurrentibus dabant; frequentiam ipſe Reuerendiſsimus, vt ſolet, auxit, & ſacris operans panem cœleſtem, magno pietatis ſenſu diſtribuit, epulo poſt domi ac à partheniis carmine acceptus mire ſeſe delectatum oſtẽdit, & Sodalitio D. Virginis Sacerdotales pro ſacrificio faciendo veſtes obtulit. Famulabatur Virgo herę vti non ignobili genere, ita vitæ opinionumq; hæreticarum ſordibus contaminatiſſimæ; ea ſiue Dæmonis docta inſtinctu, ſiue quod conſcientiam ſuam ob adulterinos amores perſtringeret famulæ integritas; inuidebat primo Virgini pudicitiæ nitorem, poſt eo prorupit inſaniæ, vt adulterum militariter audacem & ad omne flagitium proiectum inſtigaret, quo miſeram in id, in quo ipſa voluebatur libidinis, cœnum pelliceret; ſcilicet maluit ſociam habere nequitiæ, quam vt honeſtas famulæ perpetuo caſtigaret ſuam ipſius vitæ turpitudinem. Homo perditiſſimus, tum ſua ſponte, tum vt ſceleris ſociæ placeret, nihil intentatum relinquere: Virgo vero tanto ardentius ad Diuinam opẽ obtinendam precibus, votiſque remitere, ille variis dolos nectere, hæc omnia ſuſpecta habere, ſibique attendere, ille inſanire, hæc in propoſito magis magisq; confirmare & ſeipſa fortior euadere, quo

factum

factum eſt, vt & diuturnas & moleſtiſsimas technas omnes ſuperaret; tandem Virgo ex eo famulatu dimittitur, bene ſecum agi miſera putabat, vt quæ finem miſeriarum læta ſibi à Deo oblatum gratulabatur eoq; quod ab omnibus ſe liberatam periculis arbitraretur. At vt videtur & exitus docuit, dolo dimiſſa eſt. Nam ſola per ſiluam tranſiens in poſitas inſidias ſibi ab impuro homine incidit; hic vbi blandiciæ nihil poſſunt, adhibentur minæ, poſt illas expoliatio ſarcinæ & veſtium adhibita. Vbi nec hæc conſtantiam conuellerent, ſæuitur grauibus verberibus; nec his quicquam mentem vni Deo placendi cupidam de ſuo ſtatu deturbantibus, laboratur, vt eruantur expunganturq; oculi, fit igitur miſera omnino cæca. Nec ſatis fuit rebus, ſanitate & viſu deſolatiſsimam ſpoliaſſe, deductam inſuper alio turpiſsima infamiæ nota conſperſere, & (vtpote coram hominibus fide digniores viſi) facile obtinuerunt, vt haberetur pro nequiſsima; verum reſpexit tandem diuina bonitas ſuam in arena pro virtute & pudore luctantem militem: cum enim omnibus inuiſa, cruciatus ex oculis pateretur maximos, vt etiam inſomnes noctes ducere cogeretur, atq; adeo omni fere humana ope deſtitueretur; ecce tibi præter ſolitum, vbi nocte ſe ſe intime per orationem in Deum effudit, oppreſſa aliquantulum ſomno, in eo bene ſperare eſt iuſſa. Nec multo poſt ſiue miraculo, ſiue natura malum illatum oculis ſuperante, viſum ex parte receperat. Vt primum potuit longo itinere Labacum profecta eſt, & ſanctiſsima Exomologeſeos & Synaxeos Sacra-

menta pie obiit, eam ob caussam maxime, vt pro tam euidenti auxilio in tantis ærumnis, contra tantum hostem, & modo se gratam exhiberet, & imposterum animum ad similia muniret. Scholæ nostræ feliciorem, quam hactenus cursum habuere, Auditorum etiam multitudine, & nobilitate frequentiores. Diligentiæ & pietatis parthenii vbiq; primas tulere. Ex iis quinq; religiosa instituta sunt amplexi, duo S. Bernardi, tres nostram Societatem. Coemptæ duæ domus, quæ multum libertati & salubritati Collegii officiebant.

COLLEGIVM GLACENSE.

ALuit hoc anno septēdecim, Sacerdotes 6. ingressos 4. reliquos Coadiutores, qui omnes, Deo propitio medioeri vsi sunt valetudine. In consuetis Societatis muneribus indefesse quidem est laboratum, at non eo, quam merito exoptamus fructu, & religionis progressu. Quamuis haud exiguus sit reputandus fructus, si qui Catholici sunt, in fide ac pietate cōseruentur; tot enim opprobriis, molestiis, & iniuriis, impetuntur Catholici, vt mirandum non foret, si pusilli & imbecilles frangerentur. In muneribus nostris tum domi, tum foris consueto more perreximus. Instabat Venerandæ Eucharistiæ solennitas, quam vt tali rerum statu de more institueremus, ausuros nos minime sibi persuadebant inimici: indiximus nihilominus pro concione die consueto futurā: Primatem ciuitatis, & quorum turbas compescere intererat, moneri, ne quid insolētius

ſinerent euenire, curauimus. Die & tempore elucescente, ſolitis ſymphoniis, inſtrumentis, & cantibus ſolennis educitur pompa, Deo conatibus noſtris annuente, qui copioſum cadentē imbrem in ipſo ſuſpendit egreſſu quouſque in reditu ad templum acceſsio fieret. Mirum quantum fremuerint aduerſarii, quantumq; furorem ſuum, haud ſecus ſcilicet, ac canes ligati catenis ſtrependo, malleis incudes pulſando, cachinnando, clamando, aliiſq; petulantiis exercendis indicarent. At nihil effecerunt, quo minus ordine interturbato ſolennitas perageretur. Vehementer illos torſit, quod inopinato in ipſo fori medio à pueris linteatis ſalutationes, acclamationeſq; ad venerandam hoſtiam fierent. Inſuper & per aliam plateam, quam ante annum pompa longior deduceretur. Nihil ergo effecit Diabolus Chriſto triumphare volente. In domeſticis concionibus Auditorum ea eſt frequentia, vt ſi qui peregrini Catholici hac tranſeuntes videant, admirentur. Deſertis hæreticorum erroribus ad fidem acceſſerunt plus minus duodecim, quæ paucitas fecit, vt confitentium numerus circa Paſchalia feſta, quaſi par fuerit anni ſuperioris: in natalitiis tamen ſolito maior. Nam domi ad quadringētos, foris trecentos & quinquaginta enumerauimus; nec fuit exiguus in aliis anni ſolēnitatibus; creſcit enim præſertim in rurali populo, quod mirum, ſæpius in anno cœleſtes epulas deguſtādi deſiderio: vnde vix ſacer tranſit dies, quo non ſit aliquot diuinæ menſæ accumbentes videre. Non pauci concionibus permoti conſcientias ſuas ſtudioſius ſcrutari ex-

purgarunt. Studiosa iuuentus licet numero exigua conditione tamen insignis & nobilis, pietatem literarum studio coniungendo suo non defuit muneri. Nā & frequenti confessione sacræq; synaxis sumptione egregium præbuit aliis exemplum, & hæreticis strenue resistendo constantiam suam sæpius declarauit. Collegii fabrica bonorum amicorum eleemosynis adiuta mediocrē habuit progressum. erectum est insigne ad latus templi sacrarium; & alia quædam intra Collegium exædificata. Vtq; anno futuro posit vlterius promoueri fabrica Illustrissimus ac Reuerendissimus Episcopus Vratislauiensis pro cōsueta sua liberalitate ducentos taleros in Nouembri donauit.

COLLEGIVM CLAGENfurtense.

IN Collegio ipso degunt septemdecim, Sacerdotes decē, fratres duo, præceptores; Coadiutores quinq; : in residentia autē Oberdorfiensi duo Sacerdotes & Coadiutores totidem vniuersi viginti vnus. Ex iis professores humaniorum sunt quinque, præter sextum externum, qui minimis præest. Clasis Rhetoricæ hoc anno accesit. Ciues mitescunt tamen indies, nostrosq; venerantur, satisq; frequenter nostras adeunt conciones, nec vero desunt sinceri Catholici cōplures, vti aduertere licet in quotidianis Missæ sacrificiis, quibus pro hoc loco multi pie reuerenterque intersunt. Nobilitas ipsa licet professa palam hæresim, multum quoq; defert nostris saltem ad speciem, neq; abhorrens

abhorrent ab adeũda domo noſtra quamuis ipſis erepta, vel viſendi cauſa, vel ſpectãdi, cum aliquid in ſcenam datur. Habuere Prouinciales in ciuitate Gymnaſium publica pecunia magnifice exſtructum, vbi Academiam moliri videbantur: ſupra fores aureis literis inter alia inſcriptionis verba fuerunt iſta: Collegium ſapientiæ & pietatis. Clauſis igitur ab initio reformationis, quam magnanimus Heros Archidux Ferdinandus felici cauſa inſtituit, perfecitq; hæreticis ſcholis, hoc demum anno Prouinciales ipſi etiã titulum deleuerunt, facto, ſi minus opinione ſua, profitentes, quod erat, neq; ſapientiam ibi veram, neq; pietatem viguiſſe: cedenteſque quodammodo eam gloriam Eccleſiæ Catholicæ Collegioq; Societatis. Ad vicinos pagos excurrit Sacerdos dominicis feſtiſq; diebus, magno fructu: ardor pietatis excitatus in ruſtica plebe; mundata ornataque templa, confeſsiones auditæ quingentæ. Ædificationi fuit, quod cum antea toto anno vix tria ſacra apud eos fierent ab iis, qui reditus acciperẽt, nunc tum ſacra apud eos frequentia, tum conciones haberentur ab homine, qui nihil inde referret, neq; nummos corrogaret. Collegii quoque ædificium promotũ eſt, accepimus enim domum exſtructam quidem, ſed haud noſtris vſibus aptatam, quadratam habebat aream, ſed abſq; periſtylio, vt acceſſus ad cubicula extrinſecus nõ pateret, ſed ex vno in aliud; erantque cubicula ipſa ampliora, quam pro vſu noſtrorum. Hoc igitur anno periſtylii tertium latus adiectum eſt, & cu-

bicula decem adaptata, nec non bibliothecæ percommodus locus, ſacellumq; domeſticum.

COLLEGIVM OLOMVcenſe.

ANno ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, numerauit Olomucenſe Collegium ſocios quadraginta octo: plures interdum, præſertim cum menſe Ianuario pulſos ex Tranſyluania Patres, eorumq; ſocios aleret. Sacerdotum viginti duorum caſus & controuerſias duo explicant, Philoſophiam cum Mathematica tres docent, humanioribus literis iuuentutem excolunt duo; tres conuictui præfuere, tres concionibus in duabus præcipuis Parochiis S. Mauritii, S. Mariæ, & Xenodochio incurabilium doctrina Chriſtiana tradenda, tum in noſtro templo, tum alibi & præſertim conſuetudine familiari Olomucenſi populo iuuentutique præfuere: tres in Miſsionibus vtiliter verſati; cęteri tum hominum ſalute procuranda domi, foriſque, tum aliis negotiis Societati & Eccleſiæ ſuam operam præſtitere. Qui vero ſacris initiati non ſunt; quatuor claſsium Inferiorum Magiſtri, Theologiæ quatuor; Philoſophiæ octo ſunt Auditores: nouem Coadiutores. Vnum, Caſparum VVincklerum, mania triginta ſex minimum annos laborantem cœlo dedimus. Docuerat olim à Nouitiatu duos annos in ſcholis: familiaris illi lectio libelli de imitatione Chriſti, quem etiam deſipiens memoria retinebat; & cuius, dum adhuc ſaperet, bonam partem verſibus reddi-

reddiderat. Profuit hoc studium etiam mente capto. Euaserat initio morbi ex Collegio: acceptus ab hæreticis vt opima præda de nostris, laute tractatur: offertur Dalila: conspuit impudicam impuro phlegmate, dimissus ad Collegii septa rediit. Idem puritatis amor in ipso deinceps notatus. Pridie sui decessus è vita inungendus sacra cerimonia dixit præsentibus, postridie solenne festum futurum: neq; vana fuit prædictio. Postera namq; luce sub horam tertiam vespertinam obdormiuit in Domino, cum paulo ante venientibus ad se porrecta manu valedixisset. Ab hæresib. ad ouile Christi rediere centum octoginta. Qui totius vitæ sarcinas molestissimas deposuere nonaginta numerati, plures plurium annorum: In fide religionisq; integritate confirmati & aucti plurimi. Malę consuetudines inter audiendum sacrum sublatæ, globulorum piaculariũ crebrior vsus persuasus, pauperibus largiores eleemosynæ impetratæ: Tempore Paschali confitentes æquarunt numerum quatuor millium; aliis quoq; festis celebrioribus frequentia non vulgaris pœnitentiæ, Sacramentum, epulasq; diuinas adeuntium: vt licet magno labore Illustrissimus Cardinalis Episcopus Olomucensis Franciscus à Dietrichstein, non tamen sine magna consolatione cœlestẽ panem in templo nostro multitudini aliquoties porrexerit. Vsitata repetam, si cõmemorem ardentes iras inter quosdam restinctas, simultates, odia, dissidia deposita; reconciliationes crebro factas, iniquos contractus rescissos: à turpi, flagitiosa, & sacrilega vita retractos, ad honestam viuendi rationem traductos

 ductos

ductos: libros hæresibus scatentes multis ademptos & exustos, pacem inter coniuges reconciliatam: quo in genere septẽ annis acerbe dissidens par coniugum in gratiam repositum. Tacerem ereptas chartas magicas, quibus amorem sui conciliare nonnulli soliti erant; nisi facto tam necessario plurium saluti profuissemus. Quorundã conuersiones illustriores, & fructusiores non debent inuolui silentio. Vir in Olomucensi ciuitate non postremæ auctoritatis, quo notior & præstantior, eo signum illustrius, reditu suo ad Ecclesiam, alias ad ingrediendum salutis viam signũ extulit. Anabaptista quadragenarius, prodigio res similis inueteratam perfidiam abiecit. Vir nobilis quinquagenarius mira felicitate sub finem vitæ veritatis lumen aspexit. Æger enim in periculo vitæ constitutus erat; cognoscit noster Sacerdos hominis discrimen: adit ignotum non vocatus: bis terue de religione sermonem facit: quarto die Sacerdotem æger accersit: post experientiam variarum hæresum deliberata voluntate Romanam fidem amplectitur: confessionem peccatorũ facit: pane diuino reficitur: octauo post die corporis è statione decedit: Ad huius conuersionem plurimum attulit momenti, viri cuiusdam nobilis exemplum, qui abiuratis hæresibus ad Ecclesiã paulo ante confugerat & affixus lectulo sæpius conscientia apud Sacerdotem exonerata, finem viuendi fecerat. Huic non dissimile factum cum altero viro maturo. Ab infantia sectatus fuerat hæreses, lethaliter decumbentem noster Sacerdos inuisit, attonitumq; salutat. Primo congressu efficit,

ficit, vt sequenti die velit instrui, instructionique parere. Postera luce docet necessariam esse coram Deo & Sacerdote fassionem scelerum. Confitetur æger. Suadet Pater, vt, quia semper vsus fuerat cœna profana, semel minimum ante mortem rite communicet. Obtemperat homo tanta pietate, vt præsentibus Catholicis lacrymas expresserit, gaudentibus errãtis ouis reductione; & vxorem hæreticam ad idem faciendum extimulauerit. Quia vero morbi vis vrgebat, declarauit ei Pater quam salutaris esset extrema Vnctio. Expetiit hoc Sacramentum infirmus, munitus est: biduo post diem suum feliciter clausit. Plaudebant Catholici, qui obstinatum hominis ingenium antea nouerant. Ita nihil est imperuium Diuinæ gratiæ. Nam & octogenarius quidam vno aut altero die ante obitum ex fece hæresum extractus confessione sacra nitidior Christum ad salutem, velut Simeon alter excepit. Annosa Virgo, genere illustris ex Hussitico labirintho ipso die migrationis è corpore, reconciliata cum Ecclesia, purgataq; pœnitentia, cum vis morbi cœlesti cibo sumendo resisteret, oleo sacro delibuta, in terram viuentium demersit. Iuuenem insignem parente ministro Lutheranorũ, ante paucos annos in exilium acto Grætii, ereptum ab exilio animæ, ciuitate Dei restituimus. Septem adolescentes nobiles quanto ignobiliu in errorum latebris delituerant, tanto generosius in veritatis castra migrarant. Nobilis matrona multis precib. extorsit ab hæretico marito, vt sibi Olomucium venire liceret: venit: templum nostrum ingressa plurimos peccata confitente

tentes animaduertit, horum exemplo diuinitus excitata, hæresim cum reliquis vitæ maculis abiecit: Catholicæ sacram Eucharistiam sumpsit. Plerique opimas hæreditates amittere maluerunt, quam deserere fidei veritatem. Ad vnius speciei communionem decem adducti. Mercator insignis post diuturnos errores quatuor annis oppugnationem sustinuit, dum ad homines respicit: deniq; manu datæ veritati ad confessionem veniens, ô Pater ait palam Aetna grauius onus gero. Verbis addebat fidem pallida facies, palpitantia labra, lingua titubans. Peracta confessione suffusus ora lacrymis ô Pater, inquit, recens natus sum. Nunquam talé huic Sacramento inesse vim credidissem, ni eam essem in me iam expertus. Quandoquidem Senatum nobis vtrunq; fauentem habemus; actum cum senatoribus vtiliter inuigilarent circa festa celebrãda diligentius. Iidem decretũ Cæsarium de non admittendis in ciuium numerum, qui præmissa Exomologesi prius sub vna specie communionem non adiissent, hortatu nostro diligenter vrgent: nec nisi testimonio confessarii, allato fidem adhibent, id se fecisse affirmantibus. Qua occasione multi hoc anno, qui non solum Catholica, sed etiam profana hæreticorum cœna, quinquennio aut etiam diutius abstinuerant, apud nos cum Deo reconciliati, Catholicæ vitæ pabulo refecti sunt. Et hoc in Senatus Olomucensis laude ponendũ: quod cum iam aliquot annis magna pietate supplicationem sanctissimi corporis Christi comitatus fuerit, hoc anno ad reliquum apparatum sacræ pompæ adiecerit,

serit, vt ad tres ciuitatis celebriores portas cœleste ferculum, festiua & crebra tormentorum displosione salutarent.

MISSIO CREMSIRIensis.

VEnio nunc ad Misiones. Primum locũ obtinet Cremsiriensis. Hanc Pater cũ socio fratre sustinet. Qui Illustrissimo Cardinali ita se exhibet, vt munia Societatis cum datur occasio non negligat. Multas totius vitæ cõfessiones, & in his nobilis viri cuiusdam excepit. Bonam summam pecuniæ legitimo Domino restitui curauit. Ob debita vinctum ex carcere liberauit, alterum gladio, tertium furcæ eripuit. Pauperes, quos mendicare pudebat, ne destituerentur Illustrissimi auxilio prouidit. Qui non raro à mensa seni Patri se iungens ex arce descendit cibosq; in ollas pauperum (quorum est magnus numerus quotidie) distribuit, quem nepotuli, vndecim & duodecim annorum hilariter imitantur, & panem ac cereuisiam egenis impartiuntur.

MISSIO BRVMOVIensis.

OBtinuit vnum Patrem cum socio ad tres menses à R. Patre Prouinciali Illustris Dominus Ioannes Kauka, pro reuocando populo sibi subdito ad ouile Christi, si quid fieri posset cum obstina-

obſtinatis in ſuis hæreſibus hominibus, quos iam quatuor annis quinque Catholici Parochi gubernant. In duobus itaq; oppidulis, vndecim pagis & arce, cõcionibus & doctrina Chriſtiana effectum, vt ſigno crucis, quod antea plurimum horrebant partim, partim irridebant, multi libenter ſe ſe ſignarent, intellecta vi myſterioque ſanctę Crucis. Præter alios viginti ſex vitæ totius maculis depoſitis ad communionem ſacram admiſsi, quorum viginti duo hæreſi abiecta cum Eccleſia rediere in gratiam. Anus moritura abſente Parocho Sacramẽtis munita, deinde vita functa ſepulturæ mandata. Nobilis vir, cui tumultuanti per ebrietatem manus dextra abſciſſa, caput multis vulneribus labefactatum, Corpus ſub latera ſclopi globo traiectum fuit, vt offenſam dimitteret propter Chriſtum perſuaſus. Baptiſati aliquot infantes. Patibulo affigendi Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis ad mortem obeundam muniti. Captiui quantum licuit, & ſpirituali auxilio, & temporali ſubleuati. Spectra nocturnis horis in arce tumultuantia oblato bis ſacrificio pro defunctis ſedata.

MISSIO HABROVANA.

GVilhelmus Zaubek Equeſtris ordinis Morauiæ ſupremus ſcriba, vir Catholicus, opibus potens, non ſolum ſuam ditionem ab hæreſum colluuione purgare inſtituit, ſed & poſſeſsiones aliorum dominorum quot poteſt, eo fine comparat, vt ex iis hæreticorum ſentinam eiiciat. Is quo amore eſt in Patres, ſacellum & altare S. Cru-

cis in

cis in templo nostro exstruxit ibiq; suo funeri sepulchrum designauit. Huic negari non potuit Sacerdos cum socio, cuius opera suorum Habrouanensium, aliorumq; subditorum salutem promoueret; tantoq; magis, quod in illis locis & monte liliorum colluuies quædam hæreticorum iam pridem suum nidum habebat, per totam Morauiam nominatum. A natalitiis seruatoris nostri diebus vsq; ad Autumnum magno fructu vineam illam penitus à bestiis demolitam excoluit Pater, quem tempore Paschali submissus ex Olomucensi Collegio nouus Sacerdos non parum adiuuit. In hac Missione cum alia plurima ex Societatis consuetudine perfecta; tũ hæc præcipua: ne singulorum modum describere sit necesse. Matutinus, meridianus, vespertinusq; pulsus salutationi Angelicæ restitutus: salis & aquæ lustralis vsus frequens: festorum dierum celebratio, qua se non teneri vulgus arbitrabatur: frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ nõ in Paschate solum, sed & Pentecoste, natali Christi, festisq; celebrioribus Beatissimæ Virginis & aliorum sanctorum. Pregnantibus, infirmis, morituris, contracturis matrimonium cum expiatione vitæ communio vitalis cibi indicta, & ab aliis vsurpata. Processiones, quarum vix aliqua erat iam memoria, in Ecclesia statis temporibus obitæ, hisq; feria secunda & tertia Paschæ, ac Spiritus Sancti pro necessitatibus Ecclesiæ additæ vna etiam ad impetrandum imbrem solenni pompa ducta, concinentibus rusticis vulgari lingua, sanctorum inuocationes quibus paulo ante nefas erat sanctorum facere men-

tionem

tionem. Concionatores hæretici nonnulli vertere ſolum coacti, cum ad ſanitatem redire nollent. Baptiſati infantes Parocho abſente duodecim, puer Turca infirmus luſtralibus aquis ablutus, quem non multo poſt mater eſt ſecuta & puella octennis, cuius Baptiſmum diſtulerant ruſtici parentes, quod ſuæ ſectæ caruiſſent Miniſtro. Pueris, puellis, famuliſq; ruſticorũ quotidie per Quadrageſimam doctrina Chriſtiana explicata. Præcipueq; dominicam orationem, ſalutationemq; Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum & Decalogum edocti Catholice: quæ aut ignorabant, aut hæreticorum more recitabant cui doctrinæ, vt frequentiores adeſſent variis munuſculis alliciebantur. Paſchæ tempore centum ſexaginta octo confeſsiones auditæ, omnibuſque miniſtrata Euchariſtia. Fuerunt in harum numero, quadraginta hominum adultorum, quadrageſimum, quinquageſimum, ſexageſimum etiam annum agentium; qui nunquam hæc Sacramenta adierant. Sponſalia puellæ inconſtantia mutantia, multaſq; amicorum contentiones gignentia, noſtri Patris induſtria matrimonio legitime concluſa: iurgia coniugum, quæ neq; carcere componi poterant, in concordiam reducta. Ruſticis in neceſsitatibus ſubuentum, noſtrorumq; interceſsione debita vel remiſſa, vel commode reſtituendis tempus prorogatum capite mulctãdus adulter vitam impetrauit expiando ſe Sacramento confeſsionis. Tanta eſt in magnifico Sacramentorum reuerentia. Cuius liberalitate conſilio noſtrorum excitata duodecim pauperes die Cœnæ Domini, laute pranſi

pranſi, muníficeq; nummis donati ſunt, quotannis idem facturum promittentis. Quod eleemoſynam præcipuum vſuræ genus eſſe dicat, maximum in cœlo ſibi lucrum adferens. Quam ob cauſam & Xenochio locum deſignauit æſtate ſequente, ſi Deus vitam dederit ædificaturus. Subuenerunt & Socii noſtri partu laborantibus. Quo in genere Diuina bonitas merita B. P. noſtri Ignatii illuſtrare dignata eſt. Nam hebdomade ſancta dum Pater in quodam pago confeſſionibus excipiendis daret operam, fœmina quædam enixa eſt geminos, quorum alter, quod eſſet admodum æger ab obſtetrice, id à noſtris edocta, Baptiſmo tinctus obiit: alter Sacerdoti noſtro reſeruatus eſt, vt ſalutari aqua perfunderetur. Mater interim dolore ſenſibus deſtituitur correpta freneſi. Vocatur Pater, videt infelicis mulieris ſtatum; ab omnibus circumſtãtibus moritura dicebatur. Suggerit hic ſocius Patri, vt applicet efficiem B. P. Ignatii; & ſimul coronæ adiunctã exhibet. Admouet ori laborantis Pater. Res mira, vix os attigerat oculos illa aperuit, hortantem ad confeſsionem faciendam intellexit: & quia loqui adhuc non poterat; nutibus ſigna confeſsionis edidit: altero die rite confeſſa conualuit. Ad rei memoriam puero ſuperſtiti nomen Franciſci impoſitum, ex nomine B. P. Xauerii, quod difficile nomen Ignatii retenturi videbantur. Nobilis item Matrona geminis onerata, puellam poſtquam enixa fuiſſet, puerum edere non potuit, donec ipſi roſarium cum numiſmate B. P. Ignatii trigeſima Iulii fuiſſet à Patre miſſum. Accepto roſario die ſequenti, quo

memoriam B. P. noſtri recolimus, feliciter filium edidit. Ægrotabat quædam fœmina, noctu viſa eſt videre quendam ſe monentem, Patrem noſtrum vocaret cui confiteretur, & communicaret. Mane viſum aperit marito, maritus orat, Patrem vxorem ſuam ægram adeat. Facit ille, confeſsionem excipit, porrigit Euchariſtiam, ægra conualeſcit. Initio Miſsionis huius capitaneum arcis Habrauanenſis, Iudicem pagi ſubiecti, & familiam prædii ad arcem ſpectantis, ab vtriuſque ſpeciei vſu Schiſmatico, traduxerat ad vnius participationem Pater; quo tempore æditu templi & conſuli Habrouanenſi riſus in templo, fuit occaſio cõuerſionis, nam Dominus Guilhelmus riſum illum obſeruauerat, ratuſq; contemptu conuerſorum editum; eoſdem in turrim compegit. Pater vinctos adiit, officii commonuit, quædam de religione diſſeruit, quæ adeo cordibus vinctorum hæſerunt; vt altera die hæreſim deteſtati, conſcientia rite purgata Catholice communicauerint. In deducenda filia ſua ad bona mariti, noſtros comites habere voluit Guilhelmus, vt Parens generi ope diuina fidei Catholicæ adiungeretur, & gener ipſe confirmaretur. Effectum ibi vt ſe Catholicum affirmaret, nullaq; ratione Lutheranum, idque præſente verbi Dei, vt vocant, Miniſtro. Qui, cum præſentiam Chriſti extra vſum in Euchariſtia negaret, teſtimonio etiam ſuorum manifeſte confuſus. Imprimis vero ipſi ruborem excuſsit, quod transſubſtantiationis, quá negabat, definitionem dare non poſſet, & dicta ſua defendere. Preſſus etiam fuerat forma Syllogiſtica, cuius vt videretur

tur Sciolus initium suo magno dolore dederat. Hæc de Habrouana Missione. Erat Tyrnaniæ Nobilis qui ante aliquot annos in Trãsyluania R. P. Alphonsum Caryllium nunc nostrum Prouinciałem iussu Balthasaris Bathorei, vinctum paucis diebus tenuerat in exilium acto Sigismundo Principe. Quem ob id factum deinde recœpto principatu Sigismundus, bonis omnibus exuerat; vita priuaturus nisi Patris iniuriam passi precibus neci fuisset exemptus. Is præter errores grauissimos in fide, tanta erat inscitia morum Christianorum, vt ebrietatem peccatum esse nunquam existimauerit. Hunc beneuole amiceq; vt confiteretur noster admonuit, magnum esse periculum æternæ salutis amittendæ ipsi confecta iam ætate mortem imminere, pestem in ciuitate serpere, & alia, quæ hominem mouere possent. Risu videbatur excipere pro suo more salutare admonitionem. Tres quatuorue deinde dies & noctes continue visus est audire illam vocem Patris, confitearis, confitearis. Deniq; victus miseratione Diuina rediit ad cor, senectutem inueteratam in erroribus aliisque vitiis exuit, perceptisq; Ecclesiæ Sacramentis in iuuentutem Christianam transit, in alium plane virum mutatus est. Tonsor erat alter (vide occasionem salutis) apud quem coronam Pater in Missione cum renouasset caputque lauisset, quæsiuit quid optaret pro labore mercedis, ille nullam respondit. Libenter se gratis seruiturum pluribus talibus Sacerdotibus. Cui Pater, quandoquidem meum caput lauisti, ego cupio tuam animam, si

modo velis lauare. Gratis id propter Deum & animæ tuæ salutem faciam. Suspirans illa multorum ait opus esse dierum. Monet hominem Pater serio; & instruit, quomodo facile in memoriam peccatorum venire posit, & quid agendum sit. Non moratur ille, noctem sequentem in hoc negotio ponit, mane festi S. Michaelis Archangeli, vitæ onera maculasque deponit, & conuiuio cœlesti lætus fruitur.

LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ SIciliæ 1607.

DOMVS PROFESSA PANORmitana.

VIr hac in vrbe nobilis vestes circiter centum pauperibus, sæuiente hyeme, magna liberalitate, distribuit, candelabra duo argentea 300. aureorum nostro templo donata. Callidissimus humani generis hostis mulieri texebat insidias, Angelum ipsius custodem se esse prædicans; hinc multa futura prædicere, negotiorum exitus multo ante significare; sed cuiusdam è nostris consilio tartarea illa calliditas patefacta euanuit. Multis hoc anno Deus O.M. exemplis, quantum apud se in cœlesti illo domicilio valeăt preces B.P. Ignatii, quantiq; sit B. P. Francisci Xauerii, Aloysij, ac Stanislai incercessio, declarauit: à multis enim ope B. P. Ignatii bene implorata auffugit morbus, qui cor, oculos, mammam, stomachum, crura, corpus deniq; totũ, In aliis alio, & quidem summo dolore infestabat. Ab alia vertigo, scabies ab alia discessit. Humanis item remediis nihil proficientibus salutem corporis mulier desperans, diuinum sensit auxilium, vita iam pene extincta restituta. Lumen etiam, quod ab oculis nobilis

 cuius-

cuiuſdam adoleſcentis morbus abſtulerat, redditum. Inter æterna, quæ contulit ægrotis beneficia B. P. Franciſcus Xauerius, mulierem è primariis, cuius cor ſæpe per infirmam valetudinem Spiritus pene deficiebat, liberauit, in alterius collo tumorem compreſsit. Mulieri ſalutem cruris reſtituit B. Stanislaus. Aliam B. Aloyſius febri, ac diſſenteria correptam, ad ſanitatem reuocauit. Matrona, quædam nerui attractione plurium menſium ſpatio, genu cum pectore firme cõiunctum tenere coacta, aquam, qua ſacrum os eiuſdem Beati lotum fuerat, in læſum genu fundit, diſtenditur neruus, ſalus priſtina redditur. Horum autem beneficiorum veluti monumenta, ad excitandam poſterorum pietatem, variæ extant, tum ex argento, tum ex cera figuræ.

COLLEGIVM PANORmitanum.

CEnſentur in hoc Collegio ſocii 120. Sacerdotes 24. ſcholaſtici 70. adiutores reliqui. Ornauit hoc anno Panormitanum Collegium ſacra B. Aloyſii mandibula, quam acceptam à P. Generali P. Prouincialis dono dedit. Ipſo igitur die ipſius Beati dormitioni ſacro in aulam Collegii peramplam, variiſq; periſtromatis ornatam, carminibus, eiuſdemq; Beati imaginibus, in vtramque partem diſtributis, vbi altare pereleganter aptatum fuerat, ab eodẽ P. Prouinciali eſt aſportata, noſtris longo ordine accenſas in manibus faces geſtantibus, ſumma externorum ſcholaſticorum

eorum frequentia, ac pietate grato Musicorum comitante cõcentu. Deinde post nostros clericorum seminarium, quod in hac vrbe semper & numero, & probitate floruit, reliqua postea discipulorum turba sacram reliquiam adorare, osculari, atq; adeo reuereri, vt ab illius aspectu discedere moleste ferretur: nec defuit, qui eodẽ die aliquot horas precationi consumpserit non sine fructu; nam & ad virtutes acquirendas vehementer excitatũ, & in proposito vitæ in Religione degendæ firmiter, constanterq; roboratum se sensit. Diem vero insequentem illustrauit sacratissimũ Christi Domini corpus sodalibus, ac discipulis omnibus magna animi consolatione distributum. Habita præterea non minus elegans quam pia in honorem Beati cum poemate oratio diem tertium cohonestauit. Atq; hæc res inprimis fuit, vt nõ solum in nostris, sed in externis etiam pietas, in Beatum præcipue, augeretur in dies, hinc corporis afflictatio frequens, hinc mutatio morum, vitæque sanctioris electio visa est, adeo vt omnibus, præsertim in morbis, aliisq; corporis ac vitæ periculis, sanctissimæ illius animæ præsentissimũ apud Deũ patrocinium apertissime nosceretur. Quidam enim, vt cætera omittam, dum tabulam ornat, in qua Beati effigies depicta videbatur, è scalis decidit, beatum inuocat, nullum sequitur, inde detrimentũ. Prorex filium suum nostrorum curæ tradidit, vt ab disciplinæ rudimentis illum instituerit; Proregem deinde multi ex primariis imitati sunt, tantusq; fuit discipulorum cõcursus, vt classem Rhetoricæ addere opus fuerit.

COLLEGIVM MESSANENSE.

IN Messanensi Collegio è viuis migrarunt duo, quorum alter P. Franciscus Palatinus, cum post diuturnos labores accerrimus Dominicæ Messis operarius mera vitæ simplicitate, atque etiam charitate in Societate vixisset. Alter vero Iacobus Frini Coadiutor, postquam multos in Societate annos in summis, asiduisq; laborib. traduxisset, ædificandis scilicet multis prouinciæ huius domiciliis, erat enim industrius Machinarũ & fabrilium operum architectus, longo demum cancro ad pectus & brachia consumptus, summa cũ patientiæ laude, ac laborũ tolerãtiæ exemplo. Lustrali sacri baptismatis aqua abluti sunt 62. Ex his cuiusdam viri nobilis seruus in templo nostro solenni pompa, Musicis instrumentis, & cantibus est baptizãtus, sed & mulieres quatuor, quæ licet Christianæ essent, ac sacro fonte lustratæ, cum apud Mahometanos degerent, ad eorum sectam transierunt: huc inde translatæ, nostrorum opera ab hæreticæ prauitatis Inquisitore Ecclesiæ sanctæ Catholicæ sunt restitutæ.

COLLEGIVM SYRACVSANUM.

IN Syracusano Collegio versati sunt 23, inter quos Sacerdotes 8. Professores 3. cæteri adiutores. Post diuturnum morbum, quem mira patientia tulit, excessit è vita P. Simeon Montobius, hic

hic ſacratiſsimam Euchariſtiam eo ſemper animi affectu proſecutus eſt, vt cum antea, morbo ita poſcente, quotidie mane cibo aliquo refici ſolitus eſſet, ſupremo vitæ die ſacratiſsimo, tum Chriſti corpore roborari ſummo ſtudio flagitarit, ſed piæ vbi factum eſt ſatis petitioni, non multo poſt ad illud ſine velamine conſpiciendũ migrauit. Charitas Sodalitii nobilium in annonæ charitate. Mirum quantũ emicuit; eos enim, qui in publica cuſtodia detinebãtur; ſuſcepit alendos, multã etiam egenis eleemoſynam erogauit. Neque vero reticendam puto Sodalium artificum eximiam pietatem; quoſdam enim ſaucios milites è triremi ad Noſocomiũ, quod ſæpe inuiſunt, propriis humeris in ſellis geſtarunt, omnibuſq; in rebus ægritudini neceſſariis ſeruilẽ mira charitate præſtiterunt operam. Singulis deinde hebdomadis aqua detentos in vinculis ſolantur, quater vero per annum omnes ſimul cibaria comportãtes reficiunt ſtipe, quam dominicis diebus cogunt, multorum, præſertim virginum, inopiam ſubleuant. Ipſo maximi ieiunii tempore noſter concionator 40. horarum ſupplicationem fieri ſuaſit ad pluuiam exorandam, ſicca enim hyeme ſegetes, vineta, oliueta, arua deniq; ſquallebant omnia; ſingulis autem horis ab eodem magna animorum commotione verba meditationi appoſita facta ſunt: publice hinc ſæpe quodã in templo à plebe, bis à viris nobilibus in æde maiore diuerberatio ſuſcepta; pomeridianis vero horis vniuerſæ religioſorum familiæ, per templa ad placandũ Dominum diſcurrere, pueri, puellæq; paſsis capillis diuinam

commiſeratione rem expoſcere Antiſtes demum ex alta ædis maioris parte pro populo beneprecatus. Multis precibus optatam pluuiā ab infinita Dei bonitate efflagitauit. Ancillā dominus cū multis mēſibus, vt effrenatę ipſius libidini ſatisfaceret fatigaſſet, vim tandem intulit: ipſa virili, vel potius cœleſti virtute roborata ſandalib. nefarii vultum percuſsit: tunc ſeruus libidinis, ſiccine, inquit, nobilitatē meam reſpicis? poſſe à me peſsime haberi non times? ad hæc illa, hanc ego nobilitatē ducā, quam nec tali nomine dignam puto? illa mihi ſolum nobilitas, quæ in virtute clareſcit, cordi eſt. Rem totā B. Franciſci Xauerii beneficio cōcludā. Praua quædam ſui corporis voluntarie quotidie corrūpendi conſuetudine tenebatur; vehemēter igitur deſiderās ab earum ſordium volutabro extricari, quod illi difficillimum fore videbatur, ſacrum in honorem B. Patris offerendū vouet, atq; ita oppreſſus erigitur, difficultas ſuimet ſuperandi in facilitatem mutatur.

COLLEGIVM BIBONENSE.

NVmerantur ſocii 17. inter quos Sacerdotes quinq;, profeſſores duo P. Mattheus Marchiſius ſenex iam octogenarius, mitis, ac patiens exceſsit è vita. Externus quidam Sacerdos ob ſtudium in Societatem aureorum fere duo millia ſupra quingentos teſtamēto reliquit. Sodalitium artificum nouo virtutum incendio flammatū eſt, quippe primario Romano coniunctum ſummam ſuis conſolationem, atq; lætitiam attulit.

COL-

COLLEGIVM CALATAIERO-nenſe.

SVnt in hoc Collegio 20. ex quibus Sacerdotes 8. quorum alter cõſcientiæ, alter Philoſophiæ diſciplinã tradit: Grammaticæ præceptores, præter vnum humanitatis, duo. Mirum quantum vrbem totam lætitia cumulauit P. N. Generalis diploma, quo Collegium ab eadem vrbe fundatum declarabatur: ſumma igitur pompa, ingẽtiq; gaudio res in templo noſtro celebrata eſt, præſente Antiſtite Syracuſano, qui totã dioceſim luſtrabat. Magna in noſtros Beatos pietas viſa eſt, nec ſine beneficio: nã mulier quædam cum graui morbo in mamma corriperetur, ita vt iam fere de illa actum fuiſſet, ipſa eiuſq; filiæ voto ſe aſtrinxerunt, vt die B. Aloyſio ſacro in ipſius honorem ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus reciperent, cum die præcedente ieiunaſſent, ſi morbus ægrotam relinqueret; voto beneficiũ ſuccedit, beneficium ſatisfactio ſequitur, mamma argentea appenſa gratum animum ſignificante. Eiuſdemque Beati precibus infante pene extincto vita redditur.

COLLEGIVM MENE-nenſe.

CVm pluuiæ deſiderio ſegetes exſiccari magna omnium triſtitia viderentur, concionatoris noſtri hortatu inſtituta ſupplicatio eſt ex pueris, puelliſq;, quæ paſsis capillis, magna populi turba ſequente, ad tria præcipue vrbis templa ſe conferebant, & in vno quoq; ab eodem patre cõ-

cio habebatur, quæ auditores omnes ad lacrymas ciebat; placuitq; tandem diuinæ bonitati, vt post habitam supplicationem, per duos dies sequentes optata pluuia in magna copia succederet. Instructum præterea est Sacerdotum sodalitium, præter expectationem, cum clerus in partes varias distributus, dissidentem animum potius inter se, quam omnino pacatum videretur seruare: sed dissensionis artificem satanam hoc salutari remedio procul amandatum aperte experientia declarat. Deo O. M. pacis authori laus, & gratiarum actio.

COLLEGIVM MELITENSE.

CEnsentur in Melitensi Collegio 14. Sacerdotes 6. quorum vnus conscientiæ disciplinam docet, professores duo Humanitatis, & Grammaticæ, reliqui ex domestico ministerio. Meretrices duæ nostrorum opera in conuersarum monasterium introductæ, quarum altera, cum 18. annos in prostibuli fœcibus transegisset, cœlesti tandem stimulo commota, iam totius vitæ sordes pœnitentiæ Sacramento abstergebat, quando multi Satanæ milites auxiliarii ab recto proposito extorquere, ausi sunt, quos illa pro nihilo ducens, peracta confessione, fractis vasibus, dispersisque, rebus cæteris, quibus ignominiosam illam seruieret seruitutem, pridie eius diei, qui Annuntiatæ Virgini Deiparæ sacer est, reliquum vitæ tempus tanta sub duce, Deo suo clementissimo in cœnobio consecrauit. Etiam si per redditus monasterii

licuisset

ſtcuiſſet, tres aliæ feciſſent idem. Vir quidem nobilis, dum ſeruus ipſius forte ſclopum parat, caſuque etiam emittit, mortifero ictu corripitur; atq; vt ſeruum, cui iam pepercerat, innocentem cæteris equitibus declararet, à nemine fere, præter quam ab illo in tanta dolorũ acerbitate, quos ad vltimum ſpiritũ mira patientia tulit, res morbo neceſſarias ſibi afferri permiſit, rogauitq;, nequid impoſterum mali ſeruus innocens pateretur: ecquid mirum in viro, cuius virtus antea frœno potius, quam ſtimulo indiguit, qui horam cum dimidiata precatione cõſumpſit quotidie, vſuſq; ciliciorum adeo frequens illi fuit, vt debili corporis ipſius conditioni non ſine induſtria fuerit aliquando conſulẽdum. Nec mediocris fuit alterius charitas: hic enim dum in quodam naufragio poſſet ſe facilius eximere, maluit ſeruus apud Turcas remanere, quam alterum equitem puluere tormentario grauiter correptum derelinquere, putabat enim in nauim ſubſidii, cum illo ſe aſcenſurum, ſed per tempus non licuit. Seruiuit igitur vſq; ad redemptionem, ſpatio ſcilicet 18. menſium, in hac autem ſeruitute ſemper ſe Chriſtianum equitem, ac Virgini Deiparæ ſacrum præſtitit: quadrageſimalia, cæteraq; ab Eccleſia impoſita ieiunia rite peregit: cibos vetitos vel fame, aliiſq; in cõmodis oppreſſus nunquã admiſit: imo partem panis, qui ad veſcendum dabatur, vẽdens, Chriſtianorum ſeruorum egeſtati, quoad poterat ſubueniebat: tantaq; fuit eius pietas crucem ſuæ Religionis inſigne, vt veſtibus laceris, quibus fuerat indutus, vnam ex tela formatam adſuerit, &

palam

palam per diem integrum in omnium conſpectu geſtarit, quam deinde, ita prohibitus, panno alio texit quidem, non autem à ſe vnquam alienauit: ad eamq; tandem virtutis perfectionem aſcendit, vt à Domino libertatem rogare dubitaret, quia ſcilicet occaſionem patiendi pro Chriſto Domino fugere homini videbatur, ſed nunquid liberalitate ſuperari paſſus eſt Deus O. M.? Nam in tanta laborum, atq; incommodorum colluuione, quæ mortem potius afferre viro delicato debuiſſent, à graui morbo, quo dum fuerat liber, angebatur, ſeruum ſuum omnino liberauit.

DOMVS PROFESSA PLAtienſis.

COlitur in hac vrbe Beatiſsimæ Virginis Dei genitricis imago, quam, vt tãta fama, comes ille Rugenius in vexillo contra infeſtiſsimos fidei hoſtes explicuit, quo tempore Siciliam ab Saracenorum tyrannide diuina tectus virtute vindicauit: huiuſmodi imago, quæ non ſolum ab hoc populo, ſed ab Siculis omnibus magno cultui eſt, maiori vt eſſet impoſterum, noſtrorũ opera procurauit. Erectum eſt conuerſarum monaſterium, in quod primum 12. Magna pompa ſunt introductæ, atq; ad opus tam pium 700. aurei eleemoſyna traditi ſunt. Vt animæ, quæ à corporis ergaſtulo egreſſe peccatorum maculas igne purgante, in cœleſtem patriã auolarunt. Sacerdotum ſodalitiũ inſtitutũ eſt, qui etiã ſepeliendis in egeſtate defunctis piam operam nauant, propriis humeris

feretrum

feretrum portantes præeunte crucis vexillo, quod gestat sodalitii æditiuus, qui est aliquando Sacerdos ex honesto loco natus; post vexillum Sacerdotum turba pulchro ordine, accensisq; facibus sequitur; quæ res multos viros nobiles excitauit, vt tantæ pietatis participes essent, vnde pecuniam singulis annis largiuntur, vt in eodem sodalitii templo sacrificia pro iis animabus offerantur: & iam ad rem hanc Sacerdos fundum, qui 800. aureis æstimatur.

DOMVS PROBATIONIS PAnormitana.

HAbuit Panormitanum Tyrocinium socios 46. Sacerdotes 4. veteranos 7. reliquos tyrones. Dum tyrones publicum Nosocomium frequentant, accidit vt quidam Turcæ ad firmam valetudinem recuperandam illuc venirent, inter quos vnus ad fidem Catholicam suscipiendā propensus videbatur: aggreditur hominem noster, auditque ab eo, fuisse quidem ipsi duobus abhinc annis voluntatem Christianam militiam sequendi, (nam sene quodam ad veram ac salutarē Christi Domini fidem per somnium excitante, totus in alterum mutatus fuerat à somno relictus) sed ea, inquit, voluntas (communis hostis opinor industria) iam euanuit: addiditq; si à triremis vinculis omnino fuisset solutus, se fidem, quam Christiani profitētur, amplexurum, separatus igitur à cæteris Turcis, nunc æternorum cruciatum timore, nunc spe sempiternæ lætitiæ, ac præsertim beneficiorum

ficiorum Dei recordatione, tanquam armis aggreſsionem alteram patitur, qua tandem infinita Dei O.M. bonitate amictus ſacrũ Baptiſmum ſine vlla prorſus conditione, ſed ſolum propter Dei gloriam & amorem flagitat. Dum itaq; catecheſi inſtruitur magna animi conſolatione, ac diuino præſertim lumine, quod in reſponſis eius emicabat, dies ab eo ſummopere deſideratus illuxit, quo die aſſiſtentibus vrbis Antiſtite, ac primogenito proregis filio, ſumma ipſius lætitia, & poſtquam his genibus flexis peccatorum veniam à Domino petiiſſet, baptiſmo luſtratus, Frãciſci nomine (ſic enim vocabatur tyro ille ipſius inſtructor) eſt inſignitus, die vero inſequenti, cum nihil cibi ſumere voluiſſet, interrogantibus, ea de re reſpondit, tanta animus repletur lætitia, vt cibo alio non indigeat corpus.

COLLEGIVM DREPANItanum.

INſignis eſt hic annus in Collegio Drepanitano; tum quia 12. Patres Societatis more, abſoluto ſtudiorum curſu, ſeſe ad tertium probationis annum Drepani collegere; tum quia Dei beneficio, diaboli fraude, graui diuturnaque fuimus perſecutione tentati; vtrinque tamen fructus emanauit vberrimus. Et quidem quod ad noſtrorum culturam valeret, prætermiſſum eſt nihil humilitatis, mortificationiſque exempla ſola copia minus videntur miranda; ceterum eo proceſſerunt, vt in publico noſtrorum conuentu confeſ-

ſionem

ſionem haberent generalem: ſed vt hæc aliqua id genus complura prætermittam, decerpam ex Miſsionibus inſigniora quædam Anno vertente, vt aſſolet, ad varia nec vicina opida ſunt emiſſi Patres, tres Cephaledim, Iſnellum, Goleſanum, totidem Corilionem, Buſacchinum, quatuor Caccabum, Ciminnam, & Biccarum, duo reliqui Fauaram, & ſanctum Angelum. Ergo duce, & auſpice Deo deſtinata quiſque loca peragrare; ſodalitates, qua nobilium, qua popularium, presbyterorum etiam erigere; doctrinæ Chriſtianæ Gymnaſia inſtituere; ære ipſi campano pueros, plebemque omnem vicatim conuocare; conciones habere ter & quater aliquando per diem, eaque populi frequentia, vt cum templa quamuis maxima multitudinem non caperent, in plateis foret ſæpius perorandum; quæſtiones quæ graues inciderant de officiis explicare: confeſſiones audire, & quidem in vno Iſnelli pago ducentæ numerantur generales. Reſpondebat Patrum induſtriæ populorum humanitas. Sed non ſunt prætermittendi, tum Illuſtriſsimus D. Martinus de Mira Epiſcopus Cephaledenſis, tum Baro de Iſnello: vterque Patres & hoſpites & conuiuas habere voluerunt. Et quidem Baro ſummæ virtutis adoleſcens cum anteactæ vitæ noxas omnes apud noſtrum eſſet rite confeſſus, ad idemque familiam & magiſtratum impuliſſet, ad ſacroſanctam Euchariſtiam acceſsit, comitantibus aulicis & primariis quibuſque, id quod in ſingulos menſes ſe facturum recepit. Idem in ſumma

annonæ caritate, frumenti horrea, vinique apothecas, clauibus ad Patres delatis, resignauit, vt illorum arbitratu gratuita egentibus vitæ subsidia præsto essent. Erat in Golesano Sanctimonialium conuentus sane frequens, sed facilis adolescentularum natura, virorum prauitati obuia, mirum quam malè audiebat, ea de causa pugnatum est acriter, diuque dubia victoria, non enim deerant, qui præclaram illam prædam vnguibus ereptam ingemiscerent. Tandem Dei beneficio non externorum modo colloquia compressa, secularibus aditus omnis est præclusus; sed Moniales ipsæ agnita diaboli fraude, perniciosam facilitatem deplorantes, in se vltro sæuire quotidianis, asperrimisque flagris, non nisi nuda humo cubare, præter paucas panis vncias, puræque lymphæ libamina nihil omnino degustare: nimirum vbi abundauit delictum, superabundat & gratia. Angebantur ibidem opidani summa rei frumentariæ inopia: tum graue & cõmune infortunium peculiare beneficium rati mercatores aliquot alieni cupidi, sui tenaces iusti pretii limites transilire non verebantur. Itaque fame coacta plebs supellectilem omnem (quando pecunia consumpta fuerat) modica frumenti mensura commutabant: ac parum abfuit, quin liberos ipsos parentes venderent. Vti resciuit noster, pro concione quadam die acriter in id scelus inuectus, grauissima Patrum dicta in eam sententiam retulit, Doctorum volumina produxit, minas addidit. Nam si in aliorum angustiis non fortunis modo subuenire, sed

ed omni cura, sudore, sanguine etiam nostro mederi deberemus; si fratris in siti modica denegata lympha non nisi æterna mulctatur flamma: quale tandẽ immineat iudiciũ iis, qui vitas hominũ ebibãt, pauperũ sanguine saginentur? An vero istorũ miserebitur seuerus Iudex, quos puerilis non mouet innocentia, quos puellarum periclitans fama nõ retardat, quos verendorũ senum laniata canities, iuuenum marcescens flos, virorum squalida virtus, patria denique ipsa fletibus vndique personans non emollit? Ad hæc & alia complura luculenter dicta stupebant primo gens omnis è dicentis ore intenta dependens; mox paullatim fremebant inter sese; tum postremo elata voce tantum malum deplorabant. Argentarii vero illi, venales animæ concionatoris voce perturbati, tantoque commoti spectaculo, ac interiori diuinaque luce perterriti, dimissa concione ad Patres confugiunt, supplices pedibus prouoluuntur, peccata ingenti cum sensu detestantur, quiduis perpeti parati facultates omnes illorum arbitratui consignant, habita denique, iusta rerum æstimatione, largo cum fœnore sua cuiq; restituunt. Huius rei per vicina loca vagata fama omnium animos magis, ac magis conciliauit; ac subinde legati conuenere, qui Patrum aduentum in suas ciuitates exorarent, quique referrent, Golesani mercatores, quæ apud illos dolo malo abstulerãt, exemplo singulari iam reddidisse. Corilionem vix erat peruentum, cum nocte quadam somno in

dulgens nescio quis hoscc sonos sibi audire visus est: Itane vero stulte iaces? age ad Patres aduola cur non apud istos peccata deponas? at diebus ante perpaucis me fecisse scias, respondit ille. At at diuina rursus intonat vox, quam recte, quam integre feceris, perpendito, assurgit miser, habitaque secum ratione grande nefas se omisisse comperit, accurrit, confitetur. Ibidem virginitatis voto se Deo, magnæque matri sacrauerat adolescentula quædam, sed vt cerea est in vtramque partem mulierum conditio, sibi non constitit turpiter prolapsa: huic grauiter succensus Christus D. se visendum bis obtulit, semel pro tribunali, iterum intra matris vlnas; perterrita illa ad nostrum profugit, cuius hortatu vitam instituit laudabiliorem. In Caccabo grauis vir, vt videbatur, apud nostros testatus est, se inter concionandum vidisse semper, Patris vertici lucidam quandam quasi solis flammam insidere, atque prodigio simile creditum est, quod hic idem diu multumque post hæc requisitus apparuit nunquam. In eadem ciuitate muliebre cœnobium visitur mira sanctitatis opinione celeberrimum: hic Palæstinarum solitudinum species quædã in ipsa vrbis frequentia relucet: asperrime viuitur per summam ac voluntariam rerum omniũ inopiam; ieiunia assidua, vigiliæ prolixæ, mortificationes arduæ; nec minus redundant cœlestes deliciæ: sunt quæ Christi corpore munitæ per diem integrum ab Ecstasi non excitentur. Hoc in cœnobio Monialis Virgo maxima, quæ non potestate magis,
quam

quam pietate præcellit, erga B. P. Ignatium ardentiſsima fertur religione, eiuſque prolem peculiari proſequitur ſtudio. angebatur quadam die citra modum vehementi Spiritus ariditate, quamobrem patronum de more inuocat; præſto eſt B. Pater, ſua præſentia mœrentem conſolatur, promittit breui futurum, vt ſuæ ſocietatis alumni ad ea loca conuolent, ab iis quid facto ſit opus intelligat. Et quidem miraculi loco haberi poteſt, quod P. Prouincialis cum ſocios alio deſtinaſſet, ſubito mutata ſententia Caccabum miſerit. Hæc eadem Virgo dum acri vulnere laceratur in tibia, iterum B. Patris vultu eſt recreata, ac omni languore protinus deſtituta. Partus difficultate vitæ diſcrimen ſubierant non mediocre mulieres duæ Ciminnenſes; Patres aduocant: hi cereos Dei agnos collo ſuſpendere iubent; confeſtim illæ fœtu emiſſo incolumi periculo liberantur. In Goleſano confeſsionis gratia crebrius ad nos adibat matrona, ac pręfrequentia pœnitentium dies integros perdurabat: domum reuertens quadam die filium infantem, quem domeſticorum fidei reliquerat, miſerando caſu ſemimortuum offendit. Protinus diſciſſo crine, per plateas interclamitans, ac pugnis identidem pectus contundens, non ſine ingenti lacrimarum vi ad Patres regreditur: ibi in genua procumbens Hem, inquit, dum confeſsionem in templo moror, filius domi moritur. Me miſeram, teque infœlicem puerum; debueram tam dulce pondus brachiis his vnquam deponere? heu heu! at veſtrum erit, Patres, cu-

 rare,

rare, ne quæ Sacramento inuratur nota. Filium reddite, quando potestis. Condolens Pater rem omnem diligenter inquirit, matrem amice affatus bono animo esse iubet, spondet se sacrum facturum pro filii vita, mira res. Eodem die plane conualuit infantulus. Drepanitanum Collegium in ipso ciuitatis vmbelico, magno ciuium commodo, consitum est; ad curiam vergit Ecclesia; cætera domus in via maxima porrigitur: populi frequentia, locique opportunitate nihil illo accommodatius. Illud tamen per quam difficile accidit, cum magna domesticorum perturbatione ac labore, quod templum, vico intercedente non angusto, ab reliquis ædibus distinetur, nec nisi per ligneum pontem è parte superiori transmeatur. Hinc exorsa tempestas omnis. Nam cum diu multumque, exagitata re, viam illam intermediam pretio redimere decreuisset Prouincialis, confestim Societatis æmuli (hostes dixerim verius, quos inter religiosi homines numerantur nonnulli) iniquo animo ferre, per ciuitatem excurrere, plebeculam concitare, nobiles viatim conuenire, Senatum accusare, nullum denique non mouere lapidem, quo minus ea res è sentētia Patrum eueniret. Nihilo minus tamen magna pars optimatium à nobis erat, quorum consilio in ius res est vocata, ac proregis iussu (is erat Feriæ dux societatis amantissimus) pro Patribus lata sententia: vicus occupatur; vtrinque muro obducto clauditur. Tunc enimuero ira sunt inflammati Drepanenses supra quam credibile est:

atq;

atque iidem illi societatis amici, in ius vocandæ rei, qui fuerant auctores, nostrorum congressum vitabant, tum paullatim in alteram partem penitus abiere, nihil sonabant plateæ præter Iesuitarum iniuriam: Iesuitas ferro, atque flammis tradere vna omnium erat sententia: hos in foro digito commostrabant, contumeliis vbique comitabantur: parum abfuit quin saxis è fenestris petiti Patres mulierum manu interirent, aut si quem conuenissent placandi gratia è scalis præcipites agerentur. Multi è sociis noctes vsque insomnes ducebant eo, quod compertum haberent noctu fore, vt à Drepanensibus inuaderentur. Sed prorregis metu, nihil ad eam diem grauius tentatum est: nisi quod è clero nonnulli, nescio quo iure Pontificia vsurpata potestate, religionem obtendentes, ecclesiasticis censuris in nos animaduertere sunt ausi, atque excommunicatione notarunt eos, qui ædificationem quacumque tandem de causa adiuuarent. Per id tempus prorex erat à Philippo rege euocatus, vt eius nomine grauissimis de rebus apud Cæsarem legationem obiret; qua de causa Siciliæ administrandæ præses est suffectus excellentissimus Marchio de Traci. Hanc occasionem diuinitus, vti censebant, oblatam non prætermittunt Drepanenses: Statuunt quoque eundem modo murum eiicere, ac viam præripere. Fit concursus, vulgatur res, bellica instrumenta vndique comparantur, sicariorum confluit multitudo: hi ornatu commutato fictas apponunt barbas, personam induunt, ne agnoscantur

tur;fustibus,sclopis,gladiis,arietibus,ac similibus armamentis armati templum occupant Collegio proximum:inibi signum expectant. Neque vero Patres latebat tantum facinus, ac nequicquam eorum opem implorabant à quibus adiuuari & poterant,& debebant.Ergo omni hominum subsidio destituti ad Deum profugiunt; domestica re vtcumque composita precibus incumbunt omnes,& vt erat in more positum, Drepanensibus tam acriter eo tempore infestantibus numé conciliare nituntur. Inter hæc nocturnus excipitur, atque ingens rumor; faces apparent quamplurimæ, torrentis instar egregia cohors præcipitant, magnis clamoribus adoriuntur, parietem sua sponte inclinantem illico deturbant, via potiuntur, obtenta victoria triumphantium more discedunt:verum nocturna illa lætitia breui in mœrorem est commutata. Nam vbi primum rem accepit Marchio,quem præsidem diximus, grauiter incensus, vt par erat, sibique illatam iniuriam reputans, summa cum auctoritate, atque armata manu certum hominem mittit,qui parietem rursus erigat, & nocturni tumultus auctores pœnis afficiat quam iustissimis,itaque relegati multi, in ergastula detrusi non pauci, capite etiam damnabantur nonnulli,nisi Patres, qua erant animi moderatione, intercessissent; atque in eam sententiam litteras ad Præsidem dedit Rector per quam accurate, nec non duos è sociis Panormum legatos misit, vt nobis iniuria lacessitis iniuriæ supplicia condonarentur,atque hac demum via Drepanensium

nensium odia restinguerentur: quorum alterum à præside impetratum, alterum à ciuibus obtineri minime potuit. Nam vel eo nomine efferati magis nostros ad necem deponebant, vbique contumeliis, pugnis, luto petebant. Vnus cum Patres aliquot extra vrbem sub rupe considentes aspiceret, è parte superiori grande saxum prouoluere in eorũ ceruices semel & iterum est conatus: alii alios insidiis excipere quærebant, vt in Africam transmissos, vilissima veluti mancipia Turcis venderent; sed ille Deus, apud quem suorum vel capilli in numero sunt, vtrorumque consilia dissipauit. Denique ne vlterius historia protrahatur rei euentus is fuit, quod Patres vltro viam Senatui consignarunt, atque ita aliquanto pacatiores ciuium animi sunt effecti.

DOMVS PROBATIONIS MESsanensis.

ADauctus hoc anno 1607. Nouitiorum numerus (quippe Domus Panormitanas ad laxandas angustias ædificationi vacat) adaucta etiam virtutum studia, Religiosæ modestiæ, & vniuersæ mortificationi ita sedulo nauarunt operam, vt ægrotantium saniem inter ministrandum biberint aliquando. In erudiendis pueris de Christianæ religionis dogmatibus pari fructu diligentissime laboratum. Denique is omnium labor est, vt seculi rebus abdicatis vni

Deo adhæreant. Vnus, vt cæteros taceam, nobili loco natus de acerbiſsimo fratris caſu à Rectore commonitus, mira animi æquitate, & ſolita vultus hilaritate, Amori ſuo Christo Ieſu gratias decantauit, & Baroniæ ſibi debitæ ambitionem, paternaſque diuitias conſtantiſsime repudiauit.

FINIS.

A011479308